Bibliotheca Secreta Coll. Rom. Soc. Jesu

PHILOSOPHIA ALTDORPHINA,

Hoc est,

Celeberrimorum quorundam, in incluta Universitate Altdorphina Professorum, nominatim,

PHILIPPI SCHERBI,
ERNESTI SONERI,
MICHAELIS PICCARTI,

DISPUTATIONES PHILOSOPHICÆ,
in unum fasciculum collectæ, & ab interitu vindicatæ

à

M. JOHANNE PAVLO Felwinger *Noribergensi,*
h. t. Altdorphi Metaph. & Logic. P.P.

Accesserunt aliquot Soneri & Piccarti Orationes sparsim antehac editæ, & Index rerum & verborum locupletissimus.

BIBLIOTECA N.A.Z. ROMA VITTORIO EMANUELE

NORIBERGÆ,
Sumptibus MICHAELIS KÜLSNERI,
Typis MICHAELIS ENDTERI.

ANNO clɔ Iɔ c XLIV.

Digitized by Google

148-B-10

Magnificis, Nobiliſſimis, Ampliſſimis, atq; Prudentiſſimis VIRIS,

DN. CHRISTOPHORO Führer / ab Haimendorff / in Wolckersdorff / DUUMVIRO, PRÆTORI, & CASTELLANO,

DN. ULRICO Grundtherrn / DUUMVIRO,

DN. GEORGIO ABRAHAMO Pömer / Trium Viro, & Tribuno Militari ſupremo,

DN. NICOLAO ALBERTO Rietter in Kornburg / Septem Viro,

DN. JOHANNI ALBERTO Haller von Hallerſtein / Septem Viro, & Tribuno Militari,

DN. JOHANNI JACOBO Tetzeln à Kirchſittenbach / Vorrah / vnd Artolshoven / Septem-Viro & Tribuno Militari,

DN. LUCÆ FRIDERICO Böheim / Septem Viro, & Scholarchæ Primario,

DN. ALBERTO Pömer / Senatori & Scholarchę,

DN. GEORGIO im Hof / Senatori & Scholarchę.

DN. JODOCO CHRISTOPHORO Kreſſen / à Kreſſenſtein / Senatori & Scholarchæ.

PATRIÆ PATRIBUS

OPTIMIS.

DNN. Patronis, Evergetis, & Promotoribus meis

MAGNIS,

S. P. D.

Magni-

Digitized by Google

Magnifici, Nobiliſsimi, Amplissimi, atq; Prudentiſſimi VIRI;

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ALexandrum Magnum, celerrimum illum Orbis domitorem, nemo facilè dixerit, conferendo præceptorem Ariſtotelem, Illud Mundi miraculum, & Sapientiæ humanæ compendium, cum Patre ſuo Philippo Macedonum Rege, erraſſe. Etenim utriq; ipſi Alexandro autores vitæ extitére, hic videlicet Naturalis per legitimam generationem; ille verò Felicis, per ſedulā informationem, & ad regias virtutes inſtitutionem. Verùm in hoc, pace dixerim Alexandri, nondum abſoluta videtur, me quidem judice, utriusq; convenientia: cum etiam boni præceptores, veſtigia diligentis & laborioſi Patrisfamilias legant, theſauros nimirum omnis bonæ eruditionis tùm ſcriptis, tùm verbis relinquendo, non ſecus ac pater filiis bona, hocq; jure naturæ, teſte ſancto Mercurio, Paulo, *11. ad Corinth. XII.*

Digitized by Google

14. l. Scimus. 36. §. illud præterea. 2. C. de Inofficioſ. Teſtam. l. cum ratio naturalis. 7. ff. de Bonis Damnator. l. Nam etſi. is. ff. de Inoffic. Teſtam. l. Scripto herede. 7. §. non ſic parentibus. 1. ff. Unde liberi. l. hac parte. 2. ff. Unde cognati.

Sicuti autem bonus pater-familias bona, quæ teſtamento liberis ſuis relinquit, non ſemper ſuis laboribus, ſuaq; diligentiâ ſibi comparavit, ſed aliquando, & maximam ſæpè partem hereditate ipſe aliquâ accepit: ita boni præceptores diſcipulis ſuis, & ferę poſteritati, aut ſtudioſę juventuti non ſemper ea ſolum, quæ ipſi ſuis lucubrationibus peperere, relinquunt, ſed etiam illa, quæ ſciunt & vident ab aliis doctiſsimis & excellentiſsimis Viris elaborata & conſcripta, conſervant, & ne perpetuis tenebris involvantur, in commodum rei literariæ luci publicæ aliquando committunt, & edunt; neq; hoc ſine laude; ſiquidem

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.

Ego, qui ante ſex circiter annos, DEI MEI gratia & clementiâ, nutu verò Magnificorum, Nobiliſſimorum, Ampliſſimorum & Prudentiſſimorum DNN. SCHOLARCHARUM, tum temporis DN. ULRICI **Grundtherrn** / DN. JOHANNIS FRIDERICI **Löffelholtz**/DN. GEORGI PAULI NüZELI, & DN. LUCÆ FRIDERICI **Böheim** / præſcitu & ſuffragio totius Incluti SENATUS NORICI, publi-

publicè ſuventuti erudiendę, & diſciplinis Philo-phicis informandę præpoſitus, ab illo tempore antiquius nihil habui, quàm ut dictæ ſuventutis ſtudia formarem, & progreſſus illius promoverem, hocq; non tantùm meis propriis laboribus, ſed etiam illorum, qui ante me in hoc ipſo genere longè pręclariſſimos ediderunt labores, & omnibus viribus prolapſam, & à Ramæis deformatam Philoſophiam priſtino nitori reſtituerunt, & ad ipſum veritatis humanæ fontem, legitimæq; argumentandi rationis ducem, Ariſtotelem, teneros ſtudioſos reduxerunt. Quos inter ultimò numerandi non ſunt, olim Univerſitatis hujus Altdorphinæ lumina celeberrima, *Philippus Scherbius, Helvetius: Erneſtus Sonerus, Michaël Piccatus, Noribergenſes:* qui omnes fideliſsimè ſuventutem Academicam informarunt, & Ariſtotelis ſcripta feliciſsimè interpretati ſunt. Horum Diſputationes & Orationes, quoniam inexhauſtę utilitatis cognoſcebam; at verò, eæ interitui proximę, & oblivioni ferè traditæ erant: omnes & ſingulas, quas conſequi potui, collegi, & prælo ſubjeci, atq; hoc modo æternitati, veritatis gratiâ, & ſtudioſæ ſuventutis causâ ſolicitatis, conſecravi.

Meritò autem VOBIS. Viri Magnifici, No-

biliſsimi, Ampliſſimi, Prudentiſſimi, ingentis molis, Reipublicæ nimirum Noribergenſis Atlantes fortiſſimi, meritò inquam, VOBIS, horum Virorum, veſtro ære conductorum, labores & lucubrationes inſcribo, & conſecro: Etenim hi quicquid olim fecere, quicquid nos facimus, omne Veſtro ductu & juſſu ſcribimus, facimus. VOBIS conſecro, & inſcribo, quippe quos ſcio partim horum in informando dexeritate uſos eſſe, & etiamnum delectari maximè ſcriptis illorum, & laboribus, tanquam theſauro reconditioris eruditionis, & ſcientiæ: Simulq; VOBIS publicè gratulor, Tibi Magnifice & Nobiliſſime DN. ULRICE Grundtherr/ Patrone & Promotor, PATRIS inſtar Obſervande, de DUUM-VIRATU. Dico autem, TE inſtar Patris mihi Obſervandum: Etenim poſt DEUM, quod in Literatorum numerum jam referor, præter T. Magnif. & Nobilitatem, juxta cum Ampliſs. DN. Avunculo meo, heu! deſideratiſſimo, PAULO NIGRINO, laudatiſsimæ Veſtræ Reipublicæ Secundicerio, nemini acceptum refero. Tu juventutem meam Tuâ curâ ſuſtentaſti, ſtudia mea diverſis in Academiis, Tuis ſumptibus promoviſti, virilem ætatem Tuâ Prudentiâ direxiſti, & adhuc dirigis, tandemq; publico officio, cum aliis, præfeciſti. Quorum beneficiorum me-

mor

morero, dum Spiritus hos reget artus, æternasq; Tibi acturus gratias, DEUMq; precaturus, ut Neſtoreis annis compenſet, quicquid beneficij in me collocaveris. Vobis verò Magnifici, Nobiliſſimi atq; Strenui Viri, DN. GEORGI ABRAHAME POEMERE, do Triumviratu, DN. JOHANNES JACOBE TETZELI, de Septemviratu, ex animo gratulor, precorq;, ut ſicuti ante juviſtis Veſtris cõſiliis Patriam noſtram dulciſsimam, Noribergę ſalutem, veſtrâq; prudentiâ atq; vigilantiâ furioſum Martem, & truculentam Bellonam ab ædibus noſtris arcuiſtis; ita alia mala, ſi quę adhuc futura ſint, avertatis, ne quid Respublica veſtra per totam Europam decantiſsima, & laude Veſtrę prudentię ſuperbiens, detrimenti capiat. Quomodo verò Tibi, Magnifice & Nobiliſsime DN. LUCA FRIDERICE Böheim gratulabor, qui jam Eccleſiarum & Scholarum factus es primum fulcrum? Septemviratus honorem cum alijs nactus es; Archi-Scholarcha ſalutaris; ſed hæc tanta eſſe non puto; quantum eſt, TE multum, diuq; cum adverſâ valetudine luctatum, tandem tamen eluctatum, & DEO opem ferente, Medicorum curâ, mortis faucibus ereptum eſſe? Faxit DEUS, ut nullum poſthac malignum ſydus, Hygeam turbet, ſed conſtanti fruaris valetudine, ut ſimul cum Magnificis & Nobiliſ-

ſimis

simis DNN. ALBERTO POEMERO, & JODOCO CHRISTOPHORO KRESSIO, recens unà ad dignitatẽ SCHOLARCHATUS, omnium literatorum gaudio & applausu evectis, diutissimè Ecclesiæ & ACADEMIÆ ALTDORPHINÆ præsitis, ut sub vestro Patrocinio studia juventutis ulteriùs pacatè dirigere, & piè, tranquillèq;, si quid inde lucramur, in humani generis salutem, consumere queamus. Et, ut compendio dicam: DEUS T. O. M. VOS omnes & singulos, & totam vestram Rempublicam clementissimè conservet, Novusq; hic annus VOBIS felicissimè currat! Valete Patres Conscripti, & Vestro favore ac patrocinio mihi, meisq; favete! Dab. Altdorphi a. d. Kalend. Januarias, Anni cIↃ IↃ c XLIV.

V. V. Magniff. Nobb. Ampp. & P.P.
Observantissimus,

M. Johannes Paulus Felwinger
Noribergensis, Metaph.
& Log. P.P.

PHILIP-

Digitized by Google

PHILIPPI SCHERBII,

THESES PHILOSOPHICÆ

DE VNIVERSALIBVS.

Respondit

Alexander Raseck :

Mens. Februar. d. 22. Anni M DXCIV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

THESIS PRIMA.

PRincipio, quoniam jure à Platone Socrates laudatur, quòd primus mentem ad definitiones rerum applicuerit, ut refert Aristoteles Metaph. 1. cap. VI. nobis quoq;, ne in ambiguo versetur oratio, à definitione incipiendum erit.

II.

Vniversale itaq; est, quod aptum est, ut in pluribus univocè insit : Quæ quidem Definitio causalis, sive per causam tradita esse videtur ; Ratio enim, cur aliquid de multis univocè prædicari possit, est ; quòd nimirùm illud ipsum nomine & ratione insit in multis : proinde quia Petrus est homo, in eoq; humana natura, ideò verè Homo de Petro dicitur. Huc etiam illud Aristotelis, quod docet 9. Metaph. cap. ultimo: non propterea tu talis es, quia nos te talem esse judicamus, sed ideò nos te talem dicimus, quòd tu revera sis talis. Mens enim nostra accipit à rebus, & ab eo, quod est vel non est, dicitur oratio vera vel falsa, ut rectè ait idem Aristot.

III.

Et quamvis in Vniversalium informatione & constitutione, variæ fuerint antiquorum Philosophorum sententiæ : Prima quidem Pythagoræorum, qui imitatione numerorum Vniversalia constituebant : Subsequens verò Platonis, qui Ideas Entium universales & separatas à singularibus posuit, reliqua verò præter hæc & secundum hæc Sensilia vocavit ; his tamen aut enumerandis aut refutandis nos supersedebimus, copiosè enim horum utrumq; dicto libro primo, & 13. Metaph. præstat Aristoteles.

)( )(

Vnum

IV.

Vnum hoc breviter contra Sholam & opinionem Platonis, quòd scilicet essentia & quidditas non possit ab eo separari, cujus est quidditas, ergò neq; Vniversale ab eo, cujus est Vniversale, præsertim cùm Vniversale sit natura, & aliquatenus substantia suorum individuorum, ut infra declarabitur. Si itaq; Idea Platonis talis est, quæ separetur à singularibus & extra animum existat, profectò cognoscere hominem Idealem, non erit cognoscere hominem singularem seu individuum, nempe, hunc hominem, cùm hi, solo tantùm hominis nomine æquivoco conveniant. Ratio verò æquiparentiæ vel unitatis nulla est; neq; enim æterno & caduco, ut cæteris contrarijs datur Vnivocum aliquid commune, prout Philosophi testantur.

V.

Fuere præterea & aliorum recentiorum Philosophorum duæ sententiæ sive opiniones, quarum prima eorum (quibus nomen ab opinione, Nominalium datum est,) hi vocem communem seu Nomen universale, significans plura statuebant. Illo forsan Aristotelis dicto inducti, quod habetur capite de Substantia: nimirùm: Secundas Substantias significare quale quid; quod quidem non rebus convenire, sed nominibus, prout illi, re non rectè intellectâ interpretantur. Sed hæc cùm haud consentanea veritati sit, cumq; plurimorum Peripateticorum sententiæ adversetur, à nobis meritò rejicitur.

VI.

Porrò nos ex dicta definitione, naturam & formam Vniversalis elicere oportebit. Dictum autem supra est, Vniversale talem vim seu ἐνέργειαν habere, ut aptum sit pluribus univocè ineſſe; equidem meritò, cùm enim natura una sit, ea respectu univocè, & cùm communis multis eadem sit, eâ ratione de multis individuis prædicatur, quod assignat Aristoteles 7. Metaph. cap. 13.

VII.

Hoc nulli voci omninò convenire potest: Cùm enim hæ pluribus insunt, non aliter, sed tantummodò ratione suæ naturæ, nimirùm, quòd voces sint, insunt, proinde non sicut Vnivoca Vniversalia ad Singularia, sed prout æquivoca ad æquivocata seſe habent: quæ quidem unitate tantùm nominis convenire constat, ab unitate verò rationes penitus excluduntur. Illud etiam Aristotelis manifestum est 1. de Demonstr. cap. 4. cùm Vniversale, asserit, ineſſe rebus necessarijs: Si rebus, ergò non nominibus, neq; vocibus.

VIII.

Cùm autem hisce Aristotelis (aliquâ ratione convenire, seu, quod in idem recidit, unum esse ratione, vel diversa) utimur verbis, Nomine rationis non animi vel mentis rationem, ut plerig; falsò existimarunt; sed hæc una & eadem

Digitized by Google

eadem esse ratione, quæ unius sunt intellectionis, dicimus. Atq; ita cùm omnes homines propter hanc solam rationem, nempe quòd communione naturæ humanæ fruantur, in genere omnes unâ & simplici ratione comprehendamus, dicimus, eos & ratione convenire & eandem essentiam habere: Tùm etiam & animal idem erit ratione in homine & equo, ut ait Aristoteles 7. Metaph. cap. 13. sed respectu Generis.

IX.

Conveniunt autem hæc quandoq; nimirum, idem esse ratione seu specie, ut ait Aristoteles 1. Phys. c. 7. his verbis: Atq; hæc unum accipio differre aut convenire specie seu ratione. Ibidem etiam eis tertium simile adjungit, nempe Definitionem. Nam quæcunq; sortiuntur eandem definitionem, eadem quoq; rationis vel speciei unitatem assumunt. Et contra, quæ utilitate rationis conglutinata sunt, hæc parem quoq; formam definitionis requirunt & expostulant. Sed ad explicationem formæ Vniversalis revertemur.

X.

Constituimus itaq;, secundum approbatam omnium sententiam, Vniversalem naturam in se, ac communem assistentemq; singularibus, & quæ ex singularium veritate dependeat, quod etiam Arist. 1. Metaph. cap. 1. approbat.

XI.

Adjunximus porrò universæ naturæ, hanc proprietatem, quòd una in se esse debeat, cui sententiæ hac ratione innitimur. Si enim Vniversale divisum in se, sive ratione sui principij immediati esset, in plures sui similes formas; revera nihil esset, & proinde hæc natura Vniversalis distincta & separata, participaret huic individuo alia alteri, & tùm, non unum commune multis, sed multa communia multis essent. Liquet autem, hanc ipsam naturam ita sumi unam, & univocè prædicari, si ea unam & eandem observat in omnibus rationem: ac ideò eandem unâ notione & specie percipi, quòd in se sit una. Ex his sequitur, talis Vniversi, quod esset in se divisum, scientiam non esse, ut etiam cujusvis individui.

XII.

Quapropter, uti diximus, Vniversale univocum esse debet, & univocè prædicari, continens sub se omnia individua, neq; ab his sejunctum, sed ut Vniversalis cognitio sit singularium cognitio; cùm hæc eâ ratione sub scientiam cadant, qua participant una quadam natura, quæ cùm una sit, communis etiam est.

XIII.

An autem hæc una & communis multis natura, præcedente operâ intellectus fiat, an maneat in rebus æterna? non nostram esse videtur hac de re sententiam ferre, cùm sub judice lis sit, plurimaq; gravissimorum autorum disce-

ptationes passim extent. Divus enim Thomas & Philoponus, cæteriq; multi doctissimi Viri in hac sententia sunt: Vniversale non confici priùs, quàm opera intellectus à singularibus abstrahatur. Alij verò contrarium tuentur, inter quos est Scotus, & cæteri, qui eum sequuntur: nempe, idem Vniversale ante operam intellectus esse in rebus. Quorum utraq; pars non sine acutissimis rationibus. Itaq; neq; nostrum est, tantas componere lites, neq; de ijs judicare, quorum scientiam meritò suspicimus & admiramur.

XIV.

Neq; etiam his in rebus temerè judicandum esse, quæ ad efficiendam in animis nostris intelligentiam spectant, pulchrè M. Tullius monet: ne enim aut superfluè & vanè addita & ficta in corda nostra reponamus; aut aliqua eorum, quæ ad illustrandam & consequendam veritatem pertinent, ab ijs, qui bene dicta malè interpretantur impiâ fraude, neglecta & omissa, nos etiam omittere cogamur.

XV.

Tali porrò fœdere & nexu copulata Vniversalia suis individuis adhærent, ut, quamcunq; ea naturam sortiantur & induant, eandem quoq; ipsa Vniversalia sequantur. v. g. Si Socrates, Plato, & cæteri in Prædicamento Substantiæ sint, universum quoq;, scilicet HOMO, in eodem Substantiæ prædicamento erit; & in qua Categoria homo, leo, equus, in eâdem erit Animal, de quo Aristoteles Metaph. lib 7. cap. 6.

XVI.

Consuevit etiam à quibusdam Vniversale, Prædicabilis nomine nuncupari, forsan id rationis sive causæ est, Quòd omne quod aptum est esse in multis, simile sit ei, quod in multis sit prædicabile, sicut & aptum prædicari de multis. Sed nos, utrum Prædicabilis, an Vniversalis nomine hæc natura una & communis nuncupetur, nihil interesse arbitramur.

XVII.

Constituimus autem numerum Vniversalium ab omnibus passim receptum Gymnasijs & approbatum, nempe quinque esse Vniversalia: Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, Accidens. *Quamvis Aristoteles 1. Top. c. 3. Differentiam, ut generale quiddam Generi adjunxerit; Sed hæc quæstio ante sæcula Theognidis, ut ait Lucilius, nodis omnibus esse resoluta videtur.*

XVIII.

Neq; defuere sententiarum & opinionum auctores, qui ex dicto loco Aristotelis 1. Top. c. 3. sextum Vniversale, nempe, Definitionem adjicerent, & proinde hi excessu, illi defectu, medio non servato laborant. Sed hanc opinionem ipse ibidem Aristoteles diluit, quòd nimirùm, illa dicto loco eo fine tradantur, non

quate-

quatenus ſint naturæ Vniverſales, ſed quatenus ſpectant ad varios efficiendos modos & genera Quæſtionum Dialecticorum.

XIX.

Omne autem Vniverſale inductionis quoddam ſpecimen in ſe recipere conſtabit, ſi rei propoſitæ ſtatus æquioris ſtateræ ponderetur. Ex eo enim, quæ prædicata omnibus ſpeciebus competunt, eadem quoq; Generi competere dicimus, & ex eo, quòd hæc omnibus individuis conveniant, probamus, Speciei quoq; convenire. Hinc quòd homo, leo, & ſimiles Subſtantiæ ſenſiles ſunt, animal quoq; ſenſus habere dicimus: Et inde, quòd Petrum, Paulum, cæterosq; diſciplinæ capaces compertum ſit, hominem quoq; diſciplinæ eſſe capacem inducimus. quod enim in ſingulis demonſtratur, in univerſo etiam relinquitur demonſtratum.

XX.

Sed in hac præſenti tractatione noſtra dubitatum à nonnullis reperimus, Vtrum poſſit talis dari in natura Vniverſalium regreſſus, ut, cùm illa ex ſingularium inductione cognoſcantur & manifeſtentur: Vtrum etiam contrario inveſtigandi modo, per ipſius Vniverſalis cognitionem, Singularium quoq; Individuorum ſcientia ſeu cognitio aperiatur?

XXI.

Vt aliorum opiniones omittamus, noſtra hoc in negocio ſententia eſt: Enimverò aſſerimus, talem in Vniverſalibus & dari & eſſe regreſſum: cùm enim hominem eſſe diſciplinæ capacem dicimus; ſimul etiam, quamvis tacitè per diſcurſum intellectus progredimur, atq; ita per hanc intellectus reflexionem Socratem, Platonem & ſimiles diſciplinæ eſſe capaces, judicamus: Tùm etiam, cùm omne animal pulmonem habens reſpirare dicimus, hominem quoq;, equum, & cætera ejusdem rationis reſpirare, neceſſum eſt aſſignemus.

XXII.

Ad eundem planè modum Ariſtoteles 1. Metaph. c. 1. dixiſſe videtur. Ex eo enim, inquit, quòd Calliæ, Socrati febricitanti, aut aliquo morbo laboranti, cæteriſq; individuis juvamini fuiſſe compertum eſt, in nobis ex hac ſingularium collectione & coacervatione de ſimilibus opinio naſcitur.

XXIII.

Quoniam verò dubitari poſſet, num ipſum Vnivocum univerſale (ut definitum eſt) non quidem ratione ſuæ internæ ſed externæ eſſentiæ; cùm jam ſupra declaratum ſit, id, prout eſt in ſe unum, dividi non poſſe. Quare operæ precium fore exiſtimavimus, ſi pauculæ de ejus diviſione Autorum ſententiæ in medium proferantur, quò res, quæ indagatur, evidentior luculentiorq; exiſtat. Maximè verò cùm id Diviſio præſtet, ut rectiori ordine & modo, ad cætera tam venanda quàm illuſtranda accedamus.

XXIV.

Primariò itaq; opinionem eorum ponimus, qui Vniverſale in Corporeum & Incorporeum diſtinguebant: & ſub corporeo quidem res corpori & materiæ ſubjectas, ſub incorporeo verò Intelligentias, cæteraq; ejusdem Generis, quæ corpore & materia ſubſtantiali vacant, comprahendentes.

XXV.

Secundariò verè, quæ potior nobis videtur: quæ dividit Vniverſale in multa, &, poſt multa. Hæc & omnium Philoſophorum communis ſententia eſt, tùm etiam à Zabarella doctiſſimo Viro approbatur, commentario in librum primum Ariſtotelis de Demonſtr.

XXVI.

Hîc obiter admonere viſum eſt, tertium etiam Diviſionis modum, qui dicitur extra multa, à Platonicis addi, ut refert idem Logicorum Ariſtotelis interpres, aliiq; permulti, qui Vniverſalium interpretationi manum adhibuêre. Sed hunc & ægrè dari in rebus, liquidò conſtat, &, ſi datur, profectò ut ſuperfluus datur, & talis, ſine quo tutò Vniverſales naturæ conſtitui poſſint.

XXVII.

Eundem etiam modum Ariſtoteles impugnare videtur libro 1. Poſter. cap. 8. his verbis: Formas igitur eſſe aut unum aliquid, &c. quamvis Platonis nomen reticeat, & dicit ibidem, hanc Platonis additionem modi, potiùs ſervire diviſionis modo (in multis) quàm (extra multa.) Sed videamus exactiùs.

XXVIII.

Si enim ad Vniverſale hanc potiſſimùm ob cauſſam confugimus, ut per ejus ſcientiam Singularium ſcientiam conſequamur; Ergò Vniverſalis ignoratio, efficiet ſingularium ignorationem, & contrà ejus cognitio, ſingularium efficiet cognitionem, ut ſupra declaratum eſt.

XXIX.

Proinde detur tale Principium, quod extra ſit; idem diverſum dari neceſſe eſt, ſi extra ſit, neq; enim aliquam communionem cum ſingularibus habebit. Et quamvis ſciri poſſit, illius tamen (cùm diverſum ſit,) cognitio non efficiet ſingularium cognitionem. Cùm itaq; per hoc principium Vniverſale, ſcientia ſingularium non detur, jure profectò & ab his primis duobus alienum, & inutile putabitur.

XXX.

Verùm hoc apertius fiat, ſi illos modos ſeu Principia in Multis & poſt multa definierimus.

XXXI.

Itaq; In Multis Vniverſale, eſt Natura communis ab individuis aquè participata, & quæ eſt ſingulis individuis immediatè inſita, v. g. natura humana, quæ

na, quæ omibus individuis & singulis hominibus participat, ob idq; communis dicitur, quòd omnibus sui communionem præbeat.

XXXII.

Signum autem est, quòd hæc natura una & communis multis participet ijs, quæ suum esse quodammodo referunt. Neq; enim mens nostra accipit eandem Specialem notionem ex Socrate & colore, quam ex Socrate & Platone. Causa hæc potissimùm est, quòd hi inter se participent communione naturæ, quod colori aut simili extraneo & longè petito non accidit subjecto.

XXXIII.

Vniversale verò Post Multa illud appellamus, quod ex pluribus individuis tanquam speciem specialissimam colligimus. Ex eo enim, quòd Socrates, Plato, & cæteri morti & corruptioni obnoxij sunt, hominem quoq; & morti & corruptioni subjacentem concludimus, qua de re latiùs Thesi. XIX. & sequenti.

XXXIV.

Ex his porrò nobis videndum erit, utrum etiam eorum dari possit, prout Vniversalium & æternorum, scientia, quæ ab Aristotele nominantur sæpe factâ cùm dicit 8. cap. 1. de Demonstr. Demonstrationes autem & scientiæ eorum, quæ sæpe fiunt, &c. De his enim dubium nullum esse videtur, quæ ab Aristotele loco citato necessaria & æterna appellantur.

XXXV.

Nostra sententia est. Eorum, quæ sæpe fiunt, ut Eclipsis Lunæ, si non secundùm existentiam extra animum, sed secundùm Vniversalem naturam consideremus; & scientiam dari Vniversalem & æterna nuncupari posse. Quod etiam verba Aristotelis declarant, cùm dicit, quatenus tales, id est, quatenus sunt Vniversales, non particulares.

XXXVI.

Ratio verò, cur hæc statiù tantùm temporibus existant; est: nimirùm, quòd ab externis causis procedant, quo fit, ut absentibus causis illa quoq; absint. Et hac ratione in virtute & potestate causarum sunt, semper enim Luna potens est Eclipsin pati, & semper terra est, quæ Lunæ objici potest, ne Solis radios recipiat. Atq; hæc eo respectu, quo diximus, Vniversalia esse existimamus.

XXXVII.

Hîc autem percontari & inquirere licet, utrum illud axioma verum, an tantùm probabile sit, quòd Ablatis Singularibus auferantur Vniversalia? Explicatis itaq; de hac Quæstione aliquot opinionibus, finem labori imponemus.

XXXVIII.

Itaq; duæ de hac proposita Quæstione opiniones fuere. Prima eorum, qui sublatis singularibus non auferri universalia dicebant, sicut neq; ablatis omnibus

mnibus Speciebus aufertur Genus, ut non inſcitè Porphyrius. Ad ejusdem etiam ſententiæ probationem & fidem illud Ariſtotelis adducebant, Vniverſale certum & æternum eſſe debere.

XXXIX.

Huic oppoſita fuit eorum, qui ſublatis ſingularibus auferri Vniverſale dicebant. Prout enim ablatâ causâ aufertur cauſatum, & ablatis ſimplicibus auferuntur compoſita ex eis; Simile quoq; videtur in Vniverſalibus, quæ quandam compoſitionem ſeu ſtructuram ex ſingularium collectione continent, ut ablatis illa quoq; auferantur. Idem in rebus artificialibus apparet, v.g. ablatis ligni, cementi, lapidibus, ipſum quoq; ædificium auferur.

XL.

Noſtra inter hæc ſententia media eſt: Dicimus enim, Vniverſale manere ſecundum ſuam peculiarem naturam ablatis ſingularibus, ſed imperfectè, nempe, donec rationem eſſendi, quam immobilem & certam obſervare debent, continuent. Neq; huic contraria eſt Doctrina Ariſtotelis.

Prius armis luſorijs, quàm decretorijs uſi ſumus, ut ait Seneca.

PARERGON PRIMUM.

REctè vulgò dicitur: exemplorum non requiri veritatem.

II.

Magis & Minus mutant ſpeciem?) (Magis & Minus non mutant ſpeciem.

III.

Demonſtrátio dijudicanda eſt non à medio, ſed à problemate.

IV.

Aurum ex metallis eſt nobiliſſimum:) (Aurum ex metallis non eſt nobiliſſimum.

V.

Definitio iſta Animæ: Eſt Entelechia corporis Phyſici organici: rudis eſt, & imperfecta.

VI.

Paradoxon quidem, nihilominus tamen verum cenſemus illud Thucydidéum: Hebetiores utplurimum Remp. meliùs adminiſtrare acutioribus.

VII.

Leges accommodandæ ſunt Reip. non Reſpublica legibus.

PHILIP-

Digitized by Google

PHILIPPI SCHERBII.

ARTIS APODICTICÆ FRAGMENTA.

Respondit Johannes Czaplio, à Szpanovv, Polonus.

Mens. Septembr. cIↃ IↃ cIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

THESIS I.

IN ingressu cujusque methodi, ferè constitui solet, quid sit id, de quo agitur, sive, quid sonet vox unaquæque.

II.

Semper quidem, ut lumen præferatur consequentibus: v. g. 1. Top. explicatur, qua significatione in hac arte usurpetur nomen GENERIS, *Proprij, Definitionis, Accidentis: quæ quidem pertinent, ut ait Alex. ad* τεχνολογίαν. *Ita apud Matthematicos in limine scientiæ constituitur, quid apud ipsos intelligatur vocabulo puncti, lineæ, &c.*

III.

Interdum tamen, etiam ob eam causſam (quod solenne in Physicis) ut Definitio Nominalis, & Causſam habens, ideóque Demonstrabilis, posteà per Essentialem demonstretur.

IV.

Hujus Nominalis & Demonstrabilis Definitionis VIRTUS *est apud Galenum, ut omnibus nota sit, qui eâdem lingua utuntur, & rei essentiam non attingat: cujus tamen suos quoque gradus agnoscere oportet.*

V.

Ignorantia igitur est Analytices (certè quidem in Physicis) Essentiales Definitiones statim ab initio, Legislatorum more, statuere, & quasi sancire.

VI.

Nam in his, Nominales quoque ipsæ, si non satis claræ sint, autore Galeno, διορθώσεως *quadam mitigandæ sunt. Unde etiam Admonitiones dici solent.*

Digitized by Google

VII.

Immò Essentiales, sæpè non sine caussa, penitus à Galeno prætermittuntur: v. g. de Differentiis Febrium, de intemperie inæquali, de Puls. diff.

VIII.

Quocirca malè autor ad Thrasybulum (qui ex familia Stoicorum esse videtur) significationes nominum prope ad extremum denique explorat. Hoc nimirum est laternam gestare à tergo.

IX.

Pejus illi, qui necessitate & evidentia Disputationis concluſi, commentitiis verborum significationibus, fugam quærunt, & minis ἀκυρολογίας & περιττολογίας sese circumfundunt, quasi sepiæ sparso atramento.

X.

Non etiam infrequens est, vocabulum aliquod in ore habere, & tamen notionem ei subjectam ignorare: quod Galenus ait fieri in vocabulo Plethoræ.

XI.

Hæc, aliaque non pauca, necessaria sunt, si scientias consideremus, quatenus sunt doctrinæ & disciplinæ quædam: fortassis non adeò, quatenus sunt rerum imitationes, & humanæ mentis solitariæ perfectiones.

XII.

Iam assumenda etiam sunt τὰ ἐναργῆ καὶ τὰ φαινόμενα, clara vel intellectui, vel sensui.

XIII.

Communes κοινὰς, *quæ evidentes essent Intellectui, valdè jactarunt olim Stoici: sed Plutarchus sæpè his ipsis, delicia eorum resellit.*

XIV.

Sensui nota (ut in Physicis) historiam flagitant terræ motuum, æstus maris, ventorum, cometarum, metallorum, fossilium, stirpium, animalium sanguineorum, exanguium, terrestrium, volatilium, piscium, serpentium, insectorum, testaceorum: denique suam cujusque generis.

XV.

Turpe certe, immò ἐξύμωρον est, τὸ διόλου quærere, & causssas rerum naturalium profiteri: interea quomodo τὸ ὅλον ἐστὶ sese habeat, neque experientia, neque lectione, tantillum cognovisse.

XVI.

In quo genere, sæpè Venatores, Piscatores, Metallarij, Nautæ, Agricolæ, aliique, in ruborem possent dare, tales è schola sapientes.

Valent

XVII.

Valent hæc ad καθόλου Apodicticum rectè conſtituendum. Quomodo enim rem universè tractabimus, ſi quæ cognata ſint, & quæ aliena, id eſt, quæ in genere conveniant, & quæ non conveniant, ignoraverimus? At hæc, talium rerum hiſtoria, commonſtrat.

XVIII.

Valent eadem, ad Principiorum quorundam collectionem. Non enim ſolùm ea, quæ res conſtituunt, ſed etiam alia ex evidentibus, & rem unamquamque conſequentibus collecta docendi Principia, uſurpanda nobis ſunt.

XIX.

Valent item, ad abditarum cauſſarum inveſtigationem, earúmque pleniorem cognitionem. Sic Averrhoes adverſus Algazelem: Nunquam ſciemus quid ſit intellectus, donec ſciamus quid ſit Anima; neque unquam ſciemus quid ſit Anima, donec ſciamus, quid ſit Animatum.

XX.

Valent denique, ad τέλειον Φιλόσοφον, & totius Methodi rectam veritatis dijudicationem.

XXI.

Ex quibus facilè perſpicitur, Philoſophum non ſolùm ingenioſum, neque ſolùm Analytices artis peritum eſſe oportere, ſed etiam eruditum.

XXII.

Porrò autem, in genere ſubjecto conſtituendo, ut errores ab Ariſtotele oſtenſos evitemus, magna cautio eſt. Locus enim eſt, multorum haud ignobilium ingeniorum naufragii, valdè infamis.

XXIII.

Parum emunctæ naris ſunt, qui hîc τῶν τοπικῶν ὀνομάτων κοινότητα, ſibi patiuntur fucum facere.

XXIV.

Τῶν ἀξιωμάτων locus eſt, ſi vel in inferiori ſcientia, vel in parte aliqua methodi verſemur: quamvis hoc nomen etiam aliis Principiis tribui poſſit.

XXV.

Quàm multiplex verò ſit varietas fundamentorum in Scientiis (ſi eorum cognitionem & declarationis neceſſitatem ſpectes) ſatis docent libri Ariſtotelis de Motu, qui principia & prima Elementa, quò demonſtrationes Phyſicæ ad extremum reducantur, proponunt.

XXVI.

Laudat Galenus Methodum Platonis, ab Hippocrate propagatam, eamq; proponit his verbis: Igitur de Natura conſiderare, quid eſt, quod Hippocrates re-

Ita quæ ratio dicit? Num ad hunc modum, de cujusque rei natura primum illud perpendi oportet, sine, de quo volumus vel ipsi scientes esse, vel alios facere scientes posse, simplex, an varias species habeat? Mox, si simplex sit, facultas ejus tota æstimanda est, quam videlicet ad quid agendum obtineat, aut quam ad patiendum ab alio sit sortitum. Sin plures habeat species, his enumeratis, quod in una fecerit, id in unaquaque exigere oportebit: nempe quid illa facere per suam naturam sit apta, vel quid ab alio pati.

XXVII.

Etsi verò quidam magni viri, hæc ad solas artes contrahunt: nos tamen nondum videmus, quam ob rem non omnibus Methodis, analogiâ quadam, accommodari possint.

XXVIII.

In progressu ad τὸ τί ἐστι, videndum diligenter, sine id, cujus prædicata Essentialia quærimus, homonymum, analogum, ab uno, synonymum: ne fortè λελιὴ σαθμὴ nobis objici possit.

XXIX.

Progressus autem hic fit, nunc quidem Divisione, nunc collectione attributorum, ex communi hominum notione.

XXX.

In his ascensus Aristoteli tutior videtur, quàm descensus.

XXXI.

Vitanda enim magnopere est volitatio illa in nubibus, quam Aristoteles Socrati 1. Pol. quasi exerto digito ostendit: & in Analyt: Magnanimitatis exemplo illustravit.

XXXII.

Ne quid verò nos fugiat, non solùm Principia Essentiæ, sed etiam generationis, oculis erunt subjicienda. Ita enim occasio dabitur, quasdam causas inquisitionem vocandi, quæ aliàs nulla commodè daretur. Sic Aristoteles γένεσιν civitatis 1. Polit. non temerè introduxit.

XXXIII.

Videndum hic quoque cum cura, ne Prædicata primi modi per se, cum iis, quæ secundi modi sunt, confundamus.

XXXIV.

Vulgare præceptum est, in Definitionis investigatione, oculos non esse amovendos ab eo Prædicamento, in quo τὸ ὁριστὸν repositum sit.

XXXV.

Atqui Differentias Accidentium, esse in alijs Accidentium Prædicamentis, etiam tyronibus artis Logicæ jam notum est.

Differen-

XXXVI.

Differentiæ autem ſubſtantiarum, ad λόγον καθ' ὃν pertinentes, ex Accidentium item Prædicamentis petendas eſſe, verbo hic liceat admonere.

XXXVII.

Quid enim? Nónne ſi ad corpus ſimplex acceſſerit hoc, ut ſit Principium Mixti, dicitur jam, & eſt, Elementum? At Principium eſſe, eſt AD ALIQUID.

XXXVIII.

Idem poſſemus dicere de alimento, medicamento, veneno, monſtro, aliis.

XXXIX.

Sed miſſis hiis, cogitemus ſaltem ἐν παραδείγματι, unde Animalium Differentias ſumat Ariſtoteles: adeòque verba ipſius ponamus: Animalium, inquit, Differentiæ, aut per vitas, aut per actiones, aut per mores, aut per partes conſtitui, dignum eſt.

XL.

Neque Theophraſtus de Plantis, à magno magiſtro degenerávit. Ita enim is: Plantarum Differentias, reliquámque naturam, ex partibus, affectionibus, generationibus, vitiſque petere oportet. Mores enim & actiones, quemadmodum Animalium genus, minimè Plantæ ſortiuntur.

XLI.

Faceſſant hinc argutiolæ, Partes eſſe ſubſtantias. Non enim Partes, Animalium ſtatuuntur Differentiæ: ſed habere has aut illas Partes, aut non habere: quæ ad Prædicamentum τοῦ ἔχειν pertinere, pueri quoque Logicorum Elementarij, norunt.

XLII.

Eodem modo, non victus & alimentum, Differentia eſt, ſed naturaliter appetere, & in ſubſtantiam ſuam convertere poſſe, hoc vel illud genus alimenti, hoc item vel illo genere cœli aut aquæ, juvari. At hæc ad δύναμιν aut ἀδυναμίαν φυσικὴν, aut etiam aliò, rectè reducuntur.

XLIII.

Verùm hæc propter Definitiones & Diviſiones, prætereundo tantùm monemus. Fons ipſe adeundus eſt, 7. Metaph. & 4. Meteorolog.

XLIV.

Sit hic pars quoque curæ noſtræ, ex 5. Phyſicorum: Ne Differentias cum iis, qui modi potius ſunt, commiſceamus.

XLV.

In Diviſionibus ad hæc eadem reſpiciendum: & opera danda, ne aut

Ἐξεχίαι, ad minuta & inter cogitandum evanescentia membra, prolabamur: aut, stupore ingenij, rem minus subtiliter & partitè exequamur.

XLVI.

Duplex enim Genus cæcitatis, facilè ab igne Phaëthonteo inferri solet, vel ut cernamus ea, quæ non sunt, vel ut ea, quæ sunt, non cernamus, aut saltem non discernamus.

XLVII.

Memores nos hic quoque esse oportet doctrinæ Elementaris Aristotelicæ & Galenicæ, eáque utendum: bono tamen modo.

XLVIII.

Curæ item summæ sit, ne cognatas species malè disjungamus: in quo sæpè laborat sapientia.

XLIX.

Neque in eorum incidamus stulticiam, qui aut membris Divisionis, aut ejus tantùm vocabulis mutatis, rem se novam invenisse, clamare solent: quasi pueri, cum invenerunt id, quod est in faba.

L.

Pulcherrimum de Divisionibus Galeni præceptum est: Conscripturus aliquid, inquit, à rerum incipias Differentia, non autem nominum: tum ostendas quatuor, exempli gratia, esse res, quæ in vicino sunt positæ: pòst, ut demonstratione confirmes, neq; plura, neq; pauciora esse, quàm quæ in proposita disceptatione contineantur: postremò, ut accommodato rerum cuiq; suo nomine, sic reliquum sermonem absolvas, nec mutans dehinc, nec transferens nomen ullum: sed cui rei ipse ab initio imposueris, de eadem perpetuò usurpans: quippe ita & dilucida doctrina efficitur, atque à cavillationibus, quas homonymia parit, libera: & quod frustra est additum, facilè deprehenditur, & quod deficit, citò invenitur, & quæ consonant, dissonántque, maximè in ejusmodi explicationibus exactè discernuntur.

LI.

Partes & Totum, quà talia, sub eandem scientiam cadunt. Non tamen necesse est, Totum perfectè cognoscamus ante Partes: sed satis est, si adumbratam & rudem illius intelligentiam habeamus.

LII.

Neque verò rursus Partes necesse est prius perfectè cognoscamus ante Totum: quamvis ad perfectam Totius cognitionem, necessaria sit cognitio Partium.

LIII.

Itaque hîc, modò à Parte, modò à Toto, unde facilius quis discat, doctrinæ sumitur initium. Perfectè utraque simul cognoscuntur.

In ve-

LIV.

In veris Generibus & Formis, an eadem est ratio? An Genera duplicem habent considerationem, & quatenus Essentiam significant, & quatenus dicuntur universè?

LV.

Sic in iis, quæ propinqua sunt Generibus, & in aliis Totius rationem habentibus, multiplex illa varietas spectanda est.

LVI.

Vbi jam τῶν Φαινομένων caussæ reddendæ, videndum: ne ignotis ignota connectamus: multò magis, ne ignotioribus.

LVII.

Videndum etiam: Ne utamur communibus.

LVIII.

Ne alienis.

LIX.

Ne circulo.

LX.

Ne omnia caussarum genera ubique exquiramus.

LXI.

Ne τὸ Δραστικὸν Finis, & Efficientis, ejusdem generis esse putemus.

LXII.

Ne ad Finem omnia referamus.

LXIII.

Quædam potius statuamus, sequi ex necessitate materiæ.

LXIV.

Neque cum vulgo hic satagamus, in quærenda caussa eorum Efficiente.

LXV.

Non finamus etiam, nobis irrepere Relationum fundamenta, pro caussis Efficientibus.

LXVI.

Non Caussatum, pro caussa.

LXVII.

Discretè item agamus, de caussâ τῆς δυνάμεως παθητικῆς, & de ea, quæ est τῆς ἐνεργείας: sive de caussâ ἐντὸς, & ἐκτὸς.

LXVIII.

Caussa item Particularis, ne nobis imponat, pro universa: Logica scilicet (ut loquuntur) pro Analytica.

Caussa

LXIX.

Cauſſa quinetiam, ſine qua non, pro Adæquata.

LXX.

Neque in harum Analyſi nimiũ nobũ placeamus, ſi altius aſcenderimus. Cauſſæ enim altiores, fortaſſis ſuperioris ſunt Methodi.

LXXI.

Infixum adhæc animo noſtro ſit, ne philoſophemur Metaphorũ, Imaginibus, Allegoriis.

LXXII.

Analogias tamen prudenter adhibitas, ad docendum & diſcendum, ne rejiciamus.

LXXIII.

Neque δύναμιν ἀνθλογικὴν credamus eſſe id, quod ſapientem conſtituit.

LXXIV.

Altè etiam in pectus demittamus Ariſtotelicum illud: Non ſatis eſſe ad dogmata noſtra conſtituenda, adverſariorum rationes evertiſſe. Suis enim propriis fundamentis, methodum unamquamque exſtruendam.

LXXV.

His omnibus, multisq; aliis, ope Ἀναλύσεως benè peractis, poterit jam ὁ νοῦς (unde prima colligendi principia ſuppeditata ſunt) in altiſſimam ſuam ſpeculam redire, & quæ διεξοδικῶς, & quaſi in materiæ ſeminibus diſperſa vidit, ea una ſynopſi intueri: atque adeò, memoriæ cauſſa, in Definitionem, omnibus numeris abſolutam, convertere.

LXXVI.

Nominum curam, in toto doctrinæ curſu, aliquot locis commendat Galenus: non pauci tamen vituperare videtur, immò in Meth: med: μικρολογίαν appellat.

LXXVII.

An nominum ἀκρίβεια, tunc ſolùm eſt neceſſaria, cùm alios docere inſtituimus?

LXXVIII.

Præterea, an hoc ipſum eo tantùm loco neceſſarium, ubi ex profeſſo propoſitum eſt τὸ Διαιρεῖσθαι?

LXXIX.

Sed hic non parum refert, ſisne tu primus, qui artem aliquam conſcribas, an cogaris nominibus jam receptis uti.

LXXX.

Non ſolùm autem in nominibus, clarioris doctrinæ cauſſâ, à populari conſuetudi-

ſuetudine interdum diſcedimus, ſed etiam, eandem ob cauſſam, in definiendo, dividendo, demonſtrando, regulam Ariſtotelis ſequimur: Inde, unde quis facilius diſcat.

LXXXI.

Themiſtij ſententiam, demonſtrationem rem ipſam ſpectare, non noſtrum intelligendi modum, accipimus de Regreſſu, & de mente rerum cognitione jam gravida, & de colloquio ſapientis cum ſapiente.

LXXXII.

Signum inventæ veritatis habetur, ſi rei propoſitæ difficiles quæſtiones, expoſitis fundamentis, facilè ad exitum perducantur.

LXXXIII.

Averrh: in in Phyſicis ſtatuit hoc: ſi ſermones rebus ſenſatis reſpondeant.

LXXXIV.

Habet id veritas, ut ipſi omnia undique conſentiant: non tamen videtur hoc retrò commeare, ſi prima extremis, extrema primis, media utrinque conſonent, ut ſtatuere jam poſſimus, veritatem eſſe ex profundo ſuo puteo eductam.

LXXXV.

Naturâ oportet Philoſophum eſſe εὐσταλῆν: & veritatis μανίᾳ ἐρωτικῇ flagrare.

LXXXVI.

Oportet etiam eum, non ſolùm λόγῳ uti θεωρητικῷ, ſed etiam Φρονήματι eſſe ταπεινῷ, ut ait Alex: Nimirum, ut in Practicis, & in officiis præſtandis (ſacris præceptis ita jubemur) cùm omnia fecerimus, nihilominus fatendum, inutiles nos eſſe ſervos: ita in Theoreticis, ex animo agnoſcendum, nos in quibusdam caligare, in quibusdam cæcutire, in quibusdam planè cæcos eſſe, in nonnullis etiam inſanire.

LXXXVII.

At quid hodie plerique omnes? Quid? Audebo dicere verbis Galeni: Fidenter de quibusque quæſtionibus loquimur: nihil tàm verentes, quàm ne aliqua de re dubitaſſe videamur.

(o)

PHILIPPI SCHERBII.

DISSERTATIO,

Pro Philoſophia peripatetica, adverſus.

RAMISTAS.

CAPVT I.

Moderatio judiciorum juvenilium ſuadetur: & de libertate Philoſophica.

VEtat Hipp. cum imperitis ægrotis multa de morbi cujusque cauſis diſputare: ne arti calumnijs alioquin nimis objectæ, aliquid authoritatis ex ea re decedat. Ego igitur quoque cum tironibus ſapientiæ, de origine iſtius ſive ſcabiei, ſive vertiginis, ſive phrenitidis, (alijs enim aliter appellare placet) quæ hodie ferè epidemica eſt, & Rami Philoſophia vulgò vocatur, non tàm diſputare inſtituam, quàm ſummam medendi rationem, digitum ad fontes indicationum intendendo, oſtendam. Mihi quidem ſæpiùs jam cum talibus ægris verſanti, hoc propè pathognomonicum morbi hujus ſignum videtur: Faſtidium ingens, & contemptus quidam inſolens, omnis veteris Philoſophiæ, cum perpetuo innovandi pruritu conjunctus. *Symptoma, ut verè dicam, conſimile admodum ei, quod eſt interdum in mulieribus gravidis, quæ magna cacochymia oppreſſæ, optimos & ſaluberrimos cibos negligunt, ac eorum loco, cærbonibus & cineribus paſcuntur. Verùm priusquam ad medendi methodum accedamus, præmuniendum videtur illud, quod eſt apud ſapientiſſimum Platonem: Si vis, inquit, curare oculum, oportet prius cures caput: ſi vis curare caput, oportet prius cures corpus: quod ſi vis curare corpus, oportet prius cures animum, id eſt, temperantiam ægro perſuadeas. Plerumque enim ſublatis animi morbis, ſalus in corpus quoque redundat.*

Ergo & nos primum omnium temperantiam, id eſt, moderationem quandam juvenilium judiciorum à ſanabilibus, (inſanabiles enim & deplorati, ut docent medici, prognoſticis ſunt relinquendi) impetrare cupimus. Eſt autem

ea in

Digitized by Google

ea in hac præcipuè re ſita: Non eſſe fœdam & turpem quandam ſervitutem, ſi quis in cunis adhuc Philoſophiæ jacens, & vix dum balbutire incipiens, ſequatur (tanquam vocem nutricis) auctoritatem eorum, qui tot jam ſeculis ſapientes habiti ſuerunt. Conſideremus hanc rem, ſi placet, in civili prudentia, negotiorumque quotidianorum tractatione, tanquam in rebus vulgò notioribus. Majores noſtri, ait Cicero, voluerunt fœminas eſſe in tutorum poteſtate, propter infirmitatem conſilij, ſive, ut loquitur Ariſtoteles, quia τὸ βουλευτικὸν in illis eſt ἄκυρον. recte. ijdem majores voluerunt etiam juvenes eſſe usque ad certos annos in tutorum poteſtate: quia, ut idem Philoſophus dicit, τὸ βουλευτικὸν adhuc in illis eſt ἀτελές. Quod ſi igitur adoleſcens his annis prudenti & benè monenti obediat, túne eum miſeram & abjectam ſervitutem ſervire dices? Meliora quæſo. Quin hoc accipe: Tantum abeſſe, ut hæc turpis quædam ſervitus ſit, ut nulla major in eam ætatem laus & perfectio cadere poſſit. Accommodare enim ſuas cogitationes & conſilia, prudentum conſilijs, eſt ſe ijs, imitatione quadam, ſimilem reddere: in qua quidem imitatione, rerumq; inferiorum cum ſuperioribus conformatione, Philoſphi hujus totius mundi perfectionem conſtituunt. Hoc tu mihi transfer jam à prudentia ad ſapientiam, mentemque theoreticam. In hiis enim non minus, immò multò magis, & longiori etiam tempore, juventus ſapientum tutorum præceptis, & dictatis, indiget. Nam ut eſt apud Alex: Aphrodiſienſem, νῦς θεωρητικὸς, longè tardiùs, quam πρακτικὸς hominibus accedit: neq; ſolum tardius. ſed etiam, multo paucioribus: ſiquidem omnibus temporibus plures fuerunt prudentes, quàm ſapientes. Plato quidem eum beatum prædicat, qui vel in ſenectute veritatis (quam Philoſophia theoretica profitetur) poſſit eſſe particeps. Atque is idem Philoſophus alibi: Animi virtus, inquit, non prius floreſcit, quàm corporis virtus defloruerit. & alter è Græcia ſapiens: Viget corpus quidem, à trigeſimo ætatis anno, usque ad trigeſimum quintum: Animus autem circa undequinquageſimum. At enim, dices, tutores ij, ſub quorum poteſtate & ſapientia vis me eſſe, ipſimet pueri ſunt: exceſſerunt quidem pueritiam, ſed non puerilitatem. Ah! non deſinis præcipitare judicium? non deſinis juvenis eſſe? Mane quæſo: videbimus poſtea, Túne an illi, ſapientiores ſint: Nunc hoc cogita: puerorum, ſi res benè cadat, eſſe memoriam: juvenum, qui εὐφυέστεροι ſunt, acumen in communibus quibusdam λόγοις excogitandis: ſenum autem, judicium grave, & verè analyticum. Ut enim in rebus civilibus, longo demum uſu, oculus mentis nobis innaſcitur, quem vocamus prudentiam: ſic in theoreticis, ſeneſcentibus tandem, alter ſapientiæ oculus aperitur, qui eſt cognitio cognitionis, ſive judicium ſolidum, longa principiorum cujusque artis meditatione partum. At verò hoc ipſum eſt anima totius Philoſophiæ: hoc, doctum à ſemidocto diſtinguit. Quod autem

veritas adeò tardè eruatur, causa est, quoniam res intelliguntur intellectione recta: veritas autem earum, intellectione reflexa: quæ non nisi diuturna contemplatione, in quaque scientia fieri potest. Est quidem initium ejus valde simplex, & per se clarissimum. sed adeò multiplici rerum adhæsione involutum, ut nobis, qui natura duce externa potius spectamus, quàm interna, difficilis sit ejus evolutio. Atque hæc quidem ratio sine dubio impulit sapientissimum Pythagoram, ad imperandum discipulis suis, decantatum illud silentium. quippe, discentem enim oportet credere, non disputare Prorsus (ait Apuleius) hoc erat primum sapientiæ rudimentum, meditari condiscere, loquitari dediscere. Institutum profecto supra captum hujus analytizantis (Novis enim rebus nova nomina imponenda sunt) & prurientis ævi. Quid enim quæso hodie fit? An non juvenes, & loquacissimi sumus, & scribacissimi? Nonne excussa omni potestate tutorum, de summa sapientiæ, judicamus ij, qui ne pictam quidem (si vera dicenda sunt) Philosophiam unquam adhuc vidimus? Nimirum durat adhuc καθολικὸν illud θεώρημα, quod est apud Aristotelem: juvenilis ætatis hoc esse, putare se omnia scire, idque asseveranter confirmare. At cogitandum erat, quod est apud eundem philosophum: Animam fieri sapientem quiete: id est, sedatâ demùm ebullitone humorum, & capillis canescentibus. Laudo quidem ego quoque eam, quam doctores è nova schola semper in ore habent, libertatem philosophicam: sed laudo cum laudatissimo Pythagora, exactis aliquot silentij annis: omnibus locis Philosophiæ diu multumque lectis, relectis, tractatis, retractatis. Laudo etiam, si agas liberè, ut profiteris, non ambitiosè: in qua tamen culpa plerosque omnes videmus, quibus libertas hæc adeò jactata est. Quid enim aliud vis, ista tua summorum virorum liberrima depressione, quàm te unum extare, & eorum loco constitui? Immò verò ais, sacram veritatem ego volo: hæc mihi cura est. hanc unam colo: hanc unam veneror. Sacram ambitionem si diceres, crederem. Nam quî credam veritatis studio te duci, cum videam vix semel aliquem ex ijs, quibus reprehendendis conaris crescere, abs te levi pede percussum, idque non eruendo ejus sensus, sed repugnantias aliquas φαινομένας notando: Interpretes autem ejus, ne semel quidem. Atqui, ô vir optime, ne sis nescius, veterum scripta sunt, ut opulentissima quædam metalla, quorum in alto latet vena: assiduè plenius responsura fodienti: levium metallorum fructus in summo est. Cogita Galenum in philosopho requirere ἐμμελῆ μανίαν ad veritatem: & Ammonium, peripateticæ Philosophiæ studioso, imponere labores asininos. Quod si tu eorum tàm patiens non es: judicium igitur de talibus rebus suspende: linguam cohibe: noli juvenis eos condemnare, quorum sapientiam si senex ex ima semita suspicere posses, beatus esses: sin mi-

nus

nus quid aliud dicam, quàm vana quadam gloriolæ cupiditate ad ſcriptiones te adduci? Et Galeni illud jure in te uſurpabo, Ambitio perdidit artes.

CAPVT II.

Nonnulla de judicio ex Philopono, Gal: & Ariſtotele.

QVid mihi, dices (malùm) cum iſtis mancipijs interpretum, quaſi ipſe non poſſim analyſi mea adhibita, de rebus judicium ferre, verumque à falſo diſcernere: quaſi etiam non habeam in promptu ſacroſanctas illas leges veritatis, juſtitiæ, ſapientiæ De legibus his poſtea: De judicio, *quoniam id tibi ex neſcio qua analyſi, tam confidenter ſumis, combibe quæſo hæc ex officina Galenica & Ariſtotelica. Primùm Philoſophi munus ſummum, non tàm ſpectari, in dijudicando vero à falſo ſimpliciter, quàm in diſcernendis propoſitionibus apodicticis, topicis, oratorijs, & ſophiſticis. Immò Philop. ait, ſummæ hoc eruditionis eſſe, poſſe videre, cujusmodi propoſitionibus quidq; confectum ſit. Audiamus Gal. 3. & 4. cap. ſecundo de decret: Hipp: & Plat: Nihil enim aptius poteſt dici in noſtram philoſophandi rationem: Atque hac potiſſimum ratione ſcientiam pariens, ac demonſtrativum concluſionis aſſumptum ab oratorio, exercitatio & captioſo diſtat: de quibus quidem nullam prorſus neque artem, neque meditationem à Zenone & Chryſippo traditam fuiſſe ſatis liquet. Inde ſiquidem effectum eſt, ut in eorum libris omnis generis aſſumptiones confuſæ, nullo habito delectu commixtæ ſint, ſæpeq; præcedat, ſi ita inciderit, oratoria argumentatio, ſequatur exercitatoria ac diſſertatoria, deinceps ſcientiam efficiens, poſtremo loco, ſi ita ſors tulerit, captioſa collocetur: nempè quòd ignorabant, ſcientiæ effectrices ſumptiones, ad rei de qua ageretur ſubſtantiam referri, eumq; finem ac ſcopum habere. Ex reliquis igitur omnibus, quæ extrinſecus petuntur, ſumptionibus, eas quibus utitur dialecticus, tum ad exercitationem, tum ad ſophiſtas coarguendos, tum etiam ut de adoleſcentis profectu periculum faciat, eiq; ex animo fœtum educat, atque ad inventionem alicujus rei, dubitatione aliqua oblata, eum promoveat: eas inquam omnes, ſive diſſertatorias, ſive exercitatorias, ſive locales ac topicas tuo arbitratu appelles licet: de nominibus enim parum laboro: modo diſtinguere eas ab ijs, quibus ſcientia comparatur, ſummo ſtudio nitaris. Quæ autem ab ijs etiam remotiores ſunt, maximeq; exemplis, veri ſimilibus ſcilicet, ac civilibus rebus, inductionibusq; hujusmodi quibusdam, veleſtimonijs nitantur, utro libuerit modo, ſive probabiles, ſive oratorias dicere,*

„ non magnificiendum: Illud curandum, ut naturam ipsarum diligenter
„ agnoscas. Longissimè à rei, de qua quæstio sit, substantia, absunt cavillatoriæ
„ ac captiosæ. De quibus universis tractatum à veteribus sigillatim est: de ca-
„ villatorijs propositis, seu malis, pronunciatis, seu propositionibus, seu rationi-
„ bus (nihil enim ad præsens negotium interest) in captiosis coargutationibus,
„ quos elenchos appellant: de Oratorijs, in artibus Rhetoricis: de disceptato-
„ rijs in Topicis: de scientiam facientibus, in libris de demonstratione, quæ vi-
„ delicet secunda resolutoria ipsi inscripserunt. Quamobrem quicunque aliquid
„ conatur demonstrare, debet is prius sumptionum ipsarum differentiam probè
„ tenere: deinde multa diuturnaq; exercitatione id assequi, ut vel si aliquis di-
„ xerit, ex quo quidque genere sumptum sit, ex dicto agnoscat: vel si nemo di-
„ cat, statim ipse ad quamlibet rem propositam, accomodata possit invenire:
„ atque ut uno exemplo complectar: quemadmodum in supputandi arte fieri
„ consuevit, ita hic quoque faciendum. Supputator quis efficit caput, principio
„ numeros omnes, quos illi quadratos, vel parte altera oblongos nominant, e-
„ discit: deinde non exiguum tempus in partiendi & multiplicandi meditatio-
„ nem impendit: postremò quàm paucissimis quibusdam regulis adhibitis jam
„ ad quamlibet propositam summam subducendam, idoneus evadit. Vnde non
„ possum non mirari sæpenumerò arrogantem istam vulgarium hominum sapi-
„ entiæ venditationem, qui si fortè proponatur, Atticarum drachmarum quin-
„ que & viginti millium, sexcentarum triginta septem, fœnus centesimum,
„ quod nam sit, mensibus quatuordecim exactis, rem statim ad supputatores
„ deferunt, planè consij, propterea quod neque exercuerint, neque didicerint
„ quippiam, ut puto, nullam se hujusmodi supputandi peritiam callere: demon-
„ strationis tamen usum unusquisque sibi temerè arrogat: quamvis neque ab
„ alijs quicquam prorsus didicisse, neque per sese ipse invenisse, cum non quæsi-
„ verit, certò sciat: præsertim cum etiamsi demonstrandi viam aliquam didi-
„ cisset, satis id non erat futurum, sed adhuc adhibenda fuisset proculdubio pri-
„ us exercitatio: siquidem neque oratores, si de partiendis quibuslibet causis,
„ artem assumpserint, satis habent, sed insuper ad artis præcepta exercitatio-
„ nem adjungunt. Vellem itaque qui se demonstrandi peritum esse ait, viam pri-
„ us ac rationem, qua ad demonstrationes tractandas utitur, in medium affer-
„ ret, deinde quàm exercitatus in ea fuerit, manifestaret. Nunc verò multos
„ invenias, qui quomodo syllogismi, qui ex tribus de modo propositionibus con-
„ stant, qua item ratione, qui indifferenter concludunt, vel si qui tales sunt, ut
„ prima vel secunda utantur positione, resolvi debeant, apprimè sint exercitati,
„ sicuti videlicet in alijs hujuscemodi, ut ex tertia vel quarta propositione syllo-
„ gismos resolvant: quanquam alio modo poterant, & brevius juxta Antipatri

tradi-

Digitized by Google

traditiones id facere : ut omittam interim, quod tota hæc talium ſyllogiſmo- "
rum complexio, nihil aliud eſt, quàm maxima inutilis rei curioſitas : quod i- "
pſe etiam Chryſippus re videtur comprobare, qui in operibus & ſcriptis ſuis "
nusquam ad decreti confirmationem horum ſyllogiſmorum adminiculis indi- "
geat : Quomodo aut internoſci, ac diſtingui ſcientiæ effectrices ſumptiones à "
Dialecticis, oratorijs, ac captioſis poſſint, neque quicquam alicujus momenti "
tradiderunt, Chryſippei, neque aliqua ad id aliorum præceptione uti videntur. "
Hoc igitur primum intimis ſenſibus velim comprehendas : Deinde & hoc :
Quinque eſſe quibus præcipuè facultatem benè judicandi, ſummus talium re-
rum judex Ariſtoteles, tribuerit : cognitioni : virtuti : ſcientiæ : arti : experi-
entiæ. Cognitioni quidem in primo Nicomach. Vnusquisque ea rectè judi-
cat quæ cognoſcit : & 4. Methaph. Omnes falluntur in ijs, quæ non habent
cognita. Virtuti, itidem in Nicomachijs : De honeſtis actionibus bonus vir re-
ctè judicat : & in Eudemijs : In ſingulis bonis, quod majus aut minus eſt,
virtus rectè judicat. Scientiæ in polit : 2. Iudicium attribuimus, inquit, ni-
hilominus pædiâ præditis, quàm ijs qui ſciunt : & Plato in Lachete : Oportet
judicari à ſcientia, opinor, non à multitudine, quod rectè judicandum eſt.
Ibidem de experientia & arte : Videas, inquit, ejusdem eſſe judicare, num
quis rectè curarit, cujus & curare & ægrotantem ob præſentem morbum, ſa-
num facere : Hic autem eſt Medicus : conſimiliter autem ſe res habet in a-
lijs cum experientijs, tum artibus. Experientiæ etiam Ariſtoteles attribuit
10. Nicomach : Experientes ſingularum rerum, rectè opera judicant. Ana-
lyſi ergo tua, ſive ſyllogiſtica, ſive axiomatica, etiam atque etiam vide, quous-
que progredi poſſis : ne ea fortè deceptus, pro rebus, inanes rerum ſpecies &
umbras conſectêre.

CAPVT III.

De Propoſitionibus κατὰ παντὸς.

QVid ſint hæ propoſitiones notum eſt. His ajunt ſeſe uti, tanquam re-
ctiſſima regula & menſura veritatis. Neque enim quicquam ferendum
in artibus, quod hodie verum ſit, cras falſum : aut quod parte alia, ſit
verum, alia falſum. Hic tu mihi rurſus & ad hæc, & ad alia quædam, cape iſta.

I. *Perfectiſſimum in quaque re & definiri, & pro menſura conſtitui ce-*
terorum, quæ ab eo primo, longius aut minus longè recedunt. Fecit id Galenus
in optima corporis conſtitutione : fecit idem in definiendis morbis, ſuisque notis

circum-

circumscribendũ: ut Apoplexiâ, Epilepsiâ, Caro. Fecit Plato in informandâ suâ Republ. Fecit Cicero in Oratore adumbrando. Fecerunt summi pictores in eximiâ pulchritudine depingenda. Præceptum est didascalicum apud Aristotelem in lib. de Cœlo: Vnumquodque est mensurandum maximo, quod potest, & minimo quod non potest.

II. Neque tamen si quid aliquantùm absit ab rectissimo illo, statim pro distorto & pravo habendum, nomineque ejus rei privandum. Oratorem expressit Cicero, qualis fortassis nullus unquam fuit: at scripsit idem tamen de claris oratoribus. Aristocratiæ sunt & fuerunt præstantissimæ, quamvis vix, ac ne vix quidem ulla, quæ omnes numeros habeat philosophorum civilium. Sunt, erunt, & fuerunt, multæ formosissimæ virgines, etsi nulla unquam fortassis, quæ ideam Apellis tueri possit.

III. Esse in scientijs gradus quosdam ἀκριβολογίας διαφορικῆς. Prima Philosophia in multis est supra demonstrationes & definitiones: quia, cum scientia sit ἀρχιτεκτονική, & instar capitis sese habeat, ascendit ad ea usq;, ubi duo tantum termini reliqui sunt, Ens quâ Ens, & ejus propria πάθη: tertius autem terminus, re alius à subjecto, nullus compâret. At oportet in vera demonstratione, terminum medium, non solum alicujus esse causam, sed etiam alicui. Ita igitur sese habet scientia hæc ἀναπόδεικτος. Quod si jam ἐποπτικὸς vel præteriens intueri velis, incredibilis quoque sese objiciet varietas. Mathematici res suas subjectas considerant, ut concavum, id est, ἐξαφαιρέσεως materiæ: ea autem est causa varietatis, mutationis, & tenebrarum. Nil mirum igitur, si nulla in ijs λύσεις reperiatur, sed propositiones sint κατὰ παντός. At Philosophia naturalis ὑπὸ προσθέσεως materia agens, rem contemplatur ut simum. Quo fit, ut ibi vigeat Aristotelicum illud. Semper ita se res habet, nisi quid impediat. Ergo ne quid hic turbes, si maximè non omnia usquequaque respondeant; Aspice etiam in hoc παράδειγμα prudentiæ civilis partes, Nomotheticen, senatoriam, militarem, forensem, Rem videbis valde mobilem, multisq; opinionibus & conjecturis fluctuantem. Audies canos illos, pragmaticos homines, qui dicent, res humanas multum habere caliginis: neque facilè posse commune quid constitui, quod non incurrat in aliquam difficultatem: Prudentiam enim non solum spectare rem, sed etiam τὰ ἐν κύκλῳ, quæ circumstantia solent vulgò dici. Audies etiam Iurisconsultos, omnem definitionem, id est, regulam in Iure, esse periculosam. Idem videbis si te converteris ad artes, quæ dicuntur conjecturales, & ab Aristotele inordinatiores: in quibus, quia dubia est consecutio finis, magnam quoque partem prudentia sibi vendicat. Nam in ipsis Aphorismis Hipp. qui pro oraculis habentur, satis est, judicio etiam Galeni, si veri sint ut plurimum. Quæ quidem fortassis causa est, cur Aristoteles interdum

artes

artes has, & prudentiam, non longè ab opinione abeſſe voluerit. Idem quoque videbis in regulis Phyſiognomiæ, Agriculturæ, Oratoriæ, Gubernatoriæ. Omitto hic Grammaticam, in qua, quoniam numerus verborum finitus eſt, poſſunt ea omnia ad verbum numerari, quæ communem regulam non ſequuntur. Omitto etiam γυμναστικὴν peripateticorum, in qua effata multa ſunt, majori tantum ex parte vera. Cum igitur ſcientiæ non ſint tanquam numerus, cui ſive addas aliquid, ſive detrahas, ſtatim mutatur ſpecies, ſed multiplicem admodum varietatem habeant, quid quaſo faceret Ariſtoteles in communi earum organo tradendo? quid aliud, quàm quod omnes ſapientes feciſſe diximus, ſummum ſcilicet & accuratiſſimum deſignavit, quo uteremur, in dijudicanda cujuſq; ἀκριβολογίᾳ: Non quod talis planè nulla detur: ſed quod non ſemper. Fecit nimirum idem, quod Medici, qui de vini natura diſputant: proponunt hi notas omnium optimi & generoſiſſimi vini, ſumptas ab odore, colore, ſapore, ſubſtantiæ modo, & facultatibus. Neque tamen quiquam ex ea diſputatione adeò ebrius fit, ut reliqua vina, quæ notas illas tenuiores & obſcuriores habent, aut etiam quibusdam planè carent, vina eſſe neget. Idem igitur tu judicia de ſcientijs quibusdam, & demonſtrationibus, dilutioribus propoſitiones κατὰ παντὸς, multas tibi in ijs oſtendam: multas tamen oportet etiam feras, quæ non habent, ut dicunt Græci, ἄπαντα οὐδῶ. Audi, ſi placet, Galenum 4. de ratione vict: morb. acut. Omnis doctrina, inquit, ex univerſalibus recipit incrementum: quæ ſi perpetua fuerint, primam habent utilitatem: ſi verò magna ex parte, ſecundam: quod ſi anceps quippiam, vel rarum fuerit, id ad doctrinam inutile cenſendum eſt. Audi Ariſtotelem 6 Metaph. Omnis ſcientia aut eſt ejus, quod eſt ſemper, aut ut plurimum. Intuere exempla: Naſcitur homo, ut docent Phyſici, decimo menſe lunari, aut nono Græcorum: At non eſt hoc verum κατὰ παντὸς. Condemnandane igitur propoſitio? Docent ijdem, octimeſtrem fœtum non eſſe vitalem: Æſtatem eſſe calidam & ſiccam: hiemem frigidam & humidam: Hominem eſſe animal quinque digitorum: Admirabiles Oceani ἀνθρωπώσεις 24. horis bis fieri: at Euripus in Eubœa 12. horarum ſpacio, ſepties fluit & reſluit, & talia quidem ὅσα κενὰς. Intuere etiam phyſiognomica apud Hipp. Quicunque ruffi, naſo acuto, oculis parvis, mali: Quicunque ruffiſimi, oculis magnis, boni Item: oculi non nictantes, iracundi. Intuere politica: Senes ſunt avari: Iuvenes ſe putant omnia ſcire. Fœmina eſt propter metum Φυλακτικωτέρα: vir autem ἀμυντικώτερος, διὰ τὴν ἀνδρίαν: Depoſitum eſt reddendum: pupillus ſine conſenſu tutoris, non obligatur. Quid? ſigna Medicorum illa quæ ab eis dicuntur familiaria, itemque ea quæ ſunt propria quidem, ſed non inſeparabilia, tollesne ex arte? Tu verò non tolles, ſi ſapis. Præterea præcepta iſta. Vterũ gerentibus, ſanguis non eſt mittendus: neque

etiam pueris, ante annum decimum quartum: Non est item purgandum, ante concoctionem, an non oculo prudentiæ intuebere? In talibus enim artibus interdum propter aliquid urgens, ab arte recedere, summa ars est. Denique omnes propè Aphorismos tibi objicio: Quos si tu, propter tuum κατὰ παντὸς, velles Medicis è manibus extorquere; nè illi te non ut scabiosum tractarent, quomodo ego, sed ut furiosum, vinculis, & compedibus constringi juberent. Quid ergo? dices. Falsa etiam mihi ferenda sunt in artibus? Audi: Aliud est verum necessarium, & perpetuum: aliud verum plerunque: vel, si non abhorres ab auctoritate & verbis Avenroïs: Aliud est verum, cui opponitur falsum, quod impossibile est aliter sese habere: aliud, cui opponitur falsum, quod non est impossibile aliter sese habere. Illud persequuntur scientiæ accuratiores: hoc eæ, quæ molliori brachio suas res demonstrant. Discamus paulatim distinguere, & gradum faciemus ad sapientiam. Atque hæc quidem paucis de propositionibus, κατὰ παντὸς.

CAPVT IV.

Alia admonitio de veritate.

Verùm addamus ad hanc regulam veritatis, ut appellant, etiam quædam alia eôdem pertinentia. Docet Aristoteles, res omnes à fine appellandas esse: docet idem auctor, in theoretica Philosophia, veritatem propriè esse finem: vocat enim eam ἐπιχείρωντος ἀληθείας θεωρητικὴν. Nam scientiæ theoreticæ in semetipsas, ut circulus, redeunt: non enim extra rei subjectæ cognitionem porriguntur: ac in ijs res cognoscenda, est mensura veritatis: Intellectus verò mensuratum. At verò civilis & humanæ Philosophiæ finis, est bonum, in actione honesta inclusum: aut (si ita mavis) salus Reipubl. ex quo similis dicitur esse lineæ rectæ: & μέτρον in ea est νὸς πραχλικὸς: res vero est μετρητὸν. Quo fit, ut practici non considerent causam καθ' αὐτὸ, ἀλλὰ πρός τι, καὶ νῦν, ut ait dux noster. Iam in artibus neutrum horum propriè spectatur, sed id, quod vocatur utile. Artium enim omnium finis (si artem salubrium exceperis) propter aliud expetitur: idque opus ferè est, post πίνειν relictum. Eâ re etiam fit, ut artes extra ambitum Philosophiæ sint: quæ omnium optima divisione, in theoreticen & practicen diducitur. Ex his autem efficitur, in theoreticis propriè (si à fine omnia nominandæ sunt) veras propositiones & vera theoremata quarenda esse. In quibus tamen ipsis interdum doctrinæ causa cogimur hypothesibus uti, ad summam sinceritatem revocatis. In practicis autem potius præcepta nominanda sunt salutaria, verbo-

vel bona vel honeſta, vel conducentia ad Reipubl. ſtatum, vel ſi quo alio nomine placet: de vocabulis enim non ligito. In artibus propriè utilia. Hinc jam cauſa conſtat, quare in Politicis, itemque in artibus, etiam dum docentur, non pauca admittamus, quæ ad limam revocata, vera non ſunt. Exempli cauſa: In Politicis περὶ τοῦ ἦθους utuntur Ariſtoteles hac hypotheſi: animam dividi in rationalem & irrationalem, quæ eſt Pythagorea & Platonica, quamq., ut vulgò receptam, ſecutus eſt etiam in libris Exotericis: Attamen hanc ipſam, ut falſam & alienam, in tertio de anima oppugnavit, & expugnavit. Inde in magnis moralibus vocatur adumbrata, & ab Alexand. Aphrodiſienſi, diviſio communis. Ea autem in Nicomach. ſatis erat ad diſtributiones virtutum. In Politicis ἁπλῶς, idem auctor voluit legislatorem ſuum, gravidis fœminis iter aliquod quotidianum imponere, ad cultum venerationemque deorum, quæ præſunt gignendis animantibus. Hoc certè non veri cauſa, ſed ne fortè domi deſides fœminæ, minus robuſtos cives Reipubl. parerent. Ita etiam Iuriſconſulti publici boni cauſa, multis utuntur fictionibus. Patrem ab hoſtibus captum, libertateque amiſſa, multis tamen pòſt annis liberatum, faciunt tanquam nunquam captum: ut quæ interea à ſervo & filio acquiſita ſunt, ei ſint acquiſita. Idem poſthumum, adhuc in utero matris, conſiderant ut in lucem editum. Idem faciunt in teſtamento ejus, qui poſtea ab hoſtibus in ſervitutem abductus eſt. In arte Medica, an non Galenus ipſe admonet, ſi accuratè res examinanda ſit, ἀεινόσους esſe concedendam? quia tamen hoc obeſſet diſtinctioni terminorum ſanitatis & morborum, eam vult alienam à Medicis ab Æſculapio oriundis. Ad conſimilem ferè modum, quo Cic: ait: aliter leges, aliter Philoſophos, tollere aſtutias: leges, quatenus tenere manu poſſunt: Philoſophos, quatenus ratione & intelligentiâ. Ita faber ad inveniendam latitudinem cellæ vinariæ, metitur dolij circulum, docet que ſuum tironem, circulùm continere duos diametros & tertiam: At in erudito pulvere Geometrico, nunquam probabit, diametrum eſſe commenſurabilem circulo. Ex quibus perſpici poteſt, in quibusdam artibus falſa nonnulla proponi, non ita eſſe abſurdum.

CAPVT V.

Alia quædam contra crimen falſitatis, & inconſtantiæ.

PRorro autem videndum & illud apud Ariſt. quando loquatur κατὰ δόξαν, & quando ex animi ſui ſententia. In exemplis quidem notæ res eſt, hunc virum pervagatis opinionibus fuiſſe uſum: idque rectè.

Exemplorum enim per ſe eſt illuſtratio. In Topicis etiam, in Rhetoricis, in categorijs, in problematis (ſi modo ejus ſunt) neque accuratè, neque ex ſua ſententia ſemper. Quin certiùs de cauſis, neque in acroamaticis ſemper. In Categorijs pro generibus numerantur Subſtantia, Qualitas, Quantitas: quæ tamen aut ſunt πρὸς ἕν, aut ἐν κατ' ἀναλογίαν: At talis ἀκριβολογία, non fuiſſet ad captum tironum. Locus in quantitate, pervulgatâ tum opinione, pro intervallo accipitur. In tertia ſpecie Qualitatis (ut etiam in Meteorol. quâ de Iride) ita videtur loqui, quaſi radiorum emiſſionem in aſpectu approbaret. Denique ſi extarent Dialogi Ariſtotelis, qui fuerunt λόγοι ἐξωτερικοί, conſuetudo hujus Philoſophi eſſet nobis clariſſima. Fuerunt enim verò peripatetici (quod Lucianus ſalsè ſuo more irridet) Eſoterici & Exoterici. Neque ſine cauſa, quæ ex Epiſtola Platonis ad propinquos Dionis poteſt elici, & ex principio Rhetoricorum Ariſtotelis. Immò ut dixi, etiam in acroamaticis, hanc conſuetudinem ſecutus eſt, ut in loco alieno, alienis etiam ſententijs uteretur. In primo quidem Meteorolog. quærens, quomodo Sol, tametſi non ſit calidus, poſſit tamen calefacere, ſatis tum putabat eſſe, ſi ex communi Mathematicorum ſententia de radijs, tanquam corporibus quibusdam tenuiſſimis, reſponderet. In Metaph. item quærens, quomodo ex partibus definitionis, fiat unum, uti definitum eſt unum, reſpondet primum τῇ δόξαν Platonis, tum notiſſimam, (quamvis eum non nominet) quia, inquit, ultima differentia eſt tota definitio: Suam autem mentem demum in extremo 8. aperit. Atque hic quidem locus multorum errorum in Philoſophia peripatetica occaſio fuit, dum Platonica de ultimis differentijs, & de dichotomia ad definitionis inveſtigationem, pro Ariſtotelijs venditata fuerunt. Ita in libro περὶ τῶ πεμπτῶ, qui eſt latinorum quintus Metaph. capite de ſubſtantia, damonia ex multorum opinione inter ſubſtantias numerantur. Dices, Cor Philoſophi. Ferrem ego fortaſſis hoc, in libris ad popularem intelligentiam ſcriptis: At in acroamaticis, quæ hæc vel animi vel doctrinæ perverſitas, non ſemper ex ſententia loqui? Audi: In locis alienis ſi cauſas novas ſemper adduxiſſet ſibi probatas, lector ſtatim reſiliſſet, niſi rem illam totam ibidem pertractaſſet. At hoc ſuaſſet veſtem recondere in panario. Nimis aliena à Meteorologia eſt diſputatio de vera ratione videndi. Itaq; reſervanda fuit ad libros de ſenſu & ſenſili. Neq; illud negligendum, ut videamus, quemadmodum veteres Philoſophi ab initio ἀδιαιρέτως & ὡς ἐν τύπῳ rem tractent, ac paulatim ſoleant διαιρεῖν, & ἀκριβέστερον ἀναγράφειν. Gal: quidem initio libri de ſang. miſs: decem ſcopos mittendi ſanguinis affert, primarios cum ſecundarijs adhuc confundens: progreſſu verò diſputationis, rem magis magisque diſtinguens, tres tantum primarios proponit. Ita Ariſtoteles in prioribus libris de motu, Generationem & interitum in ſpeciebus motus numerat, ut etiam in poſtcategorijs: poſtea tamen has μεταβολὰς eſſe docet,

docet, non κινήσεις: quo loco licet videre eorum, qui infestis anguibus omnia lancinarunt, ridiculos triumphos. Ad eundem ferè modum Gal. in libris Isagogicis ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον res prosecutus est: verbi gratia, De pulsibus ad tirones, inæqualem & inordinatum pulsum, eundem facit: At in libris ad provectiores, accuratissimè distinguit. Hæc enim est mentis humanæ conditio, ut à tenebris primum progrediatur ad umbram, atque inde paulatim ad clariorem lucem. In eodem libro, nullam proposuit definitionem pulsus: quia, ut ipse docuit de diff. puls. longis potius explicationibus rerum natura tironibus patefaciendæ est, quàm oratione in angustum adducta: Quod tamen peccatum hodie peccamus omnes: & nova Philosophia vel maximè. Considerandum est & istud, esse inter species perfectas, quasdam medias interpositas, tanquam inter plantas & animalia ζωόφυτα quædam. Natura enim, ut ajunt Scholastici, non facit saltum. De ijs autem utrumque extremum sine reprehensione enunciari potest. Notum est Platonis ænigma: Vir non vir, videns non videns, luce non luce, percussit non percussit, lapide non lapide, avem non avem, in arbore non arbore. Id est, Hermaphroditus luscus diluculo leviter percussit pumice noctuam in arbusto. Quomodo etiam Basilius magnus de Eunuchis dixit: eos inter mulieres esse viros: inter viros mulieres. Hac ratione Theophrastus rosam nunc numerat inter frutices, nunc inter suffrutices. Sic Arist: animalibus imperfectis interdum tribuit phantasiam & gustatum, interdum adimit. Ita in virtutibus dianoëticis, prudentia & νοῦς medio quodam loco, si certitudinem spectes, interjectæ sunt inter opinionem ex una parte, atque scientiam & νοῦν ex altera. Quare 6. Nicomach: scientijs & νῷ tanquam habitus certi adnumerantur, & ab opinione distinguuntur: At in extremo libro analyticorum, eodem ferè loco habentur, quo opinio: quia ibi dignitatem & præstantiam scientiæ ac intelligentiæ præ reliquis habitibus volebat extollere. Ita quod est per se secundo loco, medium est inter per se primo, & verè κατὰ συμβεβηκὸς: Hinc sine vitio talia quæ sunt, nunc huc, nunc illuc revocantur. Verbi gratia: Communia sensuum objecta, à Gal. dicuntur sentiri per accidens; ab Arist: per se. Ita Galenus alterationem materiæ morbificæ, in febribus & tumoribus præter naturam, nunc quidem putredinem appellat, nunc coctionem: quia est media quædam, quæ quodammodo est utrumq;. Multa alia consultò prætereo, quibus jure reprimi deberemus, ne tam præcipitanter ad ferulam falsitatis, aut etiam inconstantiæ, decurreremus. Sed aut hæc satis sunt ad moderationem, aut nihil erit satis.

Neq; tamen quisquam putet, me veteres ita defendere, quasi aut nunquam errassent, aut nunquam ipsi secum pugnassent. Apage sis. Scio hoc supra sortem humanam esse. Sed idem tamen & hoc scio, multò eos rarius huic culpæ affines esse, quàm novi philosophi velint: rarius etiam quàm illi ipsi, qui in eorum erro-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ribus exagitandis, adeò juveniliter vectantur. Quanto major laus Galeni, qui etiam in ijs, quæ apud Hipp: non commodissimè dicta erant, usurpabat suum illud plenum humanitatis, omniq; grati animi : Veterum dicta, inquit, amicè accipienda sunt : & sanè barbarici ingenij est, asperè cum ijs agere, à quibus fundamenta sapientiæ didiceris. Odissesne tu summum tuum amicum, quòd interdum febricitaret ? Aut pulcherrimam virginem, quia tantillum nævum in facie haberet ?

CAPVT VI.

De Propositionibus καθ' αὐτὸ.

ARistoteles primùm multiplicem nominis potestatem proposuit : ut deinde quæ usui essent, seligeret. Adducit autem quattuor significationes, non solùm eas considerans, quæ spectantur in Enunciatione, sed omnes omninò. Prima est, quando naturali prædicatione prædicatum subjecti est constituens, sive, quando est pars definitionis subjecti. Hæc talia enim attributa, per se & essentialiter insunt. immò sunt ipsummet subjectum. Identica enim propositio hîc locum habet, non quidem cruda illa & insipida, Cicero est Cicero: quæ ab Aventöe dicitur esse in fine abominationis, quòd mens cognitionis appetens, eâ nihil discat : sed hæc altera, in qua prædicatum à subjecto re non differt, sed modo tantùm, uti manus in pugnum contracta, & dilatata. Neq; Scotus hîc quicquam peccavit, si modo definitio & definitum sunt numero idem : si deniq; verum est, quod illi ipsi, qui Scotum errasse putant, alibi scripserunt, Genus ab analytico non quæri, ut diversum, sed ut idem cum specie. Vt, ne longiùs abeamus : Propositio dialectica, est interrogatio ἐνδοξος. Scientia est cognitio. Fames est appetitus. Altera, quando subjectum est pars definitionis prædicati, itidem in naturali prædicatione : hoc fit, cùm propria πάθη de ijs efferuntur, in quibus insunt. Propria autem πάθη vocamus cum Alexandro, cùm δυνάμεις, tùm ἐνεργείας, tùm ἀφέσεις. Primi modi prædicata dicere solemus in Physicis, essentialiter inesse : hæc autem secundi modi, naturaliter : quamvis non ubiq;, maximè in Mathematicis, ista verborum usurpatio, æquè respondeat. Itaq; primo modo opponitur, τὸ per accidens, sive, non essentialiter : huic secundo, itidem per accidens, sive, non naturaliter. Exempla sint : Corpus sublunare in æternum potest generari & interire. Corpus sublunare in æternum generatur & interit. Corpus cæleste potest perpetuò moveri. Corpus cæleste perpetuò movetur. Homo inter omnia animalia plurimum habet cerebri. Pulmo est viscus laxum. Homini datæ sunt*

manus.

Digitized by Google

manus. Quorum omnium in Philoſophia cauſæ aſſeruntur. Tertiò dicuntur ea per ſe eſſe, quæ ipſa ſuis viribus conſtare poſſunt, & alio nomine appellantur οὐσίαι, plebeia & nota ſignificatione: Cui proprie contrarium opponitur non τὸ per accidens, ſed τὸ per aliud. Accidentia enim, quæ hîc altrinſecus reſpondent, ſunt quidem per aliud, ſed non per accidens: cum apertè in prima philoſophia Ariſtoteles docuerit, Entia per ſe, eſſe diſtributa εἰς σχήματα τῶν κατηγοριῶν: entia verò per accidens, in ijs locum non habent. Quarta ſignificatio eſt, cùm apud Græcos, τὸ καθ' αὐτὸ uſurpatur pro δι' αὐτὸ: id eſt, quæ vi cauſæ alicujus, aut quæ propter aliquid, ſunt facta, dicuntur per ſe facta. Nam ſi non illius cauſæ vi, & per eam, aut, ſi non propter illum finem: vulgò potius dicere ſolemus, ea caſu accidere: ſive, duo illa, caſu συμπάχειν. Hic modus ſpectatur in quadam illatione effectus ex cauſa: quamvis poſſit etiam revocari, ad unicam propoſitionem, quæ in ſcholis vocatur propoſitio cauſalis. Alex: quidem quoties utitur hac ſignificatione vocabuli, per ſe, ferè conjungere ſolet hæc duo, per ſe, προηιρημένως: quia, cum duæ ſint ſummæ cauſæ, ὅθεν ἡ κίνησις; Natura ſcilicet, & mens humana: In actionibus mentis, quod conſultò fit, id per ſe & προηιρημένως dicitur factum, non caſu: In rebus naturalibus ferè eodem modo. Quamvis enim natura non conſulat de mediis ad finem, ut mens: propter finem tamen agit, ut docet Ariſtoteles, & propterea, quæ per ſe ab ea naſcuntur, etiam προηιρημένως dicuntur naſci. Exempla. Vbi natura eſt, ibi eſt ordo: vel propoſitione unica: Natura eſt ordo. Motus circularis corporum cæleſtium, eſt imitatio primi actus. Motus corporum cæleſtium, eſt vita ſublunarium. Immobilitas cordis eſt mors. Naturalis philoſophia eſt diſcuſſio dubitationum naturaliter de rerum natura ſubrepentium. Bilioſi ſunt acuti. Melancholici ſunt judicio præditi. Auditorum animos permovere, eſt perſuadere. Benè diſtinguere, eſt benè docere. Rectè aciem inſtruere, eſt vincere. Solemus etiam non rarò invertere, & cauſam effectui attribuere: ut Dolor eſt ſolutio continui. Fames eſt ſenſus ſuctionis. Dubitatio eſt ſyllogiſmus Dialecticus ἀνθφάσεως. Hæ propoſitiones, quia in vulgus inſolentiores ſunt, ſæpè radunt aures imperitorum: qui faciliùs admittunt, ſi pro Eſt, ponatur in prioribus quidem illis, Efficit, aut Eſt cauſa, Fit propter hoc, aut quid ſimile: in poſterioribus verò, Naſcitur &c. Atq; hinc fit, ut in philoſophia cum tales rerum cauſæ, quales hac quarta ſignificatione intelliguntur, ſolent aſſerri, ea non revocentur ad propoſitionum & ſyllogiſmorum præſcriptam illam formulam. Nam in majore propoſitione παθ ὅ, minus uſitata loquendi forma, prædicaretur de ſua cauſa: ſed ſeorſim potius cauſæ τῶν παθῶν inveſtigantur. Et ſanè formulæ illæ ſyllogiſticæ ſunt propter tirones: tanquam compedes quædam, quibus rudes equos docemus certum ingreſſum: ab edoctis jam amovemus.

Quemad-

Quemadmodum etiam qui natare jam ſciunt, non utuntur amplius cortice. Qui autem limitatorum ſubjectorum attributa, hujus quarti modi eſſe volunt, vix verbum apud Ariſtotelem habent, quo adjuventur, & exemplum ultimum ſecundi modi, de numero æquilatero, ac altera parte longiori, perſpicuè eos refellit. Ariſtoteles ut nomen εὐναλλάκτης, ψευδογράφικῶς, plurimorumq; aliorum à Geometris mutuatus eſt, ex quo Φιλογεωμέτρης dictus fuit: ita etiam in ſignificationibus τῦ καθ' αὐτὸ, eas probavit, quæ in Geometricis demonſtrationibus uſurpantur, primam & ſecundam. Tertia enim in integra propoſitione locum non habet. Quarta eſt quidem in phyſicis, & in practica philoſophia, & in artibus frequentiſſima: in Geometricis tamen, non item. Vbi enim fit ἀφαίρεσις materiæ, ibi neq; per cauſam unde motus, neq; ἐ ενεκα quicquam doceri poteſt. Quo fit, ut Geometræ ad concluſiones, quæ ſunt in ſecundo modo, utantur primùm quidem axiomatibus: deinde definitionibus, id eſt, primo modo. Vſitatiſſimus tamen eſt, ut dixi, quartus, in alijs philoſophiæ partibus, ut cùm cauſæ efficientes redduntur perpetui ortus & occaſus rerum, ſalſedinis maris, motus terræ, eclipſis lunæ, putredinis, thermarum: Aut ex fine ſive uſu docetur, cur partes animalium hac vel illa conformatione & diatheſi ſint præditæ. Ita etiam in philoſophia practica, & in artibus, in quibus à fine inſeruntur, quæ ad finem faciunt: atq; ea per ſe arti neceſſaria judicantur, quæ per ſe & προηγεμένως vim habent artis illius finem efficiendi.

CAPVT VII.

Oſtenduntur peccata quædam novæ philoſophiæ, contrà modum ſecundum per ſe.

His ὡς τύπῳ cognitis, facilè jam licet cernere, novæ philoſophiæ novas & inanes ſpeculatiunculas. Si enim ea homogenea cuiq; arti ſunt, ut ipſimet profitentur, quæ ei per ſe ſunt, cur motum, & tempus, & locum phyſico ademerunt, & filiolæ ſuæ belliſſimæ, adjudicarunt? Quo enim jure & qua tandem lege? An non motus corpori naturali (quod phyſices eſt γένος ὑποκείμενον) per ſe ineſt in ſecundo modo? De κινήσει loquor, (non ἐνεργείᾳ) univerſè accepta, quæ dicitur eſſe quaſi genus φορᾶς, alterationis & augmentationis, & in libris communibus περὶ κινήσεως, explicata eſt: ne fortaſſis tuo more, in verborum captatione ſapientiam ſtatuas. Quod ſi motus ſu pertinet ad logicum, oportet igitur idem quoq; omnes ejus ſpecies explicet: (ſophiſticeris quantum velis.) Id enim officium ſcientiarum eſt: neq; aliud vultis, aurea veſtra definitione artis: Ars eſt rerum homogenearum, per generaliſſima,

Eſſima, ſubalterna, ſpecialiſſima, comprehenſio, & ordinatio. Certè ejusdem eſt agere de morbo, & de ſpeciebus, ac ſpecierum ſpeciebus, de febribus & ſpeciebus febrium. De virtute & ejus ſpeciebus, Fortitudine, Clementia, liberalitate, & alijs. De contractu & ſpeciebus contractuum nominatis, & innominatis. Aget igitur novus noſter logicus, primùm quidem de motu universè: poſtea de motu locali, id eſt, de Φορᾷ & περιφορᾷ. Aget item de motu animalium, de natatu, volatu, reptione, & ingreſſu. Aget denique etiam de alteratione, primùm γενικῶς: poſtea deſcendet ad ſpecies, id eſt, ad concoctionem, elixationem, maturationem, aſſationem. Aget præterea de putrefactione, omnique genere cruditatum, quæ refrigeratione exoriuntur. At verò ô omnium hominum beatiſſime logice, qui agit, ut tuo more loquar, de proprio adjuncto, agit etiam de proprio ejus ſubjecto. Sunt enim homogenea. Cujus igitur propriè & perſe eſt motus universè acceptus, ejus etiam eſt corpus mobile, universè acceptum. At tale corpus mobile, & corpus naturale, re non differunt: ſiquidem natura eſt principium motus, ejus in quo ineſt. Ages igitur de corpore naturali ita conſideratо. Ages etiam eodem jure, de corporibus cœleſtibus, quibus primò & per ſe ineſt περιφορὰ de quatuor καθ' ἁπλᾶ σώματα, quibus primò tribuitur Φορὰ: De animalibus, id eſt, de volatilibus, repentibus, natatilibus, & ingredientibus. At qui de animalibus tractare vult, is quoque materiam eorum explicat & formam, id eſt, oportet agat de partibus animalium, & de anima. At rurſus qui hoc ſibi ſumit, oportet etiam quæ eis per ſe in ſecundo modo inſunt, perſequatur, id eſt, pertractet illa quæ in parvis naturalibus (ut hodie appellant) continentur. Et quid verbis opus eſt? tota Philoſophia naturalis per hanc Philoſophiam logici eſt: Hoc igitur præſidio hodie pulchrè proceſſiſti, ô Logice: ſiquidem totum hujus Philoſophiæ regnum ampliſſimum, ſine ulla dubitatione tibi debetur. Quod ſi ſcirem, te in ſecundis tuis rebus, me quoque reſpecturum, efficerem eodem jure, ut prima quoque Philoſophia tota tua eſſet. Quid nî enim? Cujus eſt agere de uno, modique omnibus unitatis, & identitatis, (recordare verba tua Chryſippe) ejus quoq; eſt agere de ente: cujus unum eſt quaſi πάθος: (Ens enim in ampliſſima ſignificatione propriè non habet πάθος: convertuntur tamen inter ſe Ens & unum) Nimirum igitur ſcientia de ente, ejusq; omnibus diviſionibus erit quoque tua. At qui agit de ente, agit de primo ente, ſive de DEO: ut fieri debet in vocabulis ab uno, auctore ipſo hoſte tuo Ariſtotele. Ergo ages quoque de DEO: Ergo Theologia quoque tota tua eſt. Iam quia axiomata illa. De quovis ente, vera eſt affirmatio aut negatio: Non contingit idem ſimul affirmare & negare, in ente tuo inſunt, etiam hæc axiomata propria tua erunt, id eſt, habitus is qui σοφία dicitur, ad te pertinebit. Et quid multis moror? Habitus, qui σοφία ἁπλῶς vocatur, compoſitus ex intellectu & ſcientia, tibi

quoque addicendus eſt: ſi modò Oceanus cauſarum, in Philoſophiam Ariſtotelis, ut tu ais, effuſus, tui quoque regni eſt. Ecquid beo te? etiam amplius quid quæris? certè volebam eodem jure te quoque introducere in poſſeßionem mathematicarum diſciplinarum. Sed credo tibi, hoc quidem tempore ſatis eſſe: forteſſis ipſemet jam metuis, ne tanta imperij magnitudo, ruinam rebus tuis minetur. Nam videor jam nunc audire vocem quorundam Ariſtotelicorum, qui te jubent redire in officinam, ad fabrilia inquam tua. Ajunt enim te fabrum tantùm eſſe inſtrumentorum cognoſcendi: neque debere autem nimium diſtendere, ne forteſſis ipſe tibi rumpas. Nam in Apodicticis quidem, ſi ea tibi retinuiſſes, ſumma tua dignitas elucere potuiſſet. At in his ipſis nihil aliud traditur, quàm qua regula ſeu perpendiculo debeamus uti in extruendis ſcientijs: quæ nihil aliud ſunt, quàm collectio quædam multarum demonſtrationum de eodem genere ſubjecto: Non tamen propterea Apodicticus, ſummus Architectus eſt, ad quem omnia referuntur: cùm alia ſit communitas regulæ communis, alia primi Architecti, omnibus imperantis. Ad officinam igitur & regulam, mi Logice, Tu verò lector benevole, in tanta rerum omnium perturbatione, & ſcientiarum, vel metamorphoſi vel confuſione, quaſo quid cogitas? Ridésne an ſtomachàris? Ego quidem, ut ingenuè tibi dicam, neque rideo, neque ſtomachor: ſed miſeret me, primum imperitæ adoleſcentiæ, quæ tam ſplendidas, & nugaces nugas avidè conbibit, atque inde quaſi Circeo poculo immutata, omnium rerum cognitionem ſuaviter ſomniat, eos deſpiciens, quos debebat ſuſpicere. Deinde ex animo pudet patriæ noſtræ communis, quæ cùm Philoſophiæ laude Hiſpanis & Italis cogatur cedere, Φιλοπονίᾳ verò facilè eos ſuperet, ob idque cum illis paria facere poſſe videretur: in ijs tamen laborem conſumit, quæ apud benevolos commiſerationem, apud malevolos non niſi inſignem irriſionem, afferre poſſunt. De peccatis in quartum modum per ſe, poſtea.

CAPVT VIII.

De ἢ αὐτὸ.

EA quæ per ſe inſunt ſubjectis, vel primo inſunt, vel ſecundo: ita etiam cauſæ per ſe cauſantes, vel primo id faciunt, vel ſecundo: Verbi gratia, ſenſus ineſt in animali per ſe & primo: in homine per ſe quidem, ſed non primo. Ita cauſæ ſecundæ, agunt quidem per ſe & ſua vi, ſed eâ excitatâ à prima cauſa. Ita etiam morbus per ſe eſt cauſa continens omnium ſymptomatum, ſed non primò omnium. Vt igitur illud (ſecundo) tolleretur, & omnia revocarentur ad primo, tertia hæc nota addita eſt. Ex qua perſpicere licet,

licet, vocabulum per ſe ſignificare πρὸς μίαν φύσιν : quemadmodum nomen ſubſtantiæ καθ' ἕτερον ſignificat eas quæ cerni & tangi poſſunt : καθ' ὅλου δ', univerſalia, ſcilicet ſpecies & genera. Talia verò vocabula, interdum latè uſurpantur, pro omnibus ſignificatis : interdum preßè, pro primario. Vocabulum igitur per ſe, interdum in ampla ſignificatione uſurpatur pro omnibus ijs, quæ per ſe primo & per ſe ſecundo, talia ſunt : atque in hac ampla ſignificatione, ejus ſit quaſi diviſio, in per ſe primo, & per ſe ſecundo : interdum & ſæpius, pro primario illo per ſe, κατ' ἐξοχήν ſumitur. Simpliciter enim aliquid prolatum ſignificat præſtantiſſimum in genere : ut ait Gal: Atque ita quidem utitur Ariſtoteles, cum κατὰ αὐτὸ & ᾗ αὐτὸ, dicit eſſe idem.

CAPVT IX.

De crimine Tautologiæ.

HAnc regulam nominant regulam Sapientiæ: per me ſanè, ut loquar cum Galeno, etiam ſcindapſum appellent. Res modò nobis maneat: & ſciamus de ſapientia primo Metaph. haud paulo aliter diſputari. Illud potius videamus, an quævis ejusdem rei repetitio, ſit vitioſa, & nomine Tautologiæ condemnanda, ut nova Philoſophorum natio ſæpè criminatur. Quod re diligentiùs conſideratá, planè non videtur : Exempli gratia. Scripſit Gale: de humoribus librum, in quo ἁπλῶς & in ſeſe, humorum naturam explicat. Scripſit idem de facult: alim : Hîc, cum facultas alimenti, quatenus eſt alimentum, παθητικὴ ſit, non ποιητικὴ (Hoc enim medicamenti eſt) facere non potuit, quin rurſus de humoribus ageret, in quos alimenta facilè abire poſſunt. Quia verò febrium quædam differentiæ, ex differentijs humorum naſcuntur, neque hîc aliter fieri potuit, quin tertiùm mentionem faceret humorum. Ita idem Gal: ſcripſit librum de differentijs morborum, in quo morbos omnes generatim nominavit: ſcripſit etiam de cauſis morborum, in quo non video, quomodo cauſas iſtas explicare potuerit, niſi morborum iterum mentionem faceret. Poſt hos ſcripſit libros de cauſis ſymptomatum : at cùm morbi ipſi ſint ſymptomatum cauſæ, potuítne in illis libris morbos tacere? potuítne in lib. de locis affectis docere, quibus morbis partes abditæ laborent, ſine repetita morborum mentione? In libris Methodi, & in libris de ſimplicibus ac compoſitis medicamentis, docet curare morbos omnes in univerſum, & morbos partium ſingularum : quare neceſſe habuit & morborum & locorum affectorum ſæpè meminiſſe. Idem poſſumus videre in libro de oculis, qui Galeni putatur. Atque hæc eadem repetitio in alijs multis ſapiſſimè occurrit, ut unicuique obſervare li-

 cet, &

cet, & hanc nullus ſcriptor prudens poteſt effugere. Nam idem hoc oſtendit apud Ariſtotelem duobus propoſitis exemplis, ſenſionis & motus, opt. noſter præceptor, Iac. Zabarella ὁ Μακεδὼν: ſiquidem de ſenſione actum eſt in ſecundo de anima, & in de ſenſu & ſenſili. Sic de motu animalium tum in de inceſſu, tum in tertio de anima, tum deniq. in de communi animal: motu. Sciendum igitur, ut ille rectiſſimè docet, totam πραγματείαν de animalibus in tres partes diviſam eſſe: In una agitur de materia animalium: in altera de forma: in tertia de operationibus & accidentibus conſequentibus. Quum igitur in hîc tribus partibus diverſi ſint ſcopi, nullum abſurdum eſt, ſi in ijs omnibus de aliqua eâdem re agatur propter diverſos ſcopos. In libris quidem de anima, nullus alius eſt Ariſtotelis ſcopus, quàm naturam animæ declarare. Quod ſi de operationibus, quoque plura dicit, id facit ut per ea nos ducat in cognitionem animæ, non quòd conſilium ejus ſit ibi ipſarum ſecundum ſe operationum cognitionem tradere: Idque ipſe ſignificavit in principio libri de ſenſu & ſenſilibus, quando dixit ſe egiſſe de anima ſecundum ſe ipſam, poſtea agendum eſſe de operationibus: quoniam igitur de operatione ſenſuum in ſecundo libro de anima locutus erat non propter ſe, ſed propter cognitionem partis animæ ſenſibilis, ideo de eadem ſcribere voluit librum de ſenſu, & ſenſibilibus, in quo ipſius ſecundum ſe operationis perfectam noticiam nobis traderet: Ideo ſi in eo libro aliquam ipſius animæ mentionem facit, non amplius eam conſiderat ſecundum ſeipſam, ſed propter cognitionem operationum, quarum eſt cauſa: In ſolis enim libris de anima verè dicimus ipſam ſecundum ſeipſam animam, ejuſq; naturam declarari: hic enim ſolus eſt eorum librorum ſcopus. Sic de motu dicendum eſt: In libro enim de inceſſu, nullus alius eſt ſcopus, quàm declarare partes inſtrumentales, quæ motui animalium inſerviunt: quod ſi de ipſa quoque operatione ibi fit ſermo, non eſt propter ipſius motus cognitionem, ſed propter noticiam partium organicarum: motus enim eſt earum cauſa finalis, per quam ipſæ partes cognoſcendæ ſunt: In tertio autem de animæ libro, non eſt Ariſtotelis conſilium declarare ipſum animalium modum, quomodo, & à quibus cauſis fiat, ſed ſolùm facultatem animæ motricem, quæ declarari non poterat ſine ipſius motus conſideratione: reſtabat igitur ut de motu ageret ſecundum ſeipſum: quod facit Ariſt. in libello de communi animalium motu, ubi hujus operationis cognitio traditur per ſuas cauſas: quoniam igitur omnis tractatio nominatur ab eo, quod ſui gratia tractatur, non ab eo, quod propter aliud, ideo non de eadem re ſunt illæ tres, quas diximus, diſtinctæ tractationes: ſed in libro de inceſſu agitur de partibus organicis inſervientibus motui: in tertio autem libro de anima, agitur de facultate animæ motrice: demum in libello de motu agitur de ipſomet motu: non igitur repetitur. Hactenus Zabarella idem fruſtra. Sed oſtendamus nos etiam alijs.

De

De cauſis explicare pertinet propriè ad ſapientiæ profeſſorem, quia ea eſt ſummarum cauſarum contemplatio. Sed quia eadem, ſunt organum quoque cognoſcendi & philoſophandi, neceſſe habuit Ariſtoteles de ijs etiam agere in harum rerum organo. Iam quia quæq; ſcientia ſuas quasdam cauſas contemplatur, (omnis enim ſcientia eſt σοφία quædam) ideo etiam ſecundo phyſicorum tanquam in παιδείᾳ de ijs actum eſt. Ita Idearum pertractatio propriè primi Philoſophi eſt. Nam cùm is agat de diviſionibus entis, explicet oportet, an genus hoc entis in rerum natura ſit. Quoniam verò propter generationem & ſcientiam introductæ fuerunt, immò beata etiam vita, in illis quodammodo conſtituta, hinc & in Analyticis & in Phyſicis & in civili ſcientia, rejiciendæ fuerunt: non quòd libenter veritatis Philoſophus, in earum auctores incurreret, aut tautologico vitio laboraret: ſed quoniam ſuam veritatis Philoſophiam, conſtituere non potuit, niſi pervagata opinione idearum, è mentibus hominum penitus exterminatâ. Hodie quoque de ubiquitate oportet diſputes, tum in doctrina de perſona CHRISTI, tum etiam de ſacra Cœna, tum denique in articulo de Aſcenſione, & fortaſſis etiam alibi: Idq; ſine ullo animi morbo, aut crimine tautologiæ. Idem dico de quattuor vocatis elementis: de materia prima: de ſcientia: de alijs. Quitigitur hæc dicunt tautologica, videant, ne habitu παιδείας judicentur carere. Verùm eſt & alius repetendi modus, quando in eodem opere eadem ſententia ſæpiùs inculcatur: ut cum in Methodo med. Gal. ſæpiſſimè ſubmonet, indicationem curandi ſumi à morbis, & à partibus morbo affectis: Et ſanè Gal: ſi hoc vitium eſt, ſæpè in id incidit: ſed illud vitium eſſe, ipſe negat: ut loca aliquot de eare annotavit, ſummus vir Comes Montanus. Quarto quidem Aphoriſ: comm: 22. ſic ſcribit Galenus: Facta eſt à nobis & in antecedente aphoriſmo diſtinctio inter humorem melancholicum & nigram bilem, de qua nunc ſermo habetur ab ipſo: & cauſam, ob quam ab initio lethales ſint hujuſmodi humores, poſtea verò judicatorij appareant, in illo aphoriſmo ſufficienter percurrimus: ſed & nunc repetamus: Quoniam ea quæ ſunt ad artem maximè neceſſaria, ſæpè tractare ſit melius. Et 10 Meth. cap. 5. ſic ait: Quæ maximè ſunt ad curationem neceſſaria, eademque maximè ignorata, nec Hippocrates ipſi identidem repetere gravatur. Et 2. de Tuend. Val: ait: De ijs, quæ maximè neceſſaria ſunt, vel ſæpius meminiſſe, non ſit profectò inutile. In his igitur omnibus repetitionibus, faceſſat crimen tautologiæ: Quod tum demum verè objicitur, quando in ſpecierum explicatione, repetitur generis affectio: à qua culpa (fatendum enim eſt) non abeſt Plinius in deſcribenda natura animalium: & hodie medici practici in eodem luto hærent. Nam, verbi gratia, quæ indicat inflammatio, quatenus inflammatio, repetuntur in omnibus ſpecibus inflammationum, phrenitide, pleuritide, inflammatione ventriculi, renum, hepatis, uteri, &c. Idem

faciunt in alijs morborum generibus, non animadvertentes, quantò divinius hæc Gal: in Methodo medendi.

CAPVT X.

Discrimen Apodictices, Dialectices, & Rhetorices, ex fine.

Vidimus supra Gal: summo studio distinguere quattuor genera propositionum, Apodicticas, Dialecticas, Oratorias, & Sophisticas: sive, cuiq; scientiæ proprias, & communes. Plato etiam prius docuit in Gorgia, duplicem esse πειθὼ: διδασκαλικὴν & πιστικὴν. Græci interpretes pluribus locis idem monuerunt, si non ijsdem verbis, eádem tamen sententiâ. Alex: in soph. ait: ἕτερον τὸ διδάσκειν τῶ Δι' ἐγκλήματος. Eustr. aliud docet esse πραγματικῶς Φιλοσοφῶν, aliud λογικῶς καὶ κατ' ἔννοιαν. Simpl. differentiam agnoscit inter cognitionem πραγματώδη, & cognitionem ἔνδοξον. Galenus inter rationes analogisticas & epilogisticas. Philoponus inter ὑνθυμήματα & λόγους, sive Δι' ἐκλεκτικὰς μεθόδους. Hieronymus inter δογματικῶς & γυμναστικῶς. Hoc igitur summus quoque Aristoteles ubique in ore habuit. Quis nescit apud hunc Philosophum ista inter se adversari, rem πρὸς ἀλήθειαν, ἐκ τῶν ὑπαρχόντων σκοπεῖν, vel contrà, διαλεκτικῶς, λογικῶς, κ) δόξαν? Item eum conjungere Δι' ἐκλεκτικῶς καὶ κενῶς? Quin libris etiam superiora illa sejunxit. Nam in Exotericis, non nisi κ) δόξαν sermones introduxit: In Acroamaticis, (qui non solum sunt libri de principijs & motu, sed omnes omninò, in quibus πραγματικῶς philosophatus est, & philosophandi etiam organum,) primùm quidem egit κ) δόξαν: postea tamen statim ἐκ τῶν ὑπαρχόντων. Vidit autem ipse, non quævis ingenia hoc discrimen capere: propterea in Rhet: ait, id plerosque omnes latere. Et sanè non solum tum latuit, sed etiam postea â Stoicis, omnis Philosophiæ depravatoribus, hodieque à novis Stoicis, ita obscuratum est, ut non dubitem causam multarum ineptiarum, quæ libros logicos oppresserunt, hujus rei ignorationi ascribere. Ajo igitur Apodicticen esse artem res contemplandi ἐκ τῶν ὑπαρχόντων: Esse organum philosophandi πραγματικῶς: Esse artem τῦ διδάσκειν: Tradere πίστιν διδασκαλικὴν, & rationes analogisticas: Esse artem res ὑνθυμηματικῶς, δογματικῶς, & ἀναλυτικῶς tractandi. Contrà verò Dialecticen & Rhetoricen, esse δυνάμεις de rebus agendi κ) δόξαν, γυμναστικῶς, λογικῶς, κατ' ἔννοιαν, rationibus epilogosticis: & tradere πειθὼ πιστικὴν. Nam ut in vita civili, aliud est officium sapientis, quod dicitur esse perfectum & κατόρθωμα, ac in Tusculanis quæstionibus à Cic: est explicatum, a-

liud

liud medium ſive inchoatum, cujus probabilis ratio poteſt reddi: de quo in officijs idem auctor pertractavit: ita etiam in cognitione ad mentem theoreticam pertinente, ſeſe res habet. nam medio officio reſpondet opinio, κατορθώματι ſcientia. Ac ut pauciſſimi ſunt, qui κατορθώματα præſtent: aliquanto plures, qui officium medium: ita millibus è multis, vix unum reperias, qui ſit Analyticus, ſeu Philoſophus, plerique omnes Dialectici tantùm & opinatores. Neq; verò de vocabulo Dialectices nunc litigo: ſed rem ipſam intelligo, quam dico longè aliam in Topicis comprehenſam, quàm in Apodicticis: neq; unam eſſe utrobique artem, aut in his quidem tradi judicium, in illis verò inventionem, ut quidam ſomniarunt. Voces tu jam per me Topica, quo nomine voles. Si non vis Dialecticen appellare, nomines Blytyri, ut loqui ſolet Simplicius. Sophiſtarum eſt, rebus omiſſis, de verbis certare. Ut autem diſcrimen clariùs appareat, repetamus ex duobus tantùm fontibus nunc differentias, alibi enim uberiùs perſecuti ſumus. Ergo Apodictices finem conſtituimus, Scientiam, *tanquam habitum quendam & perfectionem primam: Vnde Ariſtoteles à definitione τῦ ὀπίσθου, ut à fine, exorſus eſt Apodictica. Conſtituimus etiam finem,* contemplari, *tanquam habitus ejus ἐνέργειαν. Dans enim formam, dicunt Philoſophi, dat & ea quæ conſequuntur. Sanitatem faciens, facit etiam integras partium actiones. Conſtituimus item* docere *tanquam alteram ejus ἐνέργειαν, quæ ſpectatur in ſocietate civili, & communicatione ſapientiæ. Nam poſſe docere, eſt ſignum ſcientiæ, ut ait Ariſtoteles. Hinc Apodicticen nominat idem auctor, λόγον διδασκαλικὸν. Finem etiam dicimus eſſe cum Strabone Φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ſi utramque ἐνέργειαν uno nomine velimus comprehendere: Inde apodixis vocatur φιλοσόφημα, & Apodicticus ſive Analyticus, vocatur Philoſophus. Finem præterea conſtituere poſſumus,* Veritatem, *vel quatenus objectum eſt contemplationis, vel quatenus res ipſa dicitur à Philopono, idem cum Philoſophia. De Dialectices autem fine & Rhetorices, longe ſecus ſe res habet. Primùm enim apertis verbis Græcus top. interpres, qui Alex. dicitur Aphrodiſienſis, profitetur 6. top. Dialecticen non eſſe ζητητικὴν veritatis: unde ſæpè dicit, τόπῳ ἔνδοξῳ μὲν ἀλλ' οὐκ ἀληθοῦς. Et apud Ariſtotelem vidimus antea, hæc inter ſeſe contraria opponi, κατ' ἀλήθειαν rem examinare, & κατὰ δόξαν. Et ſanè quis poſſet Dialecticus eſſe veritatis inveſtigator, cùm per ſe & πραγματικῶς (non ἐπομένως) in utramque partem diſputet: non minùs certè Dialecticus eſt reſpondens, quam interrogans. Immò cum is accipiat ſua epichiremata ab opinione: ea ſæpiſſimè violat veritatem. Auctor etiam eſt Ariſtoteles, αἱ ἀκροάσεις κατὰ τὰ ἔθη συμβαίνουσι, & in lib. de anima: Intus inexiſtens, prohibet externum. Accidere igitur poteſt, ut opinio pariat veritatem, ſed non per ſe. Sic enim omnis opinio id faceret. Idem hoc poſſumus colligere ex 8. top. quo*

loco,

loco, quemadmodum Dialecticorum disputatio, vera judicetur, dignum est consideratione. Primùm ea dicitur vera, quæ & ex pervulgatissimis ac receptissimis propositionibus, & simul etiam ab respondente concessis, constat. 2. Quæ propositiones continet, non quidem pervulgatissimas, ab Respondente tamen concessas. 3. Quæ constat ex ejusmodi quibusdam propositionibus, quarum quasdam interrogator concessas acceperit à respondente, quasdam ipse addiderit: hæ tamen sint etiam dignæ concessione. Ex quibus videmus ut se res habet in Ente: ita propemodum etiam in vero. Tanta vis entis sive essendi est, ut etiam non Ens, dicatur esse: privationes enim & negationes, sine Est, non possunt proferri: Ita tanta quoque vis est & pulchritudo veritatis, ut ἔνδοξα etiam, quæ interdum falsa, & non entia sunt, veritatis tamen nomine vulgò ornentur. Ergò si Dialecticorum ἔνδοξα & Epichiremata consideres, quantam vim habeant, dices, opinionem, fidem aut dubitationem ijs posse excitari. Est autem opinio inter ignorantiam & scientiam media. Atque ea & fides prisè accepta, ve non distinguuntur, sed λόγῳ. Opinio enim ἀπλῶς conclusionem intuetur: fides refertur simpliciter ad id, cui fidem adhibemus. Hic autem fructus non est de nihilo. Nam ἀπορία, ut ait Ammonius, est principium εὑπορίας, & via ad μαθησιν. Verùm quia in dialogis, non solùs Epichirematis pugnat interrogator, sed adjungit etiam certam propositionum τάξιν & κρίψιν, tanquam ad militem jam collectum, aciei instructionem & strategemata: Respondens autem Scuto maximè utitur: fit ut tunc quidem Dialecticorum finem duamus victoriam: non quidem ambitionis, aut pecuniæ studio, ut Sophistæ: Sed melioris προαιρέσεως. Interdum enim id fit exercitationis causſa, quo scilicet disputando disputatores evadamus. Ex quo dialectica dicitur γυμναστικὴ: dicitur etiam προπαρασκευὴ ad Philosophiam: interdum ut ad ignorantiæ salutarem agnitionem deducamus ferociores adolescentes, aut Sophistas: quæ propriè dicitur περιεργικὴ, sæpe usurpata à Socrate: Interdum etiam ita agendum est, cum multitudine imperitorum, cui anules opiniones eximi aliter non possunt, nisi per ἔνδοξα, & ab ipsismet concessa. Inveniuntur enim nonnulli, ut ait Aristoteles in Rhet. quibus etiamsi cujus rei scientiam exquisitissimam animo comprehensam teneamus, persuadere tamen facile non est, si ducti ex ea argumentis utamur. Nam oratio quæ ex ipsa rei scientia ducitur, docendi ratio quadam est. Ipsi autem docere non queunt: Immò necesse est è communibus rationes & argumenta ducamus. Exemplum hodie potest esse Calendarium Gregorianum, in utramcunque partem de eo agere velis apud imperitos. Quod si κατὰ δόξαν disputes in ipsis scientijs, sine ope τάξεως & κρίψεως, ut sæpe facit Aristoteles, scopus tunc est præparare animum discipuli dubitationibus. Est enim ex usu (ait Arist. 3. Metaph.) ijs qui veritatis compotes esse volunt, benè dubitare: solvere autem vinculum

culum nemo poteſt, qui nodum ignoret. Atque ita Philop. dicit, Dialectici proprium eſſe, dubitare. Quo etiam ſit, ut ἐν γυμνασίᾳ καὶ σὺν λόγῳ, Dialecticus ventilator, λόγῳ χάριν, ſæpè negantem partem tueatur: Reſpondens affirmantem. Dialecticus enim, ut ait Alex. pauca probat, multa tollit. Non diſſimilis eſt ratio, ſi de fine agatur Rhetorices, quæ eſt altera πίστις πτηκὴ. Nam huic quoque in materia civili, & quæſtione definita, victoria potius & perſuaſio eſt propoſita, quàm veritas. Ita quidem Philoponus: Oratores, inquit, potius volunt πείθειν quàm ταλαθῆ προβάλλεσθαι. Inſtruit enim & hæc ars πραγμάτων utramq; partem, ſuaſorem, inquam, & diſſuaſorem: Accuſatorem & defenſorem: Laudatorem & vituperatorem. Docet id Ariſt: in Rhet: Aliarum quidem artium nulla eſt, quæ contraria argumentando colligat: Dialectica autem & Rhetorica ſolæ id faciunt: aquè enim ſunt utraque contrariorum. Scopus igitur hujus artis eſt perſuaſio: finis ejus aſſecutio, ſi hæc duo ex Gal: accuratè diſtinguenda ſunt. Neque quisquam mihi decantatum iſtud, bene dicere, obijciat, præclarè enim dicit Avenroes, Neminem uti Rhetorica aut Dialectica ſecum, ſed cum alio: quod iſto fine, non ſatis exprimitur: Deinde ad rationem finis pertinet, terminare, non terminari: At benè dicere, terminatur à perſuaſione.

CAPVT XI.

Aliud diſcrimen ex medijs.

IAm ſi media conſideres, quibus ad ſuam quæque finem contendat, illa non minus inter ſe differunt. Apodicticus jubet uti principijs cuique ſcientiæ proprijs, ut Geometrica doceantur Geometricè, Phyſica phyſicè, Politica politicè, tanquam in ſenſibus, ut de ſaporibus judicet guſtus, de coloribus, viſus, de ſonis, auditus: οὐκ γὰρ τῷ αὐτῷ γένει ἀνάγκη τὰ ἄκρα καὶ τὰ μέσα εἶναι. Item, ἀνάγκη τὸ μέσον ἐν τῇ αὐτῇ συγγενείᾳ εἶναι. Item, συγγενῆ δεῖ εἶναι τοῖς πρώτοις. Atque hoc quidem eſt, σκοπεῖν τὰ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, ſive, Φιλοσοφεῖν πραγματικῶς. Stultum autem eſt putare omnes terminos demonſtrationũ tunc eſſe in eodem genere, cùm ſunt in eâdem categoria. An non τὸ ζητούμενον in primaria demonſtratione interdum eſt δύναμις aliqua, interdum ἐνέργεια, aut ejus privatio, interdum διάθεσις? At ſubjectum genus in Phyſicis eſt ſubſtantia: Cauſa nunc in his, nunc in illis categorijs eſt. Ejuſdem eſt fatuitatis, ſcientias pro ratione categoriarum diſtribuere. Cùm autem propoſitiones ejuſmodi ſint epiſtemonicæ: id tamen diſcrimen in illis eſt, quòd Mathematica veras cauſas non habent: unde eorum prin-

cipia, ſunt ſimilitudine tantùm principia, ut ait Ariſtoteles: quoniam ab ijs demonſtrationes lucem (non cauſam τῆς ὑπάρξεως) acquirunt: Phyſica autem veras cauſas docere poſſunt. Itaque in Mathematicis, Notius, quod eſt demonſtrationis principium, non eſt cauſa vera, ſed definitio, qualiscunq; ea ſit, & propoſitio immediata, qua nixus Mathematicus de numeris & magnitudine, cæteruq; id genus demonſtrat accidentia propria, ordine quodam ſervato. Præterea in Phyſicis evidens illud, à quò ortum habet demonſtratio, eſt accidens: At verò in Mathematicis, ut diximus, eſt definitio aut propoſitio immediata. Vnde Themiſtius ait, Mathematicos ex definitionibus facilè in notitiam accidentium venire: at verò Phyſicos ex accidentibus ad definitionem. De Phyſicis autem demonſtrationibus & cauſis, ut tironibus res ſit magis perſpicua, ſciendum, cauſas aliquando eſſe ignotas, aliquando notas. Quòd ſi ſint ignotæ, ex accidenti aliquo oſtenduntur ὅτι ἐστι, ſimulque oſtenditur, cur ſit in effectus. Atque id eſt illud nobis notum, naturâ poſterius: quod eſt omnium demonſtrationum futurarum principium. Cauſis verò ita ab evidenti aliquo cognitis, accidentia alia oſtenduntur, ignota ὅτι ἐστι, & διότι ἐστι: atque hoc eſt alterum demonſtrationis genus. Et utrumque eſt vera demonſtratio: quoniam à notioribus & primis, utraq; procedit, & utraq; cauſam docet. Verbi gratia: Ex Eclipſi primùm cauſam oſtendimus cur ſit, ſcilicet terræ interpoſitionem, & quòd ſit terræ interpoſitio. Ex hac rurſus oſtendimus, terram umbram facere pyramidalem: In quo ſecundo ſyllogiſmo cauſa, quæ eſt terræ interpoſitio, notior eſt tum nobis, tum ſuapte natura, quam ſit umbra illa, cauſa ſcilicet, quàm effectus. Ita ab evidenti aliquo cognoſco dari ignem ſubterraneum, evidentis illius ſymptomatis cauſam: quo conſtituto, poſtea ad multa alia progredior: Quemadmodum in communi vita, conſilijs tandem clandeſtinis cognitis, multa alia patefiunt, quæ antea minùs animadvertebantur. Neq; quicquam decedit ſententiæ illi, qua ſtatuitur, Notitiam omnem à notioribus nobis proficiſci. Nam de principio illo omnium primo, id eſt intelligendum: id enim oportet evidens quippiam ſit: progreſſu autem autem demonſtrationis à notioribus, prioribusq; tum nobis, tum natura, licet inchoare. Ex ijs autem quæ ſuprà diximus, intelligimus, Græcorum diſcrimen inter ſyllogiſmos Dialecticos & Apodicticos (quod Dialectici tantum habeant cauſam τοῦ πράγματος) pertinere imprimis ad apodixes Phyſicorum. Hæc breviter de propoſitionibus epiſtemonicis, & maximè de Phyſicis. Conſideremus jam Dialectices principia, quæ non ſunt propria, ſed potius communes & receptæ propoſitiones, ac λόγοι ἐξωτερικοὶ, extra genus ἐγκείμενοι, tanquam ſi quis de dulcedine judicares, vel viſu vel auditu, eaque oportet etiam à reſpondente ſint conceſſa. Vnde in Dialogis ita rogare ſolent: Videtúrne tibi cauſatum reſpondere ſuis cauſis? At hujusmodi propoſitionibus interdum accidere poteſt, ut ſint

ut ſint propriæ: accidere etiam poteſt, ut ſint veræ. Audiamus Alexandrum: verum inquit differt ab ἐνδόξῳ, non quidem quod τὸ ἔνδοξον ſit falſum, ſed comparatione. Nam verum dijudicatur à re, de qua agitur. Quando enim ei adæquatur verũ eſt: ἔνδοξον autem, nõ ex re æſtimatur, ſed ex auditoribus eorumq; opinionibus, quas de talibus rebus animo jam comprehenſas tenent. Itaque menſura Apodictici eſt extrà, res ſcilicet cognoſcenda, ſive principia ex ea deducta: intellectus autem eſt menſuratum. Dialectici verò menſura, eſt intra, intellectus ſcilicet, ſive δοξαστικὴ ὑπόθεσις, jam ante à nobis comprehenſa: res verò eſt menſuratum. Non enim ſolum ut amamus, ita judicamus, ſed etiam ut opinamur. Quamobrem non rectè videntur illi rem aſſequi, qui τὰ ἐνδοξα latinè reddunt probabilia, eaq; rebus circumfuſa eſſe putant: veritatem autem, quam Philoſophus quærat, tanquam quandam medullam, intus incluſam. Ita enim potiùs habendum. Haurimus ab rebus aliquibus propoſitiones, quæ in ijs veræ ſunt. Verbi gratia: Qualis cauſa, talis effectus: hoc verum animadverti, in non paucis cauſis efficientibus. Transfero jam id ad morbos, & quia cauſæ quædam morborum totâ ſubſtantiâ in corpus agunt, propoſitionem iſtam quam dixi interrogo: quâ conceſſâ contendo eſſe etiam morbos aliquos totius ſubſtantiæ. Ita contrà: An non: Qualis effectus, talis ejus cauſa? ſanè. Ergo ſine dubitatione etiam, Si erit calidus. Quid? An non quæque res oportet prius ſit, quàm uſurpetur? Ita. Hoc enim video in omnibus artificum operibus. Ergo & verba prius fuerunt, quàm eorum uſus. Ex quibus quidem apertè videre licet, quid ſit ἐνδοξως diſputare. Non enim ἔνδοξα rebus circumfuſa ſunt, ut ajunt, ſed ex noſtro potius promptuario, primùm illa afferuntur. & propoſitæ rei, aut ejus accidentibus deinde applicantur. Ex hoc autem intelligitur etiam, cur Averroes dixerit, Dialecticas propoſitiones magna ex parte veras, in paucis tamen falſas: Sophiſticas autem magna ex parte falſas, in paucis tamen quibusdam veras. Intelligitur etiam, cur in extremo ſecundi Top. ponatur hic locus. Si ex parte ineſt, etiam omninò ineſt: qui inſignis quoque eſt inter Sophiſticos. Apodictus verò (exceptis quibusdam Axiomatis) non ſecum domo ex ſuo promptuario propoſitiones ex alijs rebus collectas affert, ſed ex naturâ rei ſubjectæ eas educit. Hinc ſeverè præcipitur in Analyticis, ne migremus principia. Quia autem iſtiusmodi communibus pugnat Dialecticus, propterea unum ex eis organis eſt collectio propoſitionum pervulgatarum & auctoritatum: oſtenduntur q; ei προοιμιακὰ & τόποι, tanquam occaſiones quædam τῶν ἐπιχειρημάτων. Ad problemata quidem omnia πρὸς τὰ ἁπλῶς ὑπαρχειν, inventio, qualem libri Dialecticorum vulgò promittunt (quando, inquam, non quæritur, an aliquid alterius genus, aut proprium aut definitio ſit) tradita eſt in 2. lib. Topicorum: Cum autem comparatè quæritur, An hoc iſto ſit præſtantius, compre-

 henſa

henſa eſt ea libro tertio. Nullam tamen videmus ei attributam theoricam cauſarum: quia cauſas contemplari, Philoſophi proprium eſt: ſuperat γυμναστικὴν. Vnde Dialecticus ſyllogiſmus dicitur tantùm principium cognitionis, non rei. Et Philoponus rectè docet, δόξαν, neſcire cauſam: qui etiam alibi ait, Dialecticum cauſam formalem quidem conſiderare, verùm non ut cauſam, ſed ut rem declaret. Quin Simplicius etiam tertio de anima docet, prudentum eſſe notitiam practicam cum cauſa: ſcientiam verò theoreticam cum cauſa: at verò ancipitem eſſe atque in utroque genere, opinionem, utrobique cauſa expertem. Quòd ſi Dialecticus cauſam τῆς ὑπάρξεως, ut Analyticus, conſideraret, ſanè quæſtio cauſæ, poſſet eſſe quæſtio Dialectica: quod clariſſimis verbis negat Alex: 4. Topic. Videmus etiam in Analyticis, ſyllogiſmum à cauſa antecedente & communi, inter demonſtrationes locum invenire. Ergo, ut de hiſtoria præclarè dicit Polybius, Si ab ea auferantur cauſæ, eam ἀζήτησιν fore, non μάθημα: ita idem nos de γυμναστικῇ, quæ eſt tantùm ἀζήτησις, ne ea μάθημα fiat, & λόγῳ διδασκαλικὸς, omittendas eſſe cauſas. Quod ſi quis dicat, eſſe in Top. locum ἀπὸ τῶν πομπικῶν, καὶ φθαρτικῶν, is ſi attendat, videbit, valere eum quidem ad bonitatem rei probandam aut refutandam, nō autem ad ὕπαρξιν, quæ eſt analytica cauſarum πραγματεία. Id quod ex eo etiam patet, quia quæſtio in hunc modum conformata, Quæ nam eſt cauſa æſtus maris? ne quidem Dialectica eſt, cum ad eam non poſſit reſponderi Ita, aut, Non. Ex his autem colligi poteſt, in σοφιστικῇ (quæ propriè contraria opponitur τῇ διαλεκτικῇ, ut ψευδογραφικὴ τῇ ἀναλυτικῇ) τὸ μὴ ἀίτιον ὡς αἴτιον τιθέναι, non eſſe intelligendum, de falſa τοῦ πράγματος cauſa, ſed de falſa cauſa concluſionis in ſyllogiſmis διὰ τὸ ἀδύνατον. Nam ut annotat Alex. eſt idem vitium hoc, cum eo, quod in prioribus Analyticis vocatur, τὸ μὴ παρὰ τοῦτο: quando ſcilicet ex alio aliquo extrinſecus aſſumpto, ἀδύνατόν aliquod naſcitur, non autem ex propoſita ſententia, de qua certatur. Vide in 2. Elench. vocatur παράθεσις τινος: ὅσοι, inquit, πρὸς τὸ παρεσκευάσθαι. Oratori quidem, qui cæteroquin minus firmis utitur, quàm Dialecticus, attributus eſt locus cauſarum 2. Rhetoricorum: fortaſſis, quia verſatur is in materia civili & notiori, & ſpectat fortunam, locum, tempus, perſonam: in quibus de rebus ſingularibus cauſæ non ita fugiunt auditorem popularem. Quoniam enim Rhetorica miniſtra eſt civilis ſcientiæ, Dialectica autem magis adhibetur ad rerum cognitionem: & cauſæ in theoreticis ſunt extrà in rebus: in politicis verò oriuntur à nobis, mirum non eſt, ſi homines etiam plebeij, cauſas tales facilè poſſint comprehendere. Vnde fucatum Enthymema, á non cauſa, ut cauſa, in Rhet. eo ſenſu accipitur, quo plerique omnes tradiderunt: non autem, quomodo in Sophiſticis Elenchis intelligendum diximus. Eſſe autem Dialecticos ſyllogiſmos, tantùm cognitionis ſive concluſionis cauſas, non τοῦ πράγματος, videamus in

paucis

paucis quibusdam γυμνασίας χάριν. Ergo, si quid probare instituas per definitionem Dialecticam & essentialem, (non causalem) sive ea vera sit, sive tantum ἔνδοξος, de sententia Aristotelis postulas id ipsum, quod in quæstione est. Definitio enim & definitum sunt numero idem: quo fit, ut qui definito aliquid negat, is idem de definitione quoq; sit negaturus. Qui negat Physicam utilem rebus humanis, is etiam contemplationem rerum naturalium, negabit utilem. Sed quia differunt definitum & definitio modo cognitionis, qui definitione utitur, notiori propositione utitur, & principium affert cognitionis, non rei. Ad eundem modum, si de specie quid probes per genus, plus quam principium petis: quippe qui assumpto genere & de proposita specie, & de cæteris, id tibi velis concedi, quod quæritur. Aliud autem est, cùm genus non ut totum quiddam, & commune consideratur, sed ut essentiale principium speciei. Quæ distinctio subtilior est, quam ut in γυμνασιχὴν cadat. Eodem modo si per speciem confirmes aliquid de genere, ex parte petis principium. Idem docet de partibus & toto, Alex: in Sophist: Qui, inquit, probat locum esse, quia sit sursum & deorsum, antè & pòst, dextrum & sinistrum, sumit ἀναπόδεικτως quod erat probandum: Quatenus tamen notiori utitur, cognitionis syllogismum affert. Par ratio est contrariorum. Neque enim qui confirmat Philosophiam plurimorum bonorum auctorem esse, quia ex ἀγνοίας & διάθεσιν, plurima mala in Remp: redundent, causam affert suæ attributionis: lucem tamen quæstioni affert. Quomodo etiam apud Mathematicos, cùm duæ lineæ inter se æquales esse dicuntur, quia uni tertiæ sint æquales. Neque enim tertia illa est causa, cur duæ istæ sint inter se æquales: etsi sit causa cognitionis. Idem tu periculum jam fac in cæteris: ut paulatim discamus quid differant Apodictica à Gymnasticis, Oratorijs, & Epidicticis Sophistarum. Iam Oratorum epichiremata sunt propriè ea quæ dicuntur πιθανὰ. Est autem πιθανὸν ἔνδοξον quoddam, scilicet quod aut omnibus aut plerisque ita videtur, in rebus civilibus. Cùm itaq; Rhetorica dicitur παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς, id non tantùm intelligimus propter enthymemata & exempla, sed etiam aliquo modo propter τὰ πιθανὰ eorumque inventionem. Nam effata ἀναστευαστικὰ & κατασκευαστικὰ universè sunt exposita 2. Top. At quæ propriè de utili & damnoso, justo & injusto, Honesto & turpi, id est, de ijs quæ sunt civilis scientiæ, vulgò vel pro confessis habentur, vel ex ijs deducuntur, tradita sunt primo Rhet. Ibidem rivuli quoque comparationum ex fontibus tertij topicorum derivati sunt, non solùm utiles oratoribus, sed planè necessarij, quicquid καθολικοὶ novorum subselliorum Philosophi dicant. Quantò autem infirmiora sunt oratorum πιθανὰ (excipio τεκμήρια) Dialecticorum multiplici genere ἐνδόξων, tantò plura sibi subsidio comparant, quibus illam infirmitatem sublevent, & compensent, commotiones scilicet

 animo-

animorum, orationem moratam, elocutionem, actionem: quæ nihil, aut parum, curæ ſunt Dialecticis. Quin neq; ſucata Enthymemata oratores ſemper fugere ſolent: non enim metuunt, ne nomen ſuum amittant: ut evenit Dialectico, ſi ad artes Sophiſticas ſeſe conferat: Immò orator in foro, Sophiſtam ſcholaſticum quibusdam vafris machinamentis etiam ſuperat: ut, cum exaggeratione confirmat aliquid aut refellit. Efficit enim hæc ratio, auctore Ariſtotele, ut de duobus alterum videatur, aut non feciſſe eum qui accuſatur, ſi ipſemet eam rem in majus attollat: aut feciſſe, ſi accuſator excandeſcat. Quod ſophiſma planè eſt oratorium, neque poteſt ad ullum in Elenchis Sophiſticis revocari.

CAPVT XII.

Ariſtotelis defenſio; & monſtroſa confuſio in novis Dialecticis.

Scribit Plato de Glauco Marino, ei facto naufragio, partes quasdam fuiſſe contuſas, quasdam fractas, quasdam penitus amiſſas & undiq; diſſipatas: Contrà autem adhæſiſſe illi conchilia, algam, & lapides. Equidem, lector benevole, ſi ex me quæras, quis ille Glaucus marinus fuerit, apertè dicam, & ſine circuitione, fuiſſe Ariſtotelem. Neq; enim profectò miſerius fortuna cum illo naufrago egit, quàm hodie ambitio hominum, cum Apodicticis, Dialecticis, Oratorijs, & Sophiſticis, immò cum tota Philoſophia Ariſtotelis. Habuit hic vir admiratores ingenij ſui tot jam annis, tot præſtantiſſimos viros: In ijs Theophraſtum, Alexandrum, Galenum, Avenroëm, Avicennam, Thomam: Vno verbo, ſcholas Græcas, Arabicas, Latinas: inventi tandem ſunt noſtra memoria, qui cornicum, quod ajunt, oculos confixerunt, easque fatuitates huic Philoſopho objecerunt, quæ ſi ſexcenteſima ex parte rectè objectæ ſunt, nullus unquam triobolaris baculatius fuit, eo pinguior & ſtupidior. In quo tamen ſummo ſtupore, rurſus aut oportet acumen ejus mireris, quod pinguiſſimas ſuas ſententias, perpetuam inconſtantiam, perpetuam tautologiam, perpetuam violationem præceptorum ſuorum, adeo vafrè occultavit, ut tot tantique viri nihil horum unquam odorari potuerint, aut certè ſummæ ſtupiditati illa quæ dixi præclariſſima Philoſophiæ lumina, etiam condemnanda ſunt ſtupidiſſimum dico Galenum fuiſſe: ſtupidiſſimum Alexandrum: ſtupidiſſimum Avenroëm, non viros amplius, ſed plus quàm pueros, ſi hos tam pueriles errores, qui objiciuntur, cernere non potuerunt. Sed nimirum aliter ſe res habet. Sunt quidam homines naturâ εὐαπολογητοι & ſimul ambitione occæcati, quitum ſe ſummo loco futuros ſperant, cum alios in imum præcipita verint. Magni illi quidem

quidem interdum in certo quodam genere, ſed majores futuri, ſi minores eſſe vellent. His fruſtra occinas id, quod jam olim auctore Euſebio ab Ariſtotele dictum fuit, de Ariſtotelis calumniatoribus: Eorum etiam nomina & libros unà cum ipſis interire. Fruſtra etiam id quod à ſummo Scaligero dictum eſt: Ariſtotelis calumniatores pecora eſſe. Sed dices: Hæc quidem Rhetorica, & cum multis communis, poteſt eſſe defenſio. Equidem non nego poſſe fortaſſis ad quosdam Philoſophos idem hoc transferri, qui graviter tamen lapſi ſint: Sed qui duobus ferè millibus annorum, tàm præſtantes ſectatores habuerit, ac nunc demum tot turpium errorum convictus ſit, certè ſcio ego adhuc neminem. Itaq; Iure hoc dubitationem excitet. Sed videamus ex rei naturâ. Apodictica ſunt exterminata: ita tamen ut partium quarundam, neſcio quæ imago remanſerit ſanè quàm tenuis & confuſa: Dialectica eandem inimicam vim fati ſubierunt, ſi omnia ejus membra perluſtres, niſi quod loci problematum τοῦ ἁπλῶς ὑπάρχειν. benigniorem fortunam habuerunt: Rhetorica itidem mirabiliter ſunt correcta, vel potius caſtrata: Sophiſtici denique Elenchi non circumciſi, ſed funditus exciſi ſunt. Pro his inventio quadam communis ex Apodicticis, Rhetoricis, & Dialecticis conflata eſt: monſtrum, ad minimũ, biceps. Si enim aliud eſt ſcientia, aliud opinio & dubitatio: ſi item aliud, facultas animi ἐνθυμηματικὴ, apud δοξαστικήν: Si aliud etiã eſt docere κατ' ἀλήθειαν, adhibita ἀκριβολογίᾳ ἐνθυμηματικῇ, aliud ſeſe in utramq; partem diſputando exercere: ſi denique aliud eſt, vi rationum ἁμετάπτωτον fieri, aliud ἐπιχείρημα, nimirum etiam inſtrumenta & propoſitiones, utrobique aliæ atq; aliæ erunt: aliudque erit λόγῳ διδασκαλικὸς & artificii ſtatera, aliud γυμναστικὴ, & populariũ trutina: non magis certè confundenda, quàm ſcientia & opinio: habitus certus & habitus dubius: κατόρθωμα & officium medium: Gladiatoria & ars bellica. In ſcientijs enim maxima ſæpè laus eſt, à populari ſententia quàm longiſſimè abeſſe: at verò contrà in Gymnaſticis, & multò magis in Oratorijs, nihil tàm vitioſum, quàm à communi judicio abhorrere. In ſcientijs etiam ſumma adhibenda eſt ἀκρίβεια in inventione cauſarum, principiorum & elementorum cujusq; rei, item τῶν πρώτων πάσχοντων: de quibus nihil in Dialecticis, multò minus in Rhetoricis. Cùm enim inventio reſpondere debeat quæſtioni, plurimum autem inter ſe diſferant quæſtiones epiſtemonicæ à Dialecticis & Oratorijs (ad has enim poteſt reſponderi Ita, aut non: ad illas, non item) Quî igitur una eademq; inveniendi ratio poteſt conſtitui? At, inquies, Ratione uti eſt commune quidam, & fuſum per omnia. At, inquam, hæc ipſa rationalis animæ vis, qua aliud ex alio colligimus, dividitur in δοξαστικὴν, & in ἐπιστημονικὴν. Sempérne volitabimus in quibusdam communibus? An non tandem audiemus Platonem, qui docet, diviſionem & rerum & verborum copiam afferre, & ſine ea nos neque rectè

ſentire

ſentire neque loqui poſſe ? Etiam oratio communis eſt, Philoſopho, Poëtæ, & Oratori, hocque commune habet ubique, ut ſit perſpicua. Non tamen propterea omnibus his planè eadem : Alia certè eſt poëtæ in theatro hominum mores imitantis & oblectantis : alia Oratoris in foro contendentis aut narrantis: alia Philoſophi, in ſchola rerum naturam explicantis. Neq; hæc ab uno artifice, quatenus uno eſt habitu præditus, tradenda ſunt : cum ex cujusque fine, & rei ſubjectæ varietate, differentiæ naſcantur. Ex hac autem confuſione, verè id hodiè animadvertas, quod de Chryſippeis Dialecticis, ſuprà ex Galeno vidimus. Non enim piget idem iterare, ſi fortè tanti medici repetita medicina, tandem huic morbo noſtro mederi poſſit : Inde ſiquidem effectum eſt (inquit) ut in eorum libris, omnis generis aſſumptiones, nullo habito delectu, commixtæ ſint : Sæpeq; præcedat, ſi ita inciderit, oratoria argumentatio, ſequatur exercitatoria, ac diſſertatoria, deinceps ſcientiam efficiens, poſtremo loco, ſi ita ſors tulerit, captioſa collocetur. Ex his etiam intelligitur cauſa facilitatis & brevitatis, qua ſuperficiarij homines niminùm quantum ſibi hodie placent. Exterminatis enim Apodicticis, libris ſcilicet acroamaticis, in quibus omnis ſubtiliter & γεωμετρικῶς Philoſophandi ratio continetur : proſcriptis etiam, aut capite diminutis Topicis, Rhetoricis & Sophiſticis, mirum non eſt, brevia omnia eſſe facta & facilia. Sed absque horum auxilio, quâ acres veritatis inveſtigatores, amabilis iſta brevitas & facilitas pepererint, gravium Philoſophorum judicium eſto. Atque hæc quidem eminus tantùm oſtenſa ſit alieniſſimarum rerum confuſio. Videamus mutilationem aquè gravem.

CAPVT XIII.

Peccata in quartum modum per ſe.

Et primùm de mutilatione Dialecticorum.

ΤΟ' καθ' αὐτὸ ipſismet auctoribus eſt regula & verum κριτήριον, quid in artibus retinendum, quid exterminandum. Eſto ſanè. At verò, & Chryſipei, non eſt unica ratio eorum, quæ ſunt per ſe. Prima & ſecunda ſignificatio, fuerunt ad Mathematica approbata. Quarta eſt uſitatiſſima in Phyſicis : Eſt etiam uſitatiſſima in ſcientia civili, in artibus, in Analyticis, in Gymnaſticis, in Oratoriis : cùm in his, propoſito fine, ea colliguntur & in arte traduntur, quæ per ſe, & ſua vî, finem illum progignere poſſunt : eaque arti illi homogenea & neceſſaria ſunt. Cur igitur ex Gymnaſticis præcepta ſuſtuliſtis τάξεως & κρύψεως ? An nihil faciunt ad rem ? An in arte militari quoque τάξις, ſive aciei inſtruendæ ratio, & κρύψις, id eſt, ſtrategemata,

nihil

Digitized by Google

nihil faciunt ad victoriam? Quid igitur Vegetius? Si, inquit, acies sapienter disponitur, plurimum juvat: si imperitè, quamvis optimi bellatores, malè dispositione franguntur. De strategematis militaribus & Dialecticorum aggressionibus, nemo nisi stultus dubitat. Cur item sustulistis, quartum, quintum, sextum, septimum Dialecticorum libros? An hæc quoque nullius sunt usus? An quia illorum omnium problematum, quæ his libris tractantur, definitionibus cognitis, protinus etiam effata hæc oppugnandi, sunt cognita? ut si norim quid sit genus, omnia etiam effata contra id disputandi, statim norim. Est hæc quidem plausibilis vestra & expedita responsio, quâ propemodum eâdem olim etiam pro suis communitatibus illi usi sunt, qui se in arte medica vocabant Methodicos: quos tamen Galenus ab auctore potiùs nominabat Thessalicos asinos. Ar-qui supra didicimus, definitiones, quæ sunt orationes in angustum coarctatæ, non satis posse à tironibus capi, propterea que longis potiùs explicationibus eos detinendos. Ita certè definitiones primo Topic. traditæ, erant evolvendæ, & latentia effata ἀναστρεφομένα, elicienda. Non enim si tu jam senex, qui tota vita in Scholis habitasti, ex definitionibus συγχεῖα illa potes educere, etiam tiro educet: Cùm præsertim libri illi sint ad communem hominum intelligentiam conscripti. Conqueritur adolescens apud comicum de senum duritie: Moderantur, inquit, ex ea libidine, quæ nunc est, non quæ olim fuit: Rectiùs conqueratur alius: Docent ex sua intelligendi facilitate, quæ nunc est, non quæ olim fuit. Iube edisce re tironem morborum definitionem, videbis an non præterea ei opus sit indicationibus ex definitione quaque eductis, & longioribus Galeni commentarijs.

CAPVT XIII.

De mutilatione Rhetoricorum.

DE Rhetoricis non minor nostra querela & admiratio est. Mirum enim profectò, Elocutionem, (quæ naturalis maximè debet esse, ne suspicionem malæ causæ afferat) & actionem, quæ ab histrionibus est petenda, fuisse retenta, præcepta autem illa aurea πιθανὰ & πρέποντα, spreta & abjecta. Nam ex ipsismet quæro, si cætera omnia sint paria, uter ex his duobus oratoribus plus ad persuadendum virum sit habiturus, is ne qui permovendis, & in omnem partem flectendis hominum animis plurimum valuerit, an qui actione aut elocutione? Ita in deliberando, quæso quid valentius morata oratione? An falsum putas, quod Aristoteles contra veteres dicendi magistros docuit: Nihil ferè ad faciendam fidem potentius atque efficacius

esse,

esse, moribus dicentis : quod ipso orationis genere fieri oportet, non ob præjudicatam de dicentis ingenio ac moribus opinionem. Ac sanè hæc ipsa causa est, cur elocutio & actio in extremum librum ab Aristotele sint rejecta : quæ tamen, ut est omnium rerum vicissitudo, hodie in novis Rhetoricis, primas, secundas, & tertias, id est, omnia obtinent. Atqui, dices, è locis Dialecticis, ista quæ desideras, possunt erui. O beatissimos locos, profectò non malè olim philosophatus est Anaxagoras, πᾶν ἐν παντὶ μέμικται. Nam ex isto vestro decem locellorum sacco, quid tandem non depromitis ? putavi ego huc usque ex Theophrasto, παραγγέλματα in Dialecticis, esse principia locorum : Locos verò principia ἀπομνημάτων, (nota) quibus in omnem partem probando utimur. Nunc video, quicquid mihi in ulla arte inveniendum, in his beatis Stoicorum in sulis, me reperturum. Audivi enim, qui dicerent, si medico inveniendum remedium ad subitum animi deliquium, ad dolorem dentium, ad omnes omnino morbos, hos Crœsi thesauros ei adeundos. Si Poëta velit adumbrare, summum Reipub. moderatorem, ut fecit Vergilius, ad fabulæ inventionem & systema, huc recurrendum. Si pictor denique conetur exprimere qui mores sint Melancholiæ, aut qui decursus ætatis adolescentis boni & tractabilis, qui contrà perversi & distorti, huc properandum. Mirum verò quòd oratori verba etiam selectiora non itidem hinc arcessenda volucrunt. Sed quando adeò exprompta & beata in istis locis vestris est facultas, cùm cæterarum rerum, tum etiam commovendorum affectuum, placétne sodes in rem præsentem venire ? Fac hodie tibi remotis omnibus subsidijs, causam Milonis agendam, & ad extremum judicum animos ad misericordiam flectendos. Hîc tibi trepidanti, & inexercitato, ecce in alteram manum do locos istos tuos locupletissimos, in alteram misera & repudiata præcepta Aristotelis. Hinc, hinc, non aliunde, videbis, utra manus liberalior sit futura, utra expressiora omnia habitura. Sine dubio tandem disces de tuis thesauris Hippocrateum illud : Omni copia inest inopia. Idem hoc agnosces quoque in repudiata inventione Rhetoricæ. Suprà enim diximus, artem hanc virgultum esse Dialectices : & propterea inventionem ejus propriorum in quoque genere argumentorum, ex fontibus secundi & tertij Topicorum derivari. Nam quæ in his quoque versum latè diffusa fuerunt, ea ad usum τῶν πολιτικῶν λόγων arctiùs conclusa, quasi in agros oratorios deducta sunt. Atq; inde quidem emanarunt pulcherrima illa effata, de utili & damnoso : justo & injusto : honesto & turpi : quæ tu mihi nunquam (absit jurare) ex communissimis Dialecticorum locis, facilè educes.

Experire. Verum me dices.

CAPVT

CAPVT XIV.

De exterminatione Elenchorum Sophiſticorum.

SEd tempus eſt tandem audire cauſam, cur elenchi Sophiſtici, nullam gratiam apud eos invenerint: Quia, inquiunt, nullum de vnijs præceptum eſt in virtutis explicatione homogeneum: Immò rectum ipſum index eſt ſui & obliqui. Quid audio? Ergo in arte Medica, non niſi naturalis & recta partium temperies, magnitudo, conformatio, cæteraq; poſthac tradenda ſunt: intemperies nulla, febris nulla, morbi organici aut communes nulli: quia hæc omnia ſunt vitia & receſſus à recto: quod non ſolum ſui, ſed etiam obliqui eſt index. Cognitio coagmentationis naturalis articulorum poſthac etiam ſatis erit ad uſum medendi: luxationum & ſubluxationum differentias, ἐκπλάσματα, ῥήγματα, ἀλάγρημματα, διαστήματα, enucleatè perſequi inertium & garrulorum Medicorum eſt. O auream brevitatem! & artem verè parvam! Eat nunc Gal. cum ſua arte parva. Eat etiam Theſſalus, qui ſex menſibus docebat medicinam: Exortus eſt, qui fortaſſis ſex dierum hebdomadis, Eat, quin etiam Theophraſtus: Eat Seneca, qui ad mores hominum informandos, probarunt non ſolum generalia dogmata, verum etiam particularia præcepta: neq; ſolùm hæc, ſed etiam deſcriptiones vitioſorum hominum, avarorum, ambitioſorum, diffidentium, impudentium: quales ſunt Characteres collecti ab elegantiſſimo Theophraſto, ſi index non fallit. Stulti mercatores, qui notas in tabernis ſuis proponunt, nummorum improborum: ſtulti pharmacopœi, qui itidem notas tradunt eorum, quæ falſaci imitatione ipſos in fraudem inducere poſſunt: ſtultus etiam Hippocrates, qui non ſolum monuit, quibus morborum temporibus movendum corpus ſit, ſed etiam quibus quieſcendum. Stulti inquam, hi omnes: Qui enim rectum cognovit, omnia obliqua cognovit. Sed eſtne quæſo idem rem actu cognoſcere, & poteſtate cognoſcere? An non actus eſt objectum intellectus, ut color oculorum? An non omnis confuſa & involuta cognitio, diſtinguenda eſt & evolvenda? præſertim in ijs artibus, quarum perfectio eſt in uſu rerum ſingularium, in quibus ſumma capita & modos diſcendendi à recto, accuratè explicare oportet. Ab actu enim, ajunt noſtri peripatetici, unaquæq; res habet ut ſit: ab actu, ut ab alijs internoſcatur: & ubi actus non appareat, dominari ibi non ens & ignorantiam, ſeu tenebras & nihil. Atque inde quidem fit, ut materia prima, ſi conſideretur ut poteſtas, id eſt, ut ὕλη (non autem ut ὑλικὴ οὐσία) comprehendi non poſſit, niſi ſpuria ratione: ea item quæ fluunt, id eſt, quæ imperfectum ſaltem actum habent, ut Tempus,

Motus, difficulter intelligantur. Verùm hæ lactucæ non ſapiunt durioribus labris novorum ſapientum. Mittamus igitur. Quod ſi verò modi diſcedendi à recto, non ſunt diſtinctè explicandi, poterunt nobis redire plumbei Stoici, qui peccata omnia faciebant paria: quia qui eſſet ſub aqua, ſive profundè demerſus, ſive non, eſſet ſub aqua. Redire etiam poterunt Pythagorei, qui ἀφαιρέσει hujusmodi, omnia faciebant unum. Audi tu potius graviſſimi Philoſophi graviſſimum judicium: Ariſtotelem dico in Rhetoricis: præter hæc, autem, inquit, quærere aliquid ſimpliciter & universè de magnitudine & exuperantiâ, nugari eſt. Singularia enim potiora ſunt ad uſum, ijs, quæ universè diſputantur.

CAPVT XV.

Judicium de novis Dialecticis.

QVid igitur? Novam Dialecticam nullo tu numero habes? An non ſaltem tironibus eam utilem cenſes, quibus ſubtiliora oneri ſunt & impedimento? Aliud enim eſt ἁπλῶς ἀγαθὸν, aliud τινὶ. Ego verò, ut dicam ſine præoccupatione animi, non poſſum adhuc videre cauſam ullam cur tironibus illam ex uſu putem. Intuearis ipſe quoque eodem animo (malum enim præjudicium, quod caret judicio) Galeni libellos ad introducendos, & conferas cum commentarijs ad provectiores, facilè agnoſces quid ſit in hoc genere τινὶ ἀγαθὸν, quid ἁπλῶς: Videbis, aliud eſſe introductionem, aliud abductionem. Quod conſiderans Imp. Juſtinianus, Inſtitutiones juris novas, ad ſuam Νομοθεσίαν accommodatas voluit confici, quamvis plurimæ tùm extabant aliorum inſtitutiones.

CAPVT XVI.

De uſu ſtrictim.

ARtes hæ, de quibus diſputamus, poſſunt diſci tum præceptis à ſummis viris jam uſu & obſervatione notatis, tum etiam ex operibus ad illa præcepta expreſſis. Quod ſi igitur eæ ſunt diverſiſſimæ, ut vidimus, nimirum non eadem nobis in omnibus quærenda & notanda erunt. In Philoſophorum igitur ſcriptis, Analytica maximè ob oculos habebis. In Dialogis, Dialectici officia exquires, interrogando & reſpondendo. In Oratoribus, cognitâ cauſâ, videbis omnia genera argumentorum propriorum, communium, communiſſimorum: ſententias Patheticas: ſententias ethicas: Elocutionem:

nem : Actionem etiam, si potes. In Poëtis, quoniam, ut Plato & Aristoteles docent, τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν, ἢ τῶν μέτρων, hæc utraque considerabis, excussis etiam ceteris præceptis Aristotelis, Horatij, Scaligeri, aliorum. In historicis, rerum προφάσεις, rerum αἰτίας, veritatem, διηγήσεις, & si quæ aliæ. Ita non ubique procudes nobis odiosissimos tuos syllogismos : sed Historicos tractabis historicè : Poëtas poëticè : Oratores oratoriè : Philosophos philosophicè.

CAPVT XVII.

Non esse in omnibus disciplinis utilitatem spectandam.

PErcrebuit per novos Philosophos nova quædam, vel potiùs renovata opinio, inania esse ea omnia, & sophistica in Philosophia, quæ ad usum nullum in vita humana possint revocari. Qui si de artibus, aut scientia civili loquerentur, fortassis non magnopere repugnarem. Nunc quia universè hoc disputant, valdè profectò miror inveniri homines, qui se homines esse negent. An non enim omnes naturâ sumus appetentes cognitionis, quamvis nulla unquam utilitas inde sit sequitura ? quippe discendo constituitur animus in statu naturæ consentaneo, auctore Aristotele : & scientia est per se, ut ait Eustrat : perfectio mentis humanæ. An non etiam omnes naturâ gaudemus sedium mutatione & peregrinationibus, quòd multa nova quotidie videamus, ob idque propè assiduè discamus ? idque non semper propter molam farinariam aut ullum usum, sed quia animo non potest offerri pabulum cognitione jucundius. Nam ut animal constituitur per αἰσθάνεσθαι : ita homo maximè propriè per θαυμάζειν : siquidem ab omnibus aliis animantibus differimus, quoniam scientiæ capaces sumus, & veritatis sensum habemus, ut docet Alexand. ἐνέργειαι autem καθ' ὁ ἐστιν ἕκαστον, unumquamque rem perficiunt. Atque hinc quidem fit, ut ab ineunte ætate simus φιλήκοοι & φιλόμυθοι : Et idem Alexand : eos pueros ceteris antepono, qui studiosiores sunt fabellarum : quia ea admirabilibus constant : in admiratione autem inest quædam discendi cupiditas. Præterea, an non theoreticus intellectus in se se tanquam circulus redit, cognoscens ut cognoscat ? Nunquam discemus distinguere Philosophiam theoreticam (quæ est θεωρία τῶν θείων) à civili (quæ est περὶ τ' ἀνθρώπινα) & ab artibus ? Denique quid respondebimus Ciceroni, qui ait, inprimis hominis esse propriam veri inquisitionem atque investigationem :

nem : & addit : Itaque cùm ſumus neceſſarijs negocijs curiique vacui, tum avemus aliquid videre, audire, ac diſcere, cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad benè beatèque vivendum, neceſſariam ducimus. Quid reſpondebimus etiam ſummo Alexandro, qui libro quarto, problem. xx. ex rei natura hoc conficit, non eſſe ubique quærendum utile. Ac „ *præſtat fortaſſis ejus quædam verba adſcribere : Qui, inquit, in omni actione,* „ *& omni diſciplina, id quod eſt utile exigit, & nihil diſcere vel agere, quòd non* „ *ſit utile, ſibi in animum inducit, id aliquid eſſe bonum, & per ſe eligendum per-* „ *imit : Siquidem quod utile quidem eſt ſit alicujus alius gratia, ad quod utile* „ *eſt : quod autem alicujus alius ſit gratia, cùm ab eo id quod eſt eligendum habe-* „ *at, ab illo etiam habet ut ſit bonum. Quicquid autem eſt utile, eſt boni alicujus* „ *efficiens. Sed ſi id quod per ſe bonum eſt & eligendum, eſt eo magis bonum, quod* „ *ab alio bonum habet : qui id quod eſt utile, in omnibus requirit, eſſe aliquid pro-* „ *priè & per ſe perimit. Præterea, qui id ſolum quod eſt utile bonum & eligen-* „ *dum eſſe dicit, aliquid etiam eſſe utile tollit. Si enim quod eſt utile, tanquam* „ *boni efficiens eligendum eſt, & ut ſit bonum habet ab eo quod ſit ab ipſo ; Nihil* „ *autem eſt ejusmodi, eorum ſententia, quibus ſolum eſt eligendum, non fuerit* „ *utile, eo ſublato, propter quod id quod eſt utile factum, in ſe habet ut ſit eligen-* „ *dum, ſi enim quod eſt utile, utile ſit, quòd ſit alicujus utilis boni efficiens : erit* „ *quidquid ſit ab utili, utile, quod eo quòd ſit utile, ad aliud rurſus relationem* „ *habebit. Sic autem procedet in infinitum, dum ſemper id quod eſt utile, eo quòd* „ *aliquid facit, ſit utile : id autem quodcunque id ſit quod ab utili efficitur, ipſum* „ *quoque utile exiſtat. Cùm hoc autem ſic habeat, ne utile quidem adhuc utile* „ *manſerit, cùm non ſit extremum aliquod, quod eò quod per ſe ſit eligendum* „ *& bonum, & ijs, quæ ad ipſum conferunt & ad ipſum ſunt utilia, ut talia* „ *ſint præſtitit. Quemadmodum enim ſi non ſit eligendum id quod ſit, nec quod* „ *ad id quidem utile eſt, fuerit eligendum : ſic nec quidpiam eorum quæ ſunt* „ *ad utile utilia, id quod eſt eligendum habuerit, quò nihil eorum quæ ab ipſis* „ *fiunt, ſit propter ſe eligendum : ſiquidem abſurdum eſt, aliquod eſſe bonum* „ *perimere : perimitur autem eorum ſententiâ, qui dicunt utili tantùm eſſe* „ *ſtudendum, ut oſtenſum eſt. Abſurdum autem etiam dicere, nihil eſſe utile :* „ *quod ipſum etiam tollunt, qui utili tantùm ſtuderi dicunt.*

ERNESTI SONERI

DISPUTATIO PRIMA,

DE

MATERIA PRIMA.

Respondit

M. Johan. Georgius Vestner, Altdorfinus.

Mens. Jun. cIↃ IↃ cVII.

THESIS I.

QUandoquidem omnis cognitio & scientia, cujuscunq; disciplinæ aut methodi, quæ principia, vel causas, vel elementa habet, a ex horum prænotione contingit, jure optimo Aristoteles admirabilem suam Naturalis scientiæ texturam à tractatione principiorum auspicari debuit.

a 1. physic. t. 1.

II.

Vnumquodq; enim tùm demùm nos scire putamus, quùm illius causas, b *primaq; principia, usq; ad Elementa, tenemus.*

b ibid.

III.

Et error, in principio parvus, si longè progrediaris, fit decies millies major. c Cujus rei causa est, quia principium virtute majus est, quàm magnitudine: *Et, ut rectè D. Thomas,* d *Principiata continentur in principijs. Maximo igitur enitendum est opere, ut omnis à principijs abigatur error, quò recto veritatis tramite doctrina deinceps excurrat.*

c 1. Cœl. 5. t. 33. d 12. Metaphys.

IV.

Sunt autem principia duplicia: τῆς γνώσεως & τῆ θέσεως, *sive ut Eustratius vocat,* τῆς οὐσίας: *Latini dicunt, Cognitionis & Constitutionis, sive Essentiæ.*

c 6. Eth. c. 1, & Averrh. 1. Phys. t. 8.

Cogni-

V.

Cognitionis principia dicuntur [illegible] *& ἀξιώματα, a sic dicta ab auctoritate & fide, quam à seipsis habent, atq; conclusionem asserunt. Et talia absolutè rem non constituunt, sed sunt causse τῶν συμπερασμάτων, ut loquuntur Themistius,* b *non τῶν πράγματων.*

a Eustrat. ibid. b 1 poster. 4.

VI.

Hùc pertinent & hypotheses dictæ, atq; in universùm, quæ vulgò vocantur principia complexa: nec non & accidentia, quæ communiter res naturales sequuntur; nam hæc quoq; plurimùm valent c *ad cognoscendum τὸ τί ἐστι: unde à Themistio* d *& Simplicio dicuntur connexa principijs, ex Aristo, & consequentia principiorum.* e *Philoponus diceret principia secundæ mensuræ.*

c 1. de Anima 1. t. 11. d præfat. physic. e Cremonin in Proœmio phys. t. 1.

VII.

Principia rei, sive τῶν ὑποκειμένων, sunt, quæ vel internè constituunt subjectum; ut Materia & Forma corpus physicum: Vel quomodocunq; ei intrinsecus alicujus rei caussa sunt; ut privatio corpori physico mutationis.

VIII.

Sæpè autem coincidunt: siquidem omnia principia rei sunt etiam principia cognitionis, at non contrà: sed quædam tantùm cognitionis, sunt etiam rei principia.

IX.

Ex quibus manifestum est, non tantùm duos priores libros Φυσικῆς ἀκροάσεως sed omnes octo, esse de principijs physicis: id quod, præter Græcos penè omnes interpretes, Averrhoes f *expressis verbis docuit, quum inquit: „ hunc librum (octo librorum opus intelligens.) habere se ad scientiam Natu„ ralem, ut elementa rei ad rem ipsam: quia continet ea quæ sunt principia, „ & universales radices ad illa, de quibus physicus tractare instituit. Quamquam priores quinq;, vel, ut censet Philoponus,* a *quatuor, istud habeant manifestiori ratione.*

f In proœmio Physic. a In fine proœm. physic.

X.

Nos nunc omissis cæteris, de quibus aliàs, solùm de Materiâ, an sit; quid sit, & complura ejus attributa considerabimus.

XI.

Sanè Materiam esse in rerum naturâ, communis tùm doctorum, tùm

ind. B:-

indoctorum ſermo ſatis comprobat; quum hoc ex tali, illud ex aliâ materiâ eſſe fatentur.

XII.

An autem aliqua ſit prima omnibus communis, quæ principij rationem habeat, non ita pariter omnibus notum & confeſſum eſt. Nos hujus rei veritatem rimabimur, exordientes à variis Materiæ differentijs.

XIII.

Materia Philoſophis alia dicitur eſſe Metaphyſica, quæ per analogiam tantùm eſt materia, ut genus, reſpectu differentiarum; alia phyſica, quæ propriè eſt materia.

XIV.

Phyſica alia dicitur Ex qua; alia In qua; alia circa quam: quæ differentiæ non tàm ſunt ipſius materiæ, quam ejus reſpectuum, &, ut ſic dicam, officiorum. Nam eadem materia reſpectu Compoſiti dicitur Ex qua; reſpectu Formæ, In qua; reſpectu Agentis, Circa quam. Nullam igitur ex his, ſed eam, quæ omnes iſtas habitudines includit, hoc loco quærimus.

XV.

Ea eſt, vel Prima; vel Secunda. Prima, vel negatione prioris, vel reſpectu ad ſecundam, ex priori quoquo modo emergentem.

XVI.

Hîc, quia in principijs verſamur, quibus nihil debet eſſe prius, primam quærimus negatione prioris; (ſubjectum ſcilicet primum, ex quo fit aliquid, & in quod, ſi corrumpatur, abeat extremum) quæ in ſe dicitur ſimplex, informis, omnia recipere apta.

XVII.

Hanc Ariſtoteles indagavit ſolertiſſimè, & artificioſiſſimè adſtruxit, viâ nobis innatâ ad cognoſcendum principia: nempè per univerſalia quædam confuſa, nobis notiora, quæ partim ex unanimi veterum philoſophorum conſenſu, ut plurimùm à communi omnium hominum ſenſu, deſumſit.

XVIII.

Primum univerſale confuſum notum nobis eſt, a *Omnia naturalia, aut pleraq; moveri, ac mutari.*

a 1. phyſ. t. 11.

XIX.

Et quia, quidquid principiata habent commune, id totum acceptum referunt

ferunt principijs; idcircò hujus mutabilitatis radix & fundamentum in principijs meritò quæritur.

XX.

Ea verò est contrarietas. Neq; enim quodvis agit in quodlibet, illudq; mutat; nec quodvis à quolibet patitur, aut mutatur, nisi per accidens; ut album à dulci: sed omnis mutatio fit inter contraria, b *ut ex albo in nigrum, ex dulci in amarum &c.*

b 1. physic. t. 43, 44, 47. Plato in Phædone.

XXI.

Quanquam hoc lateat aliquando, eo quod contrarium non habet nomen: ut quum a *τὸ ἡρμοσμένον fit ἐξ ἀναρμόστου, & τὸ ἀνάρμοστον ἐξ ἡρμοσμένου. item q; corrumpitur τὸ ἡρμοσμένον εἰς ἀναρμοστίαν, καὶ πάλιν ἐ τὴν τυχοῦσαν, ἀλλ' εἰς τὴν ἀντικειμένην.*

a 1. physic. t. 45.

XXII.

Per contraria autem, non tantùm extrema in eodem genere intelligimus, sed etiam media, b *quæ ipsa quoq; extremis contrariè opposita dicuntur: veluti albo non tantùm nigrum est contrarium, sed etiam rubrum, &c.*

b 1. phys. c. t. 47. 5. physic. t. 6.

XXIII.

Patet etiam ex eo, quòd, ubi nulla est contrarietas, ibi nulla est mutatio.

XXIV.

Quare, alterum confusum est, sensui & experientiæ notum, c *Contraria esse principia mutabilium.*

c 1. physic. t. 42.

XXV.

Quod & Veterum sapientum placitis est consentaneum, qui omnes d *quodammodo contraria fecerunt principia, ut Parmenides, Calidum & Frigidum, quæ appellavit Ignem & Terram: Thales* e *& Anaximenes, Rarum & Densum: Democritus, solidum & inane: Empedocles, Litem & Amicitiam.*

d 1. physic. t. 41, 48. e Simplicius 1. physic. t. 42.

XXVI.

Nec obstat, quòd principia substantiarum quæruntur: quum enim in omni genere f *uno una sit contrarietas; substantia autem sit unum quoddam genus; quid impediat & in hac esse contrarietatem?*

f 1. physic. t. 50.

Cete-

XXVII.

Caterùm, quia principia transmutabilium quærimus, manifeſtum eſt, quod contraria ſufficere non poſſint. Nam quum duplex ſit transmutationis modus, a formalis & effectivus; contraria per ſe ſola neutrum præſtare poſſunt.

a 1. phyſic. t. 51.

XXVIII.

Non primum: quomodo enim raritas (liceat nobis veterum principijs pro exemplis uti, quum eadem ſit ratio omnium contrariorum) denſitatem informet? quin potius ſe mutuò perimunt, & ambo tertium aliquod per vices afficiunt, quod veltarum, vel denſum, ex hujus aut illius ſuſceptione, denominatur.

ibid.

XXIX.

Non ſecundum: quomodo enim amicitia ex lite aliquid congregando faciat, & non potius ex ijs, quæ lis diſſociavit? aut quomodo lis diſſolvat amicitiam, & non potius amica, id eſt, ea, quæ amicitia in concordiam redegit?

XXX.

Tertium itaq; principium præter contraria dari neceſſum eſt; ſubjectum ſcil: quod contrariorum viciſſitudinem ſuſcipiat, & internè conſtituat id, in quod terminatur ipſa mutatio: quandoquidem contrariorum alterum, nec formaliter mutare alterum, neq; effectivè in ſui naturam traducere poteſt, unde rerum generatio tolleretur. Non enim denſitas fit raritas; ſed denſum fit rarum. Ecce primum modum, quo philoſophus primum ſubjectum venatus eſt, ejusq; neceſſitatem induxit.

1. phyſic, t. 51. 12. Metaphyſ. t. 6.

XXXI.

Porrò, ſtante hoc confuſo, Contraria eſſe principia, quum contraria per ſeipſa ſubſiſtere nequeant, quomodo, quæſo, ſubſtantiæ phyſicæ per ſe ſubſiſtentiæ principia erunt, niſi tertium adjungas, ſubjectum, quod & à ſeipſo habeat, & his largiri poſſit ſubſiſtentiam? Hoc autem eſt Materia.

1. phyſic. t. 52.

XXXII.

Fortè dices, habere illa contraria, quæ principia eſſe concedis, ſua fulcra, quibus nitantur. Atqui ſic fateri oportebit, principiorum, nempè, Contrariorum, eſſe principia; eaq; ſola, ad conſtituendam rem per ſe ſubſiſtentem non ſufficere, ſed ſubijci ijs aliquid oportere, quod utiq; magis erit principium ſubſiſtentiæ. Nam de ijs principijs, quæ ſubſiſtentiam largiuntur, verum eſt imprimis quod dicit philoſophus, Τὰς ἀρχὰς ἢ καθ' ὑποκειμένου δεῖ λέγεσθαι τινός.

ibidem.

XXXIII.

Adde etiam, quod ſubſtantiam ſubſtantiæ non contrariam eſſe dicimus: quod certè contingere oportet ex aliquo principio, contrarietatis in ſeipſo experte. Hoc principium eſt tertia illa natura ſubjecta, quæ in ſe eſt ἀπὸ & & utriuſq; contrarij expers, ut utrumq; per vices recipere poſſit.

ibidem.

XXXIV.

Si dari neges. I. ſubſtantiam, iſt eſt, naturam per ſe ſubſiſtentem, ſubſtantiæ eſſe contrariam, abſolutè fateri cogeris, contra communem omnium conſenſum. II. ex non ſubſiſtentibus per ſe, fabricabis ſubſiſtentia per ſe. III. non ſubſiſtentia, quæ dicis eſſe principia ſubſiſtentium citra aliud principium ſubſiſtens, facies priora ſubſiſtentibus. quæ omnia ſunt abſurda.

ibid & 7. Metaphyſ. t. 1.

XXXV.

Deniq; indictione fit manifeſta materia. Nam ſive mutatio fiat ſecundùm quantitatem, qualitatem, relationem, quando, ubi, &c: & quidem, ſeu fiat transfiguratione, ſeu additione, ablatione, compoſitione, alteratione, perpetuò videmus aliquod ſubjectum adeſſe, in quo fiat mutatio, ſeu, quod mutetur, & fiat tantum, tale, ad aliud referatur, ſit nunc, aut fuerit heri, ſit Romæ, ſuprà, infrà: figuretur, cui addatur, auferatur, quod comparetur, alteretur, &c.

1. phyſic. t. 62, 63.

XXXVI.

Nec hæreas in mutatione ſecundùm ſubſtantiam. Etenim plantas & animalia quoq; fieri videmus ex ſemine: ut ſemen ſit ὃ τὸ γίνεται, id eſt, quod in ſe mutationis vicem ad formam animalis vel plantæ experiatur: τὸ γινόμενον autem ſit animal vel planta, in quibus terminatur mutatio, quam ſubſtinebat ſemen. Ita planè, ut ſubjectum, quod prius erat ſemen, idem nunc, factâ mutatione, ſit animal, aut planta.

ibid. t. 63, 64.

XXXVII.

Hæ ſunt rationes, ex confuſis univerſalibus & Notioribus nobis, id eſt, ex iis, quæ vel in univerſum omnibus, communi ſenſu non deſtitutis, vel ſaltem doctis & ſapientibus notiora ſunt, quibus materiæ neceſſitatem pro rerum generatione ſummus philoſophus adſtruxit: quas ſi attendiſſent, qui eam Ariſtoteli ingenij Chimæram eſſe dixerunt, næ illi ſeipſos potius Chimæris ſimiles, ac ſenſu humano deſtitutos intellexiſſent; niſi fortè livor, & veteri ſapientiæ detrahendi libido, hanc eis vocem expreſſerit.

Quan-

XXXVIII.

Quanquam Ariſtoteles primus eam, neq; invenit, neq; propoſuit: ſed hac methodo primus. Aliâ viâ, ad ejus neceſſitatem oſtendendam, ingreſſus eſt ante eum Plato a *in Timæo; aliâ poſt eum Plotinus* b *Platonicus; & poſt hunc Marſilius* c *Ficinus, quæ tamen, robore ac dignitate multùm Ariſtotelicæ methodo concedunt.*

a Simplic. 1. phyſ. t. 68. b Ennead. 1. l 8. c 7. & Ennead. 2 l. 4. c. 6.
c ibid.

XXXIX.

Quòd verò quidam dicunt, res totas ſecundùm ſe totas, & in totas transmutari, nec eſſe opus ſubjecto aliquo permanente, in quo fiat illa viciſſitudo, id omni prorſus caret ratione.

XL.

Siquidem transmutationi hoc eſt proprium & inſeparabile, ut per ipſam aliquid aliter ſe habeat tunc, quum facta eſt, quàm prius quam fieret. ἐ d γὰς ἐξ ἀνθρώπε ἐγένετο μουσικὸς, ἀλλ' ὁ ἄνθρωπ@ ἐγένετο μουσικὸς. ὁ c γὰς ἄνθρωπ@ ὑπομένει. τὸ δ μουσικὸν, καὶ τὸ ἄμουσον ἐκ ὑπομένει, &c.

d 1. phyſic. t, 58 e ibid. t. 60.

XLI.

Quare, quum ex igne, v. g. fit aqua, vel eſt in aquâ aliquid, quod prius erat etiam in igne, quodq; per hanc mutationem aliter ſe habet nunc, quàm antea: atquè ita totum in totum non tranſijt, manente aliquo eodem.

XLII.

Vel nihil eſt in aquâ, quod erat prius in igne: atq; hac ratione nihil poteſt dici mutatum. Terminos enim mutationis tantùm dicis, Ignem & Aquam, nihil autem quod ſit mutatum. Siquidem omne, quod mutatum eſt, mutabatur; & quod factum eſt, erat aliquando in fieri. Quòd ſi autem totus ignis in totam aquam tranſivit, quid fiebat? num aqua? neutiquam: hæc enim eſt, in quam ignis eſt mutandus: ipſa autem non mutatur, quia nondum eſt, ſed eſt futura. An ignis? hic quidem erat prius; ac nunc non fit, ſed deſtruitur penitus, atque corruptione tendit in non ens, ſiquidem nihil ejus permanet. Id verò, quod mutatur, dicit aliquid, ſub utroq; termino permanens. Vt homo, qui albeſcit, idem fuit niger, & poſteà albus. Mutatur homo, non albedo aut nigredo: nec fit albedo ex nigredine, a *ſed album ex nigro: eſt autem albedo poſt nigredinem, in eodem aliquo.*

f 6. phyſ. t. 32. 55. & Plato in Parmenide.
a 7. Metaphys. c. 8. 12. Metaphyſic. c. 3.

XLIII.

Præterea, si ignis mutatus est in aquam, potuit igitur prius mutari. Potentia ista fundamento opus habuit, quo niteretur, quia relatio est, per se non subsistens. Id verò contrarium esse non potuit, quia nec ipsum per se subsistit, nec est potentiâ contrarium: si quidem potentia ad actum habet propensionem, tanquam imperfectum ad perfectum. At contrarium unum alteri reluctatur, idq; perimit, tantum abest, ut id fieri appetat,

XLIV.

Quando ergò necessitas subjecti, in substantijs transmutabilibus, ex dictis eluxit, illud jam quasi ultrò sese offert, esse etiam tale aliquod subjectum, quod sit omnium primum. Vt enim ipsarum mutationum resolutio in infinitum fieri nequit, ita neque subjectorum: sed standum est in aliquo primo, quod nullâ priori mutatione ex alijs coiverit.

XLV.

Quid autem, & quale illud sit, deinceps inquirendum est.

XLVI.

Ens esse, & habere in naturâ aliquem entis gradum, certum est. Quod enim simpliciter & absolutè non est, quî aliud Ens sustineat aut constituat?

XLVII.

Potest autem ejus essentia, sive, (ut cum Barbaris barbarisemus) Quiditas, dupliciter considerari; absolutè, ut est: & in ordine principiandi, ut loquuntur, sive ut est principium. Prior consideratio Metaphysica est; posterior etiam physico communis: de quâ primò.

XLVIII.

Vt est principium, dicitur [a] *subjectum primum unicuiq;, ex quo inexistente fit aliquid, non per accidens, & in quod, si corrumpatur, abit ultimum.*

a 1. physic. t. 82.

XLIX.

Et quia principij est, non esse id, quod ex eo fieri debet; sit autem ex subjecto compositum, secundùm omnes omnium Categoriarum Entis denominationes; hinc istud subjectum ex se dicitur esse [b] *Non Ens. Neq;* [c] *Quid, (id est substantia) neq; Quantum, neque aliud quidpiam eorum, οἷς ὥρισται τὸ ὄν: neque eorum negationes.* [d] *Non τὸ ᾗ τι, &c.*

b 1. physic. t. 79. Platoni in Sophista. c 7. Metaphys. t. 8.
d 2. Anim. t. 2.

L.

Vnde variæ ejus appellationes ortæ sunt, ut diceretur 1. Vacuum: [e] *2. ἔπεκτασις,*

ἑβτος, quasi ἐπέκεινα τοῦ ὄντος : 3. infinitum, g quia nullâ Categoriâ determinatum: 4. Sinus h informis: 5. Exemplar i divinitatis expers: 6. modo k ambiguo & vix explicabili, divinæ naturæ particeps; Ægyptijs l fax Entium & primæ vitæ, &c.

e 4. phyſic. t. 59. Plotino, Ennead. 2. l. 4. c. 11.
f Plotino. ibid. c. 16.
g Platoni, ex 3. phyſ. t. 27. & 65.
h Plat. in Timæo.
i Theopol. 7. Academ. 8.
k Plat. in Timæo.
l Simplic. 1. phyſic. t. 69.

LI.

Porrò, principij etiam eſt, poſſe fieri, ſuo modo, principiatum, quod nondum eſt: hinc pro latiſſimâ illa potentiâ, quam hoc ſubjectum habet, ad omnem Categoriam Entis dicitur. 8. Ens a potentiâ: imò 9. ſimpliciter b potentia, eo, quia actum nullum habet, & ex propria potentiâ, ut loquitur c Plato, nunquam recedit. Ex quo reſpectu etiam fluxit, ut appellaretur, 10. ὕλη quod ex eâ, tanquam ex locupletiſſimâ ſylvâ, omnia fieri poſſint: quam appellationem Calcidius in Timæum ſcribit à Platonis diſcipulis fuiſſe introductam: ut credimus, ab Ariſtotele.

a 1. phyſ. t. 78. 12. Metaphyſ. t. 8. 8. Metaphyſ. t. 5.
b. 2. Anim. t. 2.
c. in Timæ.

LII.

Patet ex dictis, Materiam primam ex ſe nullum habere actum formalem; (unde d Platoni 11. ἄμορφον dicitur: Et e meritò tale eſt, quod omnia ſuſcipere debet.) omnes tamen poſſe recipere, (hinc eidem f πανδεχὲς indigitatur) potentiâ eſſentiali, non inhærente.

d In Timæo. e 3. Cœli. t. 67. f ibidem.

LIII.

Nam ſi hæc potentiâ inhæreret ei, utiq; priori opus haberet aliâ, per quam habilis & potens facta eſſet ad hanc recipiendam: & illa rurſum aliâ. Aut igitur in infinitum aggregabimus potentias, aut ſubſiſtemus in aliquâ primâ, quæ non inhæreat, ſed ſit ei eſſentialis.

LIV.

Quò reſpicientes philoſophi, communiter dixerunt, non tantum, Materiam eſſe potentiâ, ſed eſſe puram potentiam. Et D. Thomas, g potentiam nihil addere materiæ præter ejus ſubſtantiam & eſſentiam.

g 1. phyſic. t. 79.

LV.

Nec tamen excluditur actus, vel Metaphyſicus, vel Entitativus, ſi licet,

per

per vindices Romanæ linguæ, Parisienſi uti verbo. Vnde video Ariſtotelem a *in Metaphyſicis maluiſſe appellare* δυνατὸν, *quam* δύναμιν.

a 7. Metaph. c. 7.

LVI.

Vt enim actus puriſſimus eſt ſine omni potentiâ paſſivâ, (quidquid enim Deus eſſe poteſt, id eſt) ita actus infimus & fax Entium, cum potentiâ eſt conjunctiſſimus, adeò ut ejus natura, ſit natura potentiæ ipſaq; Materia (ut loquitur b *Averrhoës) ſubſtantietur per poſſe: id eſt, Materia tam habet imbecillum & imperfectum actum, tùm ad Eſſendum, tùm ad Exiſtendum, ut eo ipſo, quo eſt & exiſtit, aliud eſſe, & cum alio exiſtere, velit & poſſit: quocirca talis actus, conſideratâ ejus imperfectione, dicitur eſſentialiter eſſe potentia.*

b de ſubſtantia Orbis c. 1.

LVII.

Eſt porrò hæc potentia, indefinita ſecundùm omnes Categorias, ei ſatis, ut quascunq; formas phyſicas ab efficiente recipiat: nec opus eſt, præter hanc, inchoationes alias formarum, ei coæternas, aut πανσπερμίαν *aliquam, commiſci, quia ejus ſimplicitati, &, ut ſic loquar, non Entitati repugnant.*

LVIII.

Et propter hanc potentiam dicta eſt c Materia, *quaſi* Mater rerum. *Ita enim* d *Plato eam Matri aſſimilavit; Ideam patri; Ideæ ſimulachrum, id eſt, Formam materialem, Proli. Quanquam nos melius, ſecundùm Philoſophum, Efficiens patrem, Compoſitum prolem dicemus. Vt enim Mater, materiam aptam præſtando, irritum non facit efficientis, id eſt, patris laborem: ita hoc ſubjectum per ſuam potentiam præſtat aptitudinem paſſivam, pro rerum generatione: quam potentiam ſi quis formæ inchoationem appellare velit, verbo tantum à nobis diſſentit.*

c 1. phys. t. 80. d in Timæo.

LIX.

Eodem ſenſu, a *à Platone dicta eſt* πιθήνη, *&* ὑποδοχὴ, *quod, ut nutrix infantem, gremio ſuo formas excipiat. Niſi fortè magis* τιθήνη *dicta ſit, ob eam rationem, quòd, quemadmodum nutrix lactenti fœtui aliquid apponit; ita etiam in compoſito quædam eluceant, quæ ſequuntur materiam, ubi formam talem aut talem accepit: ut, ſi frigiditatem, denſitas; ſi caliditatem, raritas. Nam hæc ad materiam magis pertinent, licet ante formam non adſint: & ſunt quidem à Formâ, ſed ex Materiâ. Vnde veterum* b *nonnulli, Rarum & Denſum, fecêre ſubſtantiarum principia, putantes, ſolam Materiam eſſe ſubſtantiam. Fortè etiam Plato hoc ſibi voluit per Magnum & Parvum.*

a ibid. b 1. phyſ. t. 41.

Cate-

LX.

Caterùm, quia potentia omnis ad actum habet propensionem, tanquam imperfectum ad perfectum: hinc etiam Materia, quia potentia est, suâpte naturâ dicitur appetere c *formam, ut fœmina marem, aut deforme pulchrum: quod non de appetitu Connubiali est accipiendum, sed de appetitu perfectionis, quâ fœmina masculino sexui concedit.* τὸ γὰρ d θῆλυ, ὥσπερ ἐστὶν ἄρρεν πεπηρωμένον.

c 1. physic. t. 81. d 2. Generat. animal. c. 3.

LXI.

Vt verò imperfecto non ineſt aliqua facultas appetendi perfectionem, ultra rationem imperfecti, (nam quâ tale est, perfectum esse appetit, non ex aliâ facultate sibi competente) ita frustrà quærit c *Avicennas, sitne hic appetitus rationalis, animalis, aut naturalis: tales enim re distincti sunt ab appetente. At nos, quomodo diximus esse idem, possibile & potentiam, ita etiam appetens & appetitum idem pronunciamus.*

c L. Sufficientiæ c. 2.

LXII.

Vnde neque doctissimo Pico assentimur, qui a *docet, hunc appetitum materiæ competere, non quà materia est, sed quà subjectum: id est, ut jam est informata aliquo actu; sub formâ scilicet aliam formam appetere. Hoc enim, de appetitu hujus aut illius formæ, fortè concedi potest. At de appetitu universali indifferente, ad universum formarum genus, vix dici posse videtur. Is namq; fundatur in materiâ, non ut formam habet, sed ut non habet. Nec refert, si nunquam careat omni formâ: sunt enim nihilominus re & ratione distincta principia, Materia & Forma.*

a Lib. de appetitu Materiæ c. 9.

LXIII.

Et quia, tùm appetitus iste, tùm potentia, tam profundas habent, in ipsâ Essentiâ Materiæ, radices, nunquam etiam à naturâ frustrantur: hinc ipsa Materia perpetuò formam aliquam possidet, quâ se dat in conspectum, nec unquam denudatur, quod, absque tam arcto vinculo esset, quo Materiæ esse & posse conjunguntur, aut si universum formarum genus contingenter se ad eam haberet, ut b *Scotus voluit, facilè aliquando contingere posset.*

b 2. sentent. distinct. 12. quæst. 2.

LXIV.

An autem divinâ virtute fieri possit, ut sine omni formâ, seu nuda existat, quærunt scholastici? Certum est, si Posse pertinet ad essentiam Materiæ, est

que à Deo conſtitutum, ut hæc potentia ſeratur in actum, ceu finem, ne unquam ceſſet generatio, nunquam poſſe materiam, etiam divinâ virtute, ſpoliari omni formâ. Sublato enim fine, Actu; tollitur & Poſſe, & omnia quæ ad finem & propter finem ſunt: habent enim hæc neceſſitatem a *ex ſuppoſitione finis. Sublato poſſe, jam non manet amplius materia, ſed fit aliud genus Entis. Haud enim magis erit materia, quàm Socrates, ablatâ rationalitate, homo, aut manus amputata fuerit manus. Hoc videtur Averrhoës intelexiſſe, dum docet,* b *ſi materia nudaretur omni formâ, fore, ut nullam poſſet recipere, nullaq; eſſet generatio.*

a 2. phyſic. t. 88. b 8. phyſic. com. 4.

LXV.

Quoniam verò per iſtam potentiam & appetitum nunquam exuta eſt omni actu informante, fit, ut omnia materiata ſint compoſita: & hactenus dicitur principium ſubſtantiæ phyſicæ.

LXVI.

Porrò, ex eo, quod caret in ſe omni actu informante, patet etiam omnia deſtitutam eſſe facultate efficiendi: & rectè dictum eſſe, c **Materiam, quà materia eſt, eſſe paſſivum. Ideò à quibusdam** d **dicta eſt Diana Sterilis, quod in ſe nullam habeat efficaciam, ſitq; per ſuam latiſſimam potentiam tantùm apta perfici, non autem perficere quidquam.**

c t. Ort. & Inter. t. 55. d Theup. Academ. c. 11.

LXVII.

Neque tamen idcircò nihil confert ad rei eſſentiam conſtituendam. Quamvis enim, in ſuâ nuditate conſiderata, Formæ nihil præſtet, niſi vehiculum: tamen, ſi accipiatur cum præviâ præparatione, quam efficiens Formæ inducendæ præmittit, quæq; nihil eſt Formæ, ut Materiæ contradiſtinguitur, pars eſt λόγε τῦ τὶ ἦν εἶναι, id eſt, Quidditatis, quæ definitione exprimitur.

LXVIII.

Non enim anima eſt Homo, ut voluit c **Plato; ſed in tali corpore, habetque quilibet actus propriam potentiam,** a **& materiam propriam, cum quâ hanc, aut illam ſpeciem conſtituit, ut calor cum materiâ humidâ aërem, cum ſiccâ ignem. Hinc etiam puto Materiam** b **Ariſtoteli dictam eſſe σωμάτιον.**

c in Alcibiade & Phædro, referente Pendaſio fol. 367.
a 2. de Anima, t. 26. b 1. phyſ. t. 80.

LXIX.

Illud quoque ex potentiâ Materiæ provenit, quod res materiatæ poſſunt eſſe, c **& non eſſe. Quod enim eſt poſſibile non eſſe, contingit** d **non eſſe. Immò impoſſe-**

impossibile est, c *corruptibile non corrumpi aliquando. Quod tamen aliquando accipimus, ut, per universalem & indefinitam Materiæ potentiam, res generari & corrumpi tantùm possint: per particularem autem definitamque & possint, & generentur ac corrumpantur.*

c 1 Cœl. t. 20. 136. 1. Ort. & Inter. t. 25. 2. Ort. & Inter. t. 51.
d 9. Metaphys. c. 8. t. 17. e 1. Cœli. t. 133.

LXX.

Ex quo apparet, etsi malum rebus propter Materiam & potentiam adveniat, ut ait f *Alexander, sui q; potentiæ peccatum: non tamen Materiæ adscribendam esse secundum potentiam universalem illam & essentialem, sed secundum particularem ac definitam, quæ ei accidit à Formâ aptitudinem propensionemq; asserente ad oppositam formam, Quâ ratione ipsa quoque Forma in malitiæ societatem non injuriâ trahitur.*

f 9. Metaph. com. 21.

LXX.

Radix enim corruptionis est g *contrarietas; quæ ex Formâ est, non ex Materiâ. Et quoties adscribitur Materiæ, id fit, quia non est* h χωρισὸν, ἀλλ' ἀεὶ μετ' ἐναντιώσεως. *Nam potestas* i *sit demum corruptionis caussa est, quia contradictionis.*

g 1. Cœl t. 20. h 2. Ort. & Inter. t. 6. i 9. Metaph. t. 17.

Hinc meritò a *Stoici indifferentem Materiam fecêre & neutram. Si enim formam reciperet, non habentem contrariam, nullam unquam moliretur secessionem.*

a Theup. 7. Academ. c. 12.

LXXIII.

Malè autem pronunciavit Pythagoras, & hunc sequuti Manichæi: quum nec ipsa sit malum aliquid ex se, neque malum efficiat.

LXXIV.

Rectius Plato, nec bonam, nec malam, sed necessariam esse.

LXXV.

Bonum est tantum, quantum Ens. Quà non Ens ex potentiâ, malum est ex Eventu.

LXXVI.

Hanc potentiam, quæ quodammodo est privatio, quum in parte amittit, b *corrumpi dicitur; quum acquirit generari. Secundùm eandem autem, universè acceptam, ingenita est, & incorruptibilis.*

b 1. phys. t. 82.

LXXVII.

Denique, per hanc potentiam constituitur in ordine principiandi, siquidem hæc caussa est, c *cur ex eâ & Formâ fiat unum per se.*

c 1. physic. t. 82.

LXXVIII.

Et hactenus de Materiâ in secundâ suâ notione, ut intelligitur aliorum esse, ex potentiâ, quâ ordinatur in Formas, & per quam constituitur principium physicum, physicæq; considerationis est: in qua etiam nomen Materiæ ei rectius competit, quod potentiam essentialiter includit, ut testatur d *Themistius.*

d t. physic. digress. ad t. 61.

PARERGA.

ETHICVM. I.

Si homo natus est pariter assuescere Virtuti, ac Vitio; nulla seminaria nobiscum nascuntur, neq; virtutum neq; vitiorum.

II.

Pravitas animi non tantum effectus est ignorantiæ Recti & honesti, sed etiam caussa.

MEDICVM. I.

Pernicioſus error est purgare ante Venæ sectionem, si utriusqa remedij usus concurrat.

II.

Clysteres, neq; perpetuò sanguinis missionem antecedere debent, neq; perpetuò sequi, si maximè utroq; auxilio utendum sit.

III.

In principijs morborum crudam materiam neq; semper, ut Minorantes faciunt; neq; nunquam pharmaco movendam esse, ut volunt nonnulli, nimiùm in hac re Galenici, etsi non turgeat.

IV.

Sanguinis missionem, ad animi deliquium, non convenire in ardentissimis febribus, propriè sic dictis.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO ALTERA, DE MATERIA PRIMA.

THESIS I.

Considerată Materiâ, in secundâ notione, id est, secundum suam potentiam ad omnes Categorias, nunc de essentiâ absolutè videndum est, quam vocant primam notionem, ex Themistio: in quâ dicitur potiùs subjectum, quam Materia; non quod subjectum etiam relationem non habeat ad id, cui subjicitur; sed quia manifestiùs actum includit id, quod subjicitur, quam Materia, quæ potentiam. Quo sensu Græci interpretes malunt eam aliquando ὑλικὴν οὐσίαν, quàm ὕλην appellare: etsi Aristoteles a *in Metaphysicis hanc appellationem tribuat compositio materiato.*

a 8. Metaphys. c. 4.

II.

Quanquam autem consideratio hæc, ordine naturæ illam antecedit, non tamen ordine facilioris cognitionis & propositi nostri, quod physicæ scientiæ limites primò spectat.

III.

Quando ergò subjecti hujus necessitas ex superioribus patuit, & quomodo tùm ad formam, tùm ad compositum se habeat, hinc jam mens colligit, non esse Nihil, sed aliquid in rerum naturâ. Quid tamen sit, hæret & ambigit.

IV.

Non esse Nihil, ex eo colligitur 1. quia nullum munus reale exequeretur. 2. quæ corrupta in eam resolvi dicuntur, abirent in nihilum, sicq; nihil ipsa commodaret rerum generationi. 3. atq; ita omnis generatio esset creatio. Hinc a *Augustinus, Materiam à DEO creatam esse, non quæ sit nihil, sed propè nihil; non nulla res, sed penè nulla res. Credo eum respexisse ad illud philosophi,* b οὐκ ἄν ἦν εἶναι τῷ συμβεβηκότι, ἐγγὺς δ' οὐσίαν πως.

a 12. Confess. c. 7. 8. b 1. physic. t. 79.

V.

Neq; verò tantum est aliquid, sed etiam aliquid substantiale; 1. quia es-

Digitized by Google

sentialiter componit substantiam; c πῶς ἂν ἐκ μὴ οὐσιῶν οὐσία εἶναι συνέλθοι; d ἔστιν ἄρα, μᾶλλον ἢ οὐκ ἄλλον, τὸ οὐσίας μὴ οὐσίαν ποιεῖν στοιχεῖον. 2. *substantiæ compositæ aliquid rei addit præter formam & illud non est accidens. Ergò est substantiale:* 3. e τὴν ἀρχὴν ὡς καθ' ὑποκειμένου δεῖ λέγεσθαι τινος. 4. f *philosophus substantiam tribuit in Materiam, Formam, & Compositum.*

c 1. physic. t. 52.
c 1. physic. t. 52.
d 14. Metaph. c. 1.
f 2. de Anim. t. 2.

VI.

Habet igitur Entitatem realem, substantialem: seu, ut Scotus loquitur actum Entitativum substantialem: & quidem realiter separabilem à quâlibet formâ particulari determinatâ, καθ' οὐσίαν τι καὶ καθ' ὑπαρξιν. *Formas autem particulares intelligo sublunarium: nam cœlestium corporum Formæ, nunquam materiam suam deserunt, licet reipsâ ab eâ sint distinctæ, ut posteà dicetur.*

VII.

Distinctio enim Materiæ à Formâ, non est modi à re, sed rei à re. Nam 1. *compositio substantiæ ex Materiâ & Formâ, est realis & physica, ex duabus rebus.* 2. *Materia est perpetua & antecedit Formam, quæ est, & non est, manente eâdem materiâ.*

VIII.

Licet autem suam Entitatem tùm Essentiæ, tùm Existentiæ realiter distinctam habeat, ratione internâ, ab Entitate Formæ: tamen ἐν τῷ ὑπάρχειν *dependet à Formâ, ratione externâ; non tantùm ordine universalis naturæ, sed ex indigentiâ propriæ ac peculiaris naturæ Materiæ, quæ indigentia est, ex imperfectione & imbecillitate actus. Unde* a *quidam non malè, Materiam coëxistere magis, quam existere: Et* b *Aristoteles jure, esse* συναίτιον.

a Pendasius Examinis principiorum parte 10. b 1. physic. t. 80.

IX.

Dependet autem contingenter à singulis Formis: non contingenter ab universo formarum genere, sed necessariò & inevitabili ratione, propter potentiam essentialem indefinitam.

X.

Et quidem dependet, non ut à causâ priori, sed ut à conditione necessariò comitante.

XI.

Alia quoq; est dependentia ejus ab Efficiente primo. Non enim ita habet actum, ut à seipso habeat, sed ab alio. Quia c *multitudo principatuum non est bona:*

Digitized by Google

bona: & absurdum est, Esse aliquid à seipso, sibi ipsi tamen non sufficiens: multò magis, si destituatur omni facultate acquirendi sibi sufficientiam.

c 12. Metaph. t. ult.

XII.

Hanc innuit philosophus, ubi inquit, d *à primo principio pendere Cœlum & Naturam: item,* e *Esse Naturam quandam immortalem ac divinam, unde cæteris, alijs obscurius, alijs exactius, ipsum esse vivereq; dependet: non tantùm finaliter, ut locus prior præ se fert, sed etiam efficienter: 1. tùm, quia finalis causa non caussat, nisi movendo efficiens: 2. tùm, quia ipse dicit, dari Ens quoddam verissimum & perfectissimum omnium, quod sit causa cæterorum: ubi planè de efficiente loqui videtur, ut colligitur etiam ex Averrhoë eo loci: 3. quo modo aliàs esset Ens Entium, & unum primum principium? 4. Quod si ipsa Materia,* a *seipsam movere non potest, sed* τυλονικὴ: *multò minus à seipsâ erit, ut ab alio non prodierit.*

d 12. Metaph. c. 7. t. 38.
e 1. Cœli c. 9. t 100.
f 2. Metaph c. 1.
a 12. Metaph. c. 6.

XIII.

Maximè autem apparet ex b *eo, ubi reprehendit Anaxagoram, quod ipsum bonum, principium posuisset, ut Movens, eò, quod movens alterius caussâ moveat, unde sequeretur, esse aliquid supra illud principium. Excusans enim eum inquit, Nisi dicat, ut nos dicimus: Est enim quodammodo sanitas, ars ipsa medendi. Quod Alexander, in Commentario ejus loci, ita exponit: Si Anaxagoras ad hunc modum de intellectu disserit, ut idem faciat movens, idem hoc, cujus gratiâ movet, & omne, quod movet, ipsius gratiâ rem motam movere dicat, rationi consentanea dicere videri possit. Quem locum miror à nemine observatum, ex ijs qui hanc rem ex professo tractarunt.*

b 12. Metaph. c. ult.

XIV.

Observavit etiam c *Simplicius hanc esse mentem Aristotelis, qui scribit, Aristotelem scivisse, ac voluisse, esse caussam effectricem Cœli. Et, quia nonnulli putabant, Aristotelem hanc negasse, itemq; Alexandrum, subjungit: Illi audiant, & intelligant, hoc in loco ea, quæ ab Alexandro, inter alios Aristotelis interpretes, legitimo & famosissimo, dicuntur, quæ sic se habent: Prima autem Forma, ut efficiens erit caussa. Rursum in commentarijs Metaphysicis dixit, eadem prima caussa movet, cietq;, ut affectatum & desideratum. Quo sanè modo erit finis, & caussa, quæ appellatur cujus gratia: nam tale est appetibile concludit Simplicius, Ecce planè, quod Alexander etiam tradidit ac statuit, Mentem,*

partim

partim esse causſam ut effectricem, partim ut finalem. Hæc ille. Nos, quæ de Cœlo enunciavit, de quo max. inter philoſophos dubitabatur, an effectivè penderet à Mente, ad naturam, & univerſum mundum commodè transferimus.

c 1, phyſic. comment. in text. 83.

XV.

Quod autem [a] *ingenita & incorruptibilis dicitur, verum nihilominus eſt, quemadmodum etiam univerſum mundum abeodem* [b] *Ariſtotele, ingenitum & incorruptibilem esse, veriſſimè pronunciatum aſſeveramus. Nam per generationem Materia, uti nec univerſus mundus, produci non potuit: neque per corruptionem deſtrui unquam poteſt: quare ſi nulla alia ratio, vel ejus producendæ, vel deſtruendæ daretur, ab æterno fuiſſe, & in æternum durare oporteret. Nam mutationes iſtæ ſunt naturales, effectus moventium mobilium, id eſt, ſecundarum cauſſarum, quæ circa aliquod ſubjectum operantur: Materia igitur ex priori ſubjecto generata eſſet, & mundus ex priori mundo, ſiquidem generatum esse velis: quia ex nihilo nihil fit, id eſt, generatur. Deus autem eſt movens immobile, cauſſa prima, non indigens ullo ſubjecto, in quod operetur. Non enim difficilius ei eſt ſubjectum, quam in ſubjecto aliquid conſtituere.*

a 1. phyſic. t. 82. b 8. phyſic.

XVI.

Hanc dependentiam, & hunc effectionis modum, qui propriè non eſt effectio, neq; generatio, Latini vocârunt dependentiam per emanationem, in quâ movens nihil moveatur. Eam nec ipſe philoſophus ignoravit, quum ſcripſit, c *potentiam latiùs patere, quam quæ ſecundùm motum. Et quia hic effectionis modus phyſicæ fines egreditur, ideò in* d *Metaphyſicis oſtendit, à primo principio pendere Cœlum & Naturam.*

c 9. Metaph. c. 1. d lib. 12.

XVII.

Quod ſi hanc dependentiam velis dicere Creationem, verbum tantùm Ariſtoteli ignotum, non rem ignotam uſurpabis. Et hactenus vellem æquiores esse huic ſummo philoſopho obtrectatores, qui quum ejus mentem ac doctrinam nunquam rectè conſideraverunt, aut certè morbo quodam animi præpediti, non intellexerunt, traducunt eum inventuti odioſiſſimè, ac ſi mundum ab æterno ex ſeipſo exiſtentem, non minus quam ipſum DEVM, ſenſerit atq; ſcripturam reliquerit.

XVIII.

In eo verò, quod illam emanationem, aut dependentiam deducit ab æterno, debemus tùm pietatem ipſius prædicare, quod æternum Bonum & Appe-

tibile

tibile ſine appetente & participante aliquando ſinere noluerit; tùm aciem, propè dicam, extremam humanæ mentis in eo admirari, qui eò uſque pervenerit, ut ulteriùs vis humani ingenij, luxq; Naturæ, vix potuerit penetrare; tùm verò inprimis ei condolere (potiùs, quam inſultare) ejusq; miſereri, quod, tenebris relictis, divinæ Veritatis lucem non adſpexerit, non in hoc tantùm, (quod adhuc ſine ſalutis diſpendio ignorare potuiſſet) ſed in alijs, unde ſalus dependet. Quâ luce nos colluſtrati, per gratiam Dei, novimus & profitemur, Liberam Dei voluntatem & potentiam prævaluiſſe iſti nexui appetibilis & appetentiæ, ut Mundum Deus in tempore creare, & potuerit & voluerit, adeòq; in tempore creaverit.

XIX.

Sed ad rem. Quid ſit Materia inveſtigemus. Nemo exiſtimet, quia Materia à Deo dependet, idcircò Deum eſſe Materiam primam. In quo errore legimus fuiſſe Alexandrum quendam Epicuréum, & Davidem Dinantum. Niſi fortè eo modo intellexerint, quo eminenter eſt omnia.

XX.

Non parum autem huic inquiſitioni commodat, quod ſuprà dictum eſt, Materiam eſſe illud ſubjectum, ex quo Primo, & in quod Vltimum. Hoc enim vel corpus eſſe, vel aliquid corporeum, jam ſenſus ipſe dictitat: quando in omni mutatione naturam corpoream manere videmus: & ut omnia intereant, ac nova oriantur circa materiam, nunquam tamen Corporeitas, (ita loquuntur) vel interit, vel oritur.

XXI.

Hinc Avicenna, Albertus, & Suaſſanus, quum putarent Materiæ deberi formam aliquam, coævam aliàs, tùm ut per eam in genere ſubſtantiæ conſtituatur, tum ut ſit inchoatio cæterarum formarum, quæ inde quaſi ex ſinu Materiæ educi dicuntur, Formam ſubſtantialis Corporeitatis invexerunt, ex quâ, & Materiâ, conflaretur unum corpus ſubſtantiale, principium ſubſtantiarum generabilium, & corruptibilium.

XXII.

Quæ ſententia nec rationi, nec Ariſtotelis eſt conſentanea. 1. obſtat principij ſimplicitas: iſti autem faciunt Materiam Compoſitam, actu ſubſtantiam, contra 7. Metaph. t. 8. 2. nondum explicant, quid Materia ſit, absq; illâ formâ conſiderata. Poſſet enim ſaltem cogitatione abſtrahi. 3. nihil opus eſt iſtâ formâ inchoante reliquas: abundè hoc præſtat Materiæ potentia. Eruſtrà autem Entia multiplicanda non ſunt.

XXIII.

Nec veritatem assequutus est [a] *Averhoës, qui subjectum hoc pronunciavit quidem esse unum Entium existentium per se, sed habens quantitatem, seu tres dimensiones, quæ sunt corpus, tanquam accidens inseparabile, & eas quidem dimensiones interminatas, terminandas à Formâ.*

a 1. physic. t. 63. & de substantia Orbis c. 1.

XXIV.

Præterquàm enim quod hæc sententia ipsa quoq; non explicat quid sit Materia, absq; illo suo accidente inseparabili, hoc etiam absurdi habet. 1. [b] *quod priùs in Materiâ ponit accidens quàm substantiam, 2. Ens potentiâ, facit subjectum accidentis contra* [c] *Aristotelem & veritatem. 3. prius facit Compositum ex accidenti, quam per se.*

b contra 7. Metaph. c 4. t. 4. c 5. physic.

XXV.

Audiamus itaq; [a] *Mentem, (ut Plato eum appellasse dicitur) ubi pronunciat, impossibile esse, universi corporis esse generationem, si non vacuum aliquod separatum esse, possibile sit. Ex alio quidem corpore aliud corpus fieri, esse possibile, ut ex aëre ignem: omninò autem ex nullâ præexistente magnitudine, impossibile: quasi corpus illud sit ingenitum, & incorruptum, ex quo inexistente primo fit aliquid, & in quod abit ultimum.*

a 3. Cœl. c. 2. t. 29.

XXVI.

Apertiùs: [b] *Neq; puncta, neq; lineas Corporis esse Materiam, sed illud cujus hæc sunt extrema. Et,* [c] *in resolutione compositæ substantiæ solum corpus permanere, tanquam Ens aliquod & aliquam substantiam.*

b 1. Ort. & Inter. t. 29. c 3. Metaph. c. 5. t. 27.

XXVII.

Hinc facilè apparet ex sententiâ Aristotelis, & in rei veritate, Materiam primam esse ipsummet Corpus simpliciter, seu quatenus Corpus; non quale Stoici ponebant, definitum tribus dimensionibus, sed quod sit ipsa trina dimensio, quantum substantiale: quam sententiam redivivus ille Aristoteles [d] *Andreas Cæsalpinus acutissimè, ut pleraq; alia, ex fontibus Peripateticis ostendit.*

d 4. Peripat. Quæst. 7.

XXVIII.

Probatur, præter dictas à Cæsalpino, his insuper rationibus. Latitudo [c] *Entis duo habet Extrema, Summum & Imum. Summum, est DEVS O. M.: Infimum, Materia prima, sex Entium. Iam, oppositorum Entium oppositæ sunt*

ſunt proprietates, & differentiæ. At Deus eſt in ſe incorporeus, & indiviſibilis: Ergò Materia in ſe Corporea & diviſibilis. Quia autem eſt ſimplex, non accidit ei corporeitas, ſed eſt ipſum Corpus.

c Simplic. 1. phyſ. t. 96.

XXIX.

Materia per ſe, & ſecundùm ſe, eſt a *principium paſſivum, ſubjectum mutationis, Ergò oportet ſecundùm ſe ſit corporea; quandoquidem nihil recipit, aut patitur, quod in ſe eſt impartibile, aliàs eſſet mutatio in inſtanti, cujus oppoſitum demonſtratur* b *in phyſicis. Si igitur Materia ſecundùm ſe eſt receptivum, & quidem ſecundùm omnes dimenſiones, Ergò partem habet extra partem ſecundùm omnes dimenſiones: Ergò etiam ſecundùm omnes eſt diviſibilis. Hoc autem eſt eſſe corporeum; & in ſimplici, eſſe Corpus.*

a 1. Ort. & Inter. t. 55. b 6. phyſ. c. 6. t. 55.

XXX.

Præterea inquit c *Philoſophus, ſi augmentatio fieret in corporeo, fore ut daretur vacuum ſeparatum. Quæ conſequutio nulla eſt, ſi Materia non ſit ipſum Corpus, ſed accidat ei corporeitas. Poſſet enim augmentatio fieri Materiâ, quæ neque corpus eſſet, neque vacuum; aut certè Materia abſque corporeitate eſſet vacuum.*

c 1. Ort. & Int. t. 52.

XXXI.

Ex Materiâ & Formâ fit corpus ſubſtantiale: Ergò vel alterutrum, vel utrumq; eſt cauſſa Corpulentiæ. Non Forma; eſt enim per ſe indiviſibilis; Ergò Materia. Non eſt autem cauſſa corpulentiæ per aliud; eſt enim ſimplex: Ergò per ſe & in ſe. Hoc autem eſt eſſe Corpus, non Corporeum propriè.

XXXII.

Probat Philoſophus, d *Materiam augmentationis eſſe corpoream, quia materia generationis ſit corporea. At Materia prima eſt Materia generationis.*

d 1. Ort. & Inter. c. 5 t. 27.

XXXIII.

Idem oſtendit, a *ſubſtantias ſeparatas à Materiâ ex eo, quia impartibiles, & ſine quantitate. Agnovit ergò Materiam eſſe quantitatem.*

a 8. phyſ. c. 10. t. 78. 12. Metaph. c. 7.

XXXIV.

Quid eſt, b *quod ait; quum removentur termini & paſſiones à ſphærâ, nihil relinqui præter Materiam?*

b 4. phyſ. t. 15.

XXXV.

Ad hæc, disputans c *contra Cratylum, ex perpetuo rerum fluxu, nihil de aliquâ re posse affirmari, asserentem, ait: Res mutari, secundùm quantitatem, non secundùm speciem. Explicat Alexander, secundùm Quantitatem, esse secundùm Materiam.*

c 4. Metaph. c. 5.

XXXVI.

Fuit hæc sententia Eudemi, Aristotelis discipuli, ut ajunt, quem à præceptore hausisse credimus.

XXXVII.

Eadem fuit Ammonij in Categoriâ Quantitatis, ubi quærit, cur Aristoteles, Corpus inter Quantitatis species retulerit, quum tamen sit substantiæ, respondet; Trinam dimensionem in Corpore (compositio scil:) esse substantialem Quantitatem.

XXXVIII.

Eadem Simplicij, d *qui Materiam vocat dimensionem indefinitam.*

d 1. physic. t. 15.

XXXIX.

Eadem a *Themistij, qui dicit Materiam suâpte naturâ spacium esse similibus exemtum, indistinctum, interminatumq: si enim à globo terminos & affectiones removeris, nihil præter Materiam, spatiumq; illud merum absolutumq; restabit. Hæc ille, interprete Barbaro.*

a ibidem.

XL.

Neque Philoponus ab hâc sententiâ recessit. Scribit b *enim omnium rerum naturalium subjectum communiter esse, quatuor elementa: ipsis autem elementis, & simpliciter cunctis rebus, trinam dimensionem, id est, corpus ἄμοιον; circa quam solam, ceu corpus, immutabilem, mutationes fiant, in eodem agentibus & patientibus qualitatibus substantialibus &c: Et paulò post: In his, quæ secundùm substantiam mutantur, corpus ipsum, & trina dimensio subjecta sunt.*

b 1. physic. t. 62.

XLI.

Licet autem, tùm hoc in loco, tùm c *infrà, corpus dicat secundum subjectum; in libro tamen 11. contra Proclum, &* d *alibi, Magnitudinem simpliciter pro substantiâ accipere* e *dicitur, veritate compulsus.*

c tex. 82. d 1. ort. & int. t. 40. e Pendasio.

Eandem

Digitized by Google

XLII.

Eandem varietatem apud Ammonium videre licet, qui in principio Categoriæ Quanti, trinam dimensionem cum Materiâ secundum subjectum dicit: mox tamen eandem vult esse substantiam. At si ipsa est substantia, quid opus est fingere aliam Materiam priorem, qualem nullius Compositi resolutio manifestat, sed perpetuò ultimum est Quantitas?

XLIII.

Quidam ex recentioribus, doctissimus Vir, putat, Corpus, seu Quantum, trifariàm dimensum, non esse primum subjectum, sed resolubile quid in duas naturas, quarum altera sit substantiæ, altera quantitatis. Videns tamen, Materiam non posse spoliari omni ratione magnitudinis, relinquit ei non dimensiones actu, sed solùm radicem quandam dimensionum, & inchoationem, formæ adventu perficiendam. Hanc vocat dimensionem potentialem, remissam, diminutam dimensionis participationem, quæ indicet naturam positum in quadam eximanitione, & aptitudine ad sui ipsius ampliationem & extensionem, quæque non distinguatur re à Materiâ, sed tantùm ratione, habereq; sese, ad modum proprij accidentis, essentiam consequentis. His penè verbis suam sententiam explicat.

XLIV.

Sed Vir iste acutissimus non perspicit, se ea dicere, quæ ne cogitatione quidem concipere possumus. Quum enim dicit, Quantitatem esse diversam naturâ à substantiâ, quæ est primum subjectum, explicare non potest, vel quid illa substantia sit, vel unde ei accedat Quantitas. Non enim Formæ eam producit, expers quantitatis, sed in eâ recipitur: determinat quidem eam sibi convenienter, non autem facit. Nec ipsa Quantitas aut Corpus eam producere potest: est enim sine vi effectivâ.

XLV.

Quum verò certum sit, Corpus aut Quantum simpliciter non fieri, quia daretur vacuum, ut dictum est, necessariò illi ponenda sunt quatuor principia, Materia, Quantitas, Forma, Privatio.

XLVI.

Nec evadit, inchoatione illâ dimensionis in Materiâ, quam ponit, perficiendâ à formâ. Ista enim radix seu inchoatio dimensionis, vel est dimensio, vel non est. Si non est, idem redit absurdum, fiet corpus ex non corpore, adeòq; dabitur vacuum. Si est, ergò fieri non potest, neq; perfici. Dimensio enim, ut dimensio, non fit, nec perficitur. sed fit & perficitur ad determinatam speciem, v. g. bicubitum, secubitum &c. In suâ naturâ autem, neq; remitti, ne-

que diminui poteſt, neq; inchoari, neque perfici, ad ſimpliciter eſſe, ſed ad eſſe tantùm.

XLVII.

Ratum igitur ſit, Materiam eſſe Corpus, quà Corpus; ſeu, quod idem eſt, ipſam trinam dimenſionem. Vnde jam liquere poteſt, quid de Materiâ Cœli ſit ſentiendum, eadem ne ſit, quæ inferiorum, an diverſa?

XLVIII.

Communis penè omnium Peripateticorum eſt ſententia, Cœli Materiam eſſe diverſam à Materiâ inferiorum (exceptis inter Græcos, Philopono; inter Arabas, Avicennâ; inter Latinos Ægidio) & eſſe Ens, actu per ſe ſuiſiſtens, non per formam: (quanquam D. Thomæ Formam informantem ei adſcribat) redolere autem conditiones, tùm Materiæ, tùm Formæ. Formæ, quia eſt actu: Materiæ, quia corporea & ſenſibilis: Vnde a *Græcis & Materia formalis dicitur, & Forma materialis. Caſalpinus* b *verò, actum quidem eundem ponit Materiæ Cœleſtium, & ſublunarium, potentiam autem, quæ ſit ratio materiæ, diverſam.*

a Zabarella de Nat. Cœli c. 8. b 4. Peripat. Quæſt. 7.

XLIX.

At verò, tametſi inviti à tot tantiq; viris diſſentiamus: potiore nihilominus Veritatis habendâ ratione inducti, non tantùm eandem, quò ad actum corporis: verùm etiam eandem, quò ad potentiam, pronunciamus.

L.

Et hanc ſententiam, quam credimus eſſe veram, parùm abeſt, quin dicamus etiam eſſe ad mentem Ariſtotelis, etſi pleriſque aliter videatur. Sed age, conemur hoc oſtendere.

LI.

Corporis, ut corpus eſt, a *unicus eſt actus, una ratio: potentia univerſalis, quæ de Materiâ dicitur, nihil illi addit; non enim inhæret ei, ut ſubjecto, nec res eſt alia, quàm ille ipſe actus, quemadmodum nec actus, qui de Formâ dicitur, quicquam Formæ addit. Quod ſi re differret, eſſet realis aliqua qualitas, realis compoſitio in Materiâ. Sic nec ſimplex eſſet, nec verè diceretur, non eſſe Quid, nec Quantum &c:*

a 1. Cœl. t. 2.

LII.

Deinde aſſumo: Quemadmodum univerſum apud Ariſtotelem ſignificat Cœlum & mundum inferiorem: ita Corpus univerſum, quod ingenitum & incorruptum eſſe ait, b *ſignificare Materiam cœleſtium, non minus, quam inferiorum.*

rum. Inferiorum enim Materiam esse Corpus, jam est ostensum: Superiorum quoq; esse corpoream, omnes ultrò dant: hinc dicuntur Corpora cœlestia.

b 3. Cœl. 2. t. 29.

LIII.

Iam, si Corpus universum, quà corpus, non habet ex se nisi unicum actum & simplicem: Ergò etiam quà est Materiâ, non habebit nisi unusmodi potentiam ex se. Potentia enim, quæ est ratio Materiæ, (unam propter actum dicitur potius Corpus & subjectum) non est aliquid re distinctum ab ipso actu. Si hoc: Ergò Materia Cœli, quæ etiam est Corpus, eundem habet actum & eandem potentiam, adeóque nullâ re differt à Materiâ inferiorum.

LIV.

Si dicas cum a *Alexandro, istas duas Materias distingui sensis non differentijs: tollis unicam rationem corporis. Vnum enim quà unum, à seipso non distinguitur.*

a 1. Quæst. 15.

LV.

Frustrà etiam quæritur duplex Materia, ubi una satis est. At sufficit hæc tùm ad æternitatem: quia corpus, quà corpus, ingenitum est, & incorruptum; tùm ad motum localem; habet enim potentiam ad omnia.

LVI.

Fortè nimis lata illa potentia, etiam ad Non Esse, corruptionis auctor esset cœlestibus? de hoc postea. Nunc philosophum b *audiamus: Cœlum, inquit, est Formam Materiâ: est enim sensibile. Sensibile autem esse, in materiâ existit. Quod si compositum est ex Materiâ & Formâ. Materia igitur sua, non tantùm habuit potentiam ad Vbi, verùm etiam ad suscipiendam Formam, quam habet.* c *Ex impossibili enim, id est, potentiæ experte, nihil fit, aut est.*

b 1. Cœli 9. t. 29. c 14. Metaph c 2.

LVII.

Nec effugit d *Zabarella, distinctione duplicis Formæ, quarum altera sit pars compositi, altera τὸ τί ἦν εἶναι rei, sive Quidditas, quam solam Cœlo competere vult, definitione expressam: non illam, quæ cum Materiâ constituit τὸ ἐξ ἀμφοῖν. Nimis enim clara sunt verba Philosophi, quum ait; Sensibile omne esse in Materiâ. Item, aliud esse hoc Cœlum, & Cœlum simpliciter. Simpliciter Cœlum, ut species & forma, (hanc Formam concedo esse Quidditatem) Hoc Cœlum autem, ut cum Materiâ mistum. Et paulò post: Cœlum esse substantiam in Materiâ.*

d de Nat. Cœl. c. 8.

Corpus

LVIII.

Corpus, quà Corpus, eſt interminatum: Cælum eſt corpus finitum & terminatum. Omnis autem determinatio eſt à Formâ, unde etiam [a] *terminus dicitur. Ergò eſt Compoſitum ex Materiâ & Formâ.*

a 4. phyſic. c. 2. t. 14.

LIX.

Habent etiam corpora cæleſtia ſenſiles qualitates diſtinctas, lumen & ſplendorem, viſu percipiuntur, habent diſtinctas magnitudines. Ergò à Formâ aliquâ in Materiâ. [b] *Actus enim ſeparat & diſtinguit. Corpus verò, quà Corpus, in ſe eſt indifferens.*

b 7. Metaph. c. 13. t. 49.

LX.

Quamvis forté aſtris tantum non ſit tribuendum, quantum Aſtrologi tribuunt: nemo tamen omnem virtutem agendi in hæc inferiora illis denegare poteſt. Teſtatur mutatio humorum in animalibus & plantis ex motu Lunæ: teſtantur mutationes tempeſtatum. Ipſe [c] *philoſophus ſcribit, Hominem & Solem generare hominem: &* [d] *Solis calorem generare animalia. Vnde autem iſta virtus, ſi non à Formâ? Corpus enim ex ſe vim nullam habet agendi.*

c 2. phyſic. c. 2. t. 26. d 2. generat. animal. c. 3.

LXI.

Illud etiam non levi argumento eſt, præter activam potentiam jam dictam, in Cælo eſſe potentiam quoq; paſſivam; quod Luna alienâ luce illuſtratur, eâq; privari poteſt. Vis hæc amittendi & recipiendi lucem, paſſiva eſt, quæ non reperitur in Materiâ ſimplici: alàs non minus Luna ſplenderet proprio ſplendore, quàm Sol.

LXII.

Quid iſtam potentiam Materiæ Cæli determinat ad Vbi? quid ducit in actum? Cur magis movetur motu circulari, quàm recto: Non facit hoc aſſiſtens intelligentia, hæc enim movet tantùm ut finis. Ergò Forma Materialis.

LXIII.

Quid facit differre aſtra ab aſtris, aſtra ab orbibus? nónne forma informans? Hæc contra Zabarellam & complices ideò attuli, ut conſtaret, Cælum eſſe compoſitum ex Formâ & Materiâ; Materiâ autem tali, quæ haberet potentiam latiorem, quàm ad ubi: unde ſequitur nullam eſſe cauſſam, cur hanc diverſam ponant, à Materiâ inferiorum.

LXIV.

At verò, ſi Cælum haberet Materiam eandem, eſſet etiam ortui & interitui

veritui obnoxium, ait a *Alexander : quam putant esse ratiocinationem* b *Aristotelis, confirmatam sapiùs* c *eo, quod Materia dicitur Causſa, per quam res potest esse, & non esse. Atqui* d *possibile ex se ab alio perpetuari non potest. Ergò aliquando corrumpetur Cœlum naturaliter.*

a 1. Quæst. 15.
c 2. Ort. & Int. 3. t. 51.
1. Ort. & Int. 3. t. 15.
b 1. Cœl. 3. t. 20.
1. Cœl. ult. t. 136.
d 1. Cœl. ult.

LXV.

Alexandro negamus consequentiam. Neque est ista philosophi argumentatio eo loci, ut putant. Expressè enim ait, Omne quod generatur, & ex Contrario & subjecto quodam generari; & à Contrario in Contrarium corrumpi; adeò ut non Materiæ primò & soli, sed Materiæ & Contrarietati causſam corruptionis adscribat, ut sors generationis & corruptionis non sit, ubi nulla contrarietas, etiamsi adsit Materia.

LXVI.

Nec obstat vel locus 1. à Cœli, vel 1. b Ort. & Inter., ubi Materia consideratur cum contrarietate, seu cum privatione determinati contrarij, quo modo libenter concedimus, eam esse causſam corruptionis. Hoc enim est c *τὸ κατηγορικὸν privationis.*

a t. 136.
b t. 15.
c 1. physic. t. 80.

LXVII.

Expressiùs hoc habet 2. d *Ort. & Inter., ubi non dicit, materiam esse causſam, ut res sint & non sint; sed ut Esse & non Esse possint. Possibilitatem affert Materia, quantum in se est, non contingentiam, quæ ex Forma est, cui alia Forma contraria.*

d t. 51.

LXVIII.

Expressissimè in 1. physic. c. 5. Contrarietatem agnoscit radicem mutationis, & fundamentum. Et, propter Contrariorum sustentationem, Materiam requirit : ut ea vel in primis mutationis respectu dicatur non αἰτία sed συναιτία. c ὥστε ᾧ μὴ ἐστιν ἐναντίον, καὶ ὅπως μὴ ἐστιν, ἀδυνάτον ἂν εἴη φθαρῆναι. τὶ γὰρ ἔσται τὸ φθαρέν;

c Longit. & Brevit. vitæ, c. 2.

LXIX.

Quod autem possibile ex se, ab alio perpetuari in naturâ non possit, verum

rum de possibili generato; de privatione particulari, quam habet, materia in in composito, ipse textus dat. Nam disputat ibi, nullum generatum esse incorruptibile. Nos verò non dicimus, Cœlum esse generatum, quia Materia Cœli Formam non accipit generatione, habuisset enim prius ejus contrarium: sed recepisse eam ex simplici potentiâ per emanationem æternam, aut verius, cum sacris literis, in tempore: nec opus fuisset generatione aut præviâ præparatione, ob peculiarem naturam Formæ Cœli, quæ sine contrario est.

LXX.

Veruntamen, dicunt, [a] *Aristoteles non reddit aliam rationem, cur Cœlum sit æternum, quam hanc, quia materiâ careat.*

a 1. Cœli t. 20.

LXXI.

Atqui eam reddit apertè, quod omnis Generatio & Corruptio in contrarijs sit. Contrarietatis autem Cœlum sit expers.

LXXII.

Sed rursum, [b] *impossibile videtur Materiam habenti non existere contrarium.*

b de Longitu. & Brevit. Vitæ c. 3.

LXXIII.

An id non simpliciter dictum est: sed μὴ ὑπάρχειν πως τὸ ἐναντίον. Quod sanè verissimum esse fatemur. Nam ubi materia est, ibi est propter aliquam mutationem: mutatio autem sine contrario esse non potest. In cœlo est contrarietas seu oppositio Loci, Lucis & Tenebrarum. Quum deberet moveri circulariter ab Oriente in Occidentem, propter hanc oppositionem oportuit esse materiatum. Contrarietas autem illa non est Forma quâ absente, corrumpi impossibile est. Hinc dicitur aliquando, Cœli potentiam esse tantum ad Vbi.

LXXIV.

Sed amplius instant: Vnitas [c] *& diversitas generis pendent ex unitate & diversitate Materiæ. Atqui* [d] *Corruptibile & æternum differunt genere: Ergò etiam Materiâ.*

c 10. Metaph. c. 3. t. 12. d ibid. c. 10. t. 26.

LXXV.

Numquid propositionem illam philosophus non de Materiâ primâ, sed de secundâ generabilium protulit? Nam inquit; Genere differunt, quorum non est communis Materia, neq; mutua generatio: quomodo coloratum & sapidum

pidum differunt genere, etsi communem materiam habeant primam, id est, remotam: sed non habent communem proximam: ideò ex sapido non fit coloratum, nisi per accidens. Ita scribit a *etiam, Hominem & Equum differre genere, (non logico, sed physico.) quia mutuam non habent in se transmutationem.*

a de long. & Brevit. vitæ c. 1.

LXXVI.

Similis responsio est ad Locum 1. b *Ort. & Inter. Quæ enim inter se non transmutantur, non habent eandem Materiam proximam. Tota illa tractatio de Generabilibus est, non ulterius extendenda.*

b c. 10. t. 87.

LXXVII.

At urget id, quod c *Cœlestia excipiuntur à cognitione per causſam materialem.*

c 8. Metaph. 4. t. 12.

LXXVIII.

An hoc etiam de Materiâ proximâ accipiendum? Nam prima ad distinctam cognitionem nullius rei affertur; etiam in generabilibus. Ipse docet: quum materialem hominis causſam, non ignem, non terram, sed sanguinem vult afferri. Cœlestia, inquit, fortassis, (nondum enim ostenderat substantias abstractas) vel non habent Materiam, vel quæ habent, ut Corpora Cœlestia, non habent talem: id est: quia Corpora Cœlestia omnia sunt simplicia, non habent talem materiam, hoc est, discrimen illud propinquioris & remotioris Materiæ, quæ diversorum effectuum causſa esse possit: sed loco mobilem, & eatenus omnibus communem cœlestibus. Si igitur de diversis corporibus Cœlestibus diversa quæras, causſam istius diversitatis non potes ex Materiâ afferre. Alloqui, si simpliciter Materiam nullam assignari posse, dicere voluisſet; ineptè loco mobilem concessisſet; quæ in omnibus afferri potest; sed ut communis, non propria huic aut illi, ideò nullam parit distinctam cognitionem.

LXXIX.

Amplius, a *Omnis potentia est contradictionis: si in Cœlo per Materiam esſet potentia passiva ad esse & non esse; utique aliquando non esſet.*

a 9. Metaph. c. 8.

LXXX.

Ad hoc dicimus, etsi omnis potentia sit contradictionis, non tamen secundum utramq; partem τῆς ἀντιφάσεως ἐνεργεῖν. Sed si nihil impediat, &

alia requiruntur. Fortior autem est Forma Cœli, quæ est actus sine contrario, quam potentia Materiæ,

LXXXI.

Sic vidimus 1. physicorum, ad non contrarietatem substantiarum, satis fuisse unum principium non contrarium. Sic calor & omnis Forma elementaris, etsi ex se, & suâ naturâ impartibilis sit, & impatibilis : patitur tamen & partitionem recipit propter naturam subjecti : Quod si forma vilior potest cogi supra Naturam suam à fortiori materiâ : quid ni & materia debilior à Formâ fortiori possit inhiberi, quòminus suam contradictionis potentiam exerat ?

LXXXII.

Denique, licet corruptio, ut suprà dictum fuit, ex parte materiæ possibilis esset : tamen ob defectum Contrarij est impossibilis. Nam ipsa materia ex se non habet vim ejiciendi formas sed patitur tantùm hanc ejectionem ab efficiente.

LXXXIII.

Postremò, ad summum urget, quod negatur in [a] *Metaphysicis, æterna esse composita : quia necesse sit, ex quo quid est, (sive semper sit, sive factum sit) ex eo fieri, omne verò fiat ex eo, quod potentiâ est id, quod fit, (nec enim ex impossibili factum fuisset, nec esset) porrò quod est δυνατὸν, ἐνδέχεται καὶ ἐνεργεῖν, καὶ μὴ, unde sequitur, quodcunque Materiam habet, ex quâ sit, ut contingat id aliquando non esse. Quare æternum non erit.*

a 14. Metaph. c. 2.

LXXXIV.

At nos huic loco primò opponimus [b] *alium, ubi scribit, tot esse principia æternorum (corporum) quot generabilium, eademq; genere : unum, ut Materiam ; alterum, ut Formam ; tertium, ut Efficiens. Quare æterna non est impossibile esse composita.*

b 2. Ort. & Inter. c. 9. t. 51.

LXXXV.

Deinde, satis jam ostensum est, Contingentiam non tam niti possibilitate Materiæ, ut sic dicam, quam contrarietate. Ideo [c] *ait philosophus, Rectè naturam id, quod futurum erat ingenerabile & incorruptibile, exemisse à Contrarijs : non dicit, à Materiâ : quasi contrarietas potior caussa sit corruptionis, reticet Materiam. Quanquam, ut nihil dissimulemus, etiam Contra-*

rietas

rietas eam non causseretur, nisi in Materiâ existens. Hinc d *ait, si aliqua esset separata caliditas, hac nihil pateretur.*

c 1. Cœl. t. 20. d 1. Ort. & Inter. t. 55.

LXXXVI.

Vel igitur immemor fuit philosophus eorum, quæ alibi scripserat de Compositione Cœli ex Materiâ & Formâ : Vel, quod magis crediderim, agit ibi cum Veteribus ex suâ ipsorum doctrinâ eos confutans. Quippe substantiarum immobilium & separatarum, non minus contraria principia faciebant, quàm naturalium, v. g. æquale & inæquale; unum & multa; excessum & defectum &c : Immò, quidam Materiam faciebant alterum contrariorum, ut apparet ex eodem a *libro. Considerando igitur Materiam μετ' ἐναντιώσεως, vel, ut ipsa est alterum Contrarium, mirum non est, si, quibus talis Materia tribuenda est, (ut necessariò tribuere veteres debere ibi evincitur, si compositas esse velint substantias separatas ex contrariis.) si, inquam, ijsdem tribuatur contingentia ad Non esse. Ex his autem non concluditur, quacunq; Materiam habent simpliciter, ea contingere aliquando non esse.*

a cap. 1.

LXXXVII.

Manifestum est etiam ex fine præcedentis libri illam disputationem non pertinere ad ὑλικὴν οὐσίαν, sed ad substantias separatas. Scribit enim cap. 10. Quod si quis substantias separatas ponat, quomodo principia eorum & elementa ponet ?

LXXXVIII.

Ex dictis hactenus de Materiâ, ejusque essentiâ, satis constare potest, qualis ejus sit cognitio, quis modus intelligendi. Si accipiatur in secundâ notione, ut est potentiâ, & Non Ens, physicus verè ignorat quid sit : omnem enim actum Entis ei detrahit, solam potentiam ad omnia relinquens. Non Ens autem non est scibile. Et intellectus noster, νοῦς παθητικὸς, est δύναμις quædam, quæ non potest in actum duci, nisi ab eo quod est in actu; (a actus enim est ratio intelligendi) ideò nulla positiva directa cognitio Quidditatis ejus, hoc respectu habetur; sed vel b negativa, dum dicitur, neque Quid, neque quantum &c. c vel analogica, comparatione factâ ad subjectum artificiosorum mutabilium : hanc cognitionem analogicam d Plato spuriam & adulterinam appellat.

a 9. Metaph. t. 20. b 7. Metaph. t. 8.
c 1. physic. t. 69. d in Timæo.

LXXXIX.

Considerata autem secundum gradum suum Entis & Actum, nempè, ut est Corpus in genere substantiæ ac trina dimensio, non modò directam habet cognitionem, sed etiam sensui est notissima. Magnitudo enim est inter sensibilia communia notissimum, unde Mathematicæ scientiæ sunt omnium evidentissimæ, & ideò olim pueris tradebantur. Et hæc de Materiâ, sub utrâq; notione, dicta sint.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

Videri ex Philosophiâ, naturæ luce inventâ, manifestius colligi posse, Mundum à DEO factum esse ex nihilo, quam ex Theologiâ divinitus patefactâ. In tempore autem factum esse, certiùs cognosci ex eâdem Theologiâ.

Digitized by Google

DISPUTATIO I.

MICHAELIS PICCARTI.

THESES LOGICÆ,

De

QVATVOR ORGANIS ΤΗΣ ΕΥΠΟΡΙΑΣ ΠΡΟΤΑΣΕΩΝ.

Respondit

Johannes Knoettnerus, Egranus,

Mens. Augusti. cIↃ IↃ cI.

THESIS I.

QVod Galenus, Sapientissimus docendi Magister, olim de Libris dixit, debere eos habere decentem magnitudinem, id in Dialogis quoque locum habere, aliquoties innuisse Aristotelem censeo.

II.

In primo Topico, à Problematibus Dialecticis, removet, ἂν σώεγγυς ἡ ἀπόδειξις, quia scilicet illa Dialogo finem accelerent.

III.

In octavo Topico eôdem fortean tacitè respicit, cum aliquas in Dialogis adhiberi non necessarias ait propositiones, εἰς ὄγκον sive κόσμον τῦ λόγυ.

IV.

Et nescio, an non, in primo Topico, secundariò faciant eôdem, quæ, postquam περὶ ψυχολογίαν τῆς Διαλεκτικῆς μεθόδυ (sic Alexander enim Librum nominat) absolvisse videri poterat, περὶ ἐυπορίας προτάσεων addit.

V.

De quibus, quomodo πρώτως sive χυρίως Aristoteles agat, hac disputatione placet considerare.

Facit

VI.

Facit autem ἐυπορίας Organa quatuor. I. vocat λήψιν προτάσεων. II. Ἀφαίρεσιν τῶν πλαχῶς λεγομένων. III. ἔυρεσιν τῶν διαφορῶν. IV. σκέψιν τῶν ὁμοίων.

VII.

Quæ tria posteriora ad primum quodammodo reduci posse, quisque videt. Nam, quod secundum attinet, sit quæstio: sitne αἱρετὸν Tyrannum regnare? Distinguo αἱρετὸν, nempe honestum aliud, aliud utile, item jucundum dicens: Ex qua Ἀφαιρέσει τῶν ἐμφερομένων tres sumo propositiones. Non est honestum, non est utile, non est jucundum regnare Tyrannum: Ergo non est αἱρετὸν. Sic ex differentijs fabricari propositiones, similiter ex similibus possunt.

VIII.

Neque tamen propterea unum solum Organon statuit Philosophus noster: non enim omnia ad unum revocanda esse, etsi possint, propter usum Tyronum, sapius monet.

IX.

In prioribus Analyticis, sive de syllogismo libris, omnia posse revocari, ait, ad antecedentia, consequentia & repugnantia, non tamen esse ex usu auditorum.

X.

Hoc ipso libro primo Topico omnia alia Problematum Genera ad Problema Definitionis colligi posse docet, nec tamen ipse facit.

XI.

In Sophisticis Elenchis, omnia Sophismata ad ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου referri posse innuit, sed non esse ex commodo discentium.

XII.

Et rectè hæc docet Aristoteles: Nam Divisione quidem mens humana ad sapientiam procedit, sed moderata, hoc est, nec nimium generali, neq; etiam nimium speciali. Ac nescio, an non divisionibus uti conveniat, quemadmodum cibis, in quibus, bolos magnos nimium sumere concoctionem impedit, minutissimas autem micullas, parum alit.

XIII.

Illustrat verò Aristoteles proposita Organa, & de singulis præcepta quædam tradit, usumq; eorum monstrat.

XIV.

Quod ad primum, id est, προτάσεων λήψιν, attinet, requirit primum, ut Diale-

Digitized by Google

ut Dialecticus ſit φιλόσοφος (in quo cum Platone ſentit) & quaſi ἐρᾳστὴς quidam, veneturq; propoſitiones δοξαστικὰς ſive Dialecticas.

XV.

Tales ait eſſe non ἐνδόξους modo, ſed & his καὶ ἀντιφάσιν contrarias, item ſimiles, artium denique opiniones & quaſi communes ſententias.

XVI.

Refero ad hoc præceptum, illuſtrem ejuſdem locum, in octavo Topico: Dialecticum debere operam dare, ut ex omni diſputatione ſecum auferat aut propoſitionem aliquam ἔνδοξον, aut ἔνστασιν, aut ſolutionem, aut denique modum aliquem pulchrum interrogandi.

XVII.

Præcipitur idem diligenter Oratori, apud Ciceronem, ſub Autoni perſonâ. Quod ſi neceſſarium eſt Oratori, qui tantum φλυαφύες ſeu virgultum Dialecticæ tradat, ut ſit ſollers & laborioſus, quanto magis curæ eſſe debebit Dialectico.

XVIII.

π. Monet colligendas eſſe ejuſmodi propoſitiones, quæ in pleriſque eodem modo ſe habent, & ſunt ὡς ἐπὶ τὸ πολύ; etſi non καθόλου: Quales ſunt: Qualis cauſſa talis effectus, Periti præſtant imperitis. Cujus rei ἐυ melius eſt alterius rei ἐυ, Ea res etiam ſimpliciter aliâ melior eſt.

XIX.

Hujuſmodi propoſitiones, inquit Alexander, oportet confidenter ponere, tanquam ſi principia: Nam, ſicut in civilibus, quod timidè petitur, jure negari poſſe innuitur, ita in his quoque.

XX.

Neque verò ex ſermunculis ſolum, aut diſputationibus captandæ propoſitiones, ſed colligendæ quoque ex ſcriptis Ariſtotelis videntur: quod ipſum tamen non confuſè faciendum cenſet, nullo ordine: nam, quî reperias poſtea, cum voles: ſed veluti diligens paterfamiliâs omnia cum curâ diſponit, cuique rei ſuum aſſignando locum, ita Dialecticum quoque ſua, ſtudio congeſta, ἐυτάκτως quoque vult diſponere & ordinare.

XXI.

Delineatq; Ariſtoteles veluti modum quendam, conficiendorum locorum, quos vocant, communium, qui duobus quaſi præceptis continetur.

XXII.

Quorum prius: Genera ſingula ſeorſim ſunt ponenda, deinde ſpecies locandæ, quæq; eò pertinent: Tum rurſus hæc dividenda & ſeorſim ſcribenda.

XXIII.

Poſterius: In ſingulis capitibus hujuscemodi primum ea ſunt ponenda, quæ τὸ τί ἐστι hoc τὸ εἶναι rerum concernunt, poſt demum ea, quæ rei tribuuntur, eiq; accidunt.

XXIV.

Vtile præterea, inquit, fore, ſi velis ἔνδοξον propoſitionem adferre, addere nomen Philoſophi, cujus illa theſis ſit. Quod enim, apud ſapientes, eſt ratio, auctoritas apud vulgus eſt. Et verè olim Averroes dixit: Per hujusmodi Epilogos, affectum quemdam imprimi Reſpondenti, aut adverſario, quo excæcetur, ut nequeat pervidere verum.

XXV.

Neque tanti nobis Senecæ iudicium, viri aliarum rerum intelligentiſſimi, qui, de Auctore cogitare, operosè nihil agere vocat, & ſufficere ſi teneatur, quod ſcriptum eſt, quantumvis ignoretur, qui ſcripſerit: Scimus enim Stoicæ eum Philoſophiæ addictiorem, adeoque affectibus iniquiorem fuiſſe.

XXVI.

Alexander certè cum VIII. Top. præceptum illud κρυπτικὸν interpretatur: Addendam eſſe propoſitionibus clauſulam, ὃν συνήθως καὶ λεγόμενον τὸ γνώριμον: adjungit hanc quaſi ſpecialem regulam: οἷς καὶ οὕτως καὶ εἰ Φιλοπλάτων λῆς εἶναι, ῥᾴδιον λήψεται παρ' αὐτοῦ ὁ ἐρωτῶν, ὁ βούλεται, ἂν λῆς προσθῆναι, οὕτως Πλάτωνι δοκεῖ. Et vide mihi diſputationes modernas, nihil hoc præcepto frequentius, addo efficacius, præſertim apud imperitiores.

XXVII.

Docet poſtea ex materiâ quoque ſumtionem propoſitionum: Quomodo enim ſumamus, niſi, quas qualésve ſumere oporteat, conſtet. Dixerat quidem antè, ſumendas eſſe propoſitiones Dialecticas: at quæ ſunt eæ? Reſpondet tales eſſe Ethicas, Phyſicas, Logicas.

XXVIII.

Quem locum dum conſidero, neſcio an Laërtius & Lucianus omnem materiam Dialogorum complexi ſint, cum ajunt: Dialogos eſſe colloquia de Naturâ rerum & de Virtute. Vix enim immò non video, ad utrum hujus διχοτομίας membrum referam propoſitiones Logicas.

XXIX.

Dicas, ſi Dialecticus diſputat de materiâ Logicâ, Phyſicâ, Ethicâ, quid Philoſo-

Digitized by Google

Philoſopho reliqui fiet ? Reſpondet Ariſtoteles, Materia eadem Philoſophi quoque eſt : ſed differunt hi duo & diſcernuntur tractandi modo ; Nam Philoſophus agit de biſce καθ' ἀλήθειαν. Dialecticus δὲ δόξαν, ſive δοξαστικῶς.

XXX.

Qui locus auro contra charus nobis eſſe debet, mirum enim, quantum Philoſophiam Ariſtotelis illuſtret, quantumq; eum à calumnijs multorum iniquis vindicet, quibus aquam ſiccam, nivem nigram eſſe docere videmur, cum dicimus, Res eaſdem modo λογικῶς, ſive διαλεκτικῶς, ſive πρὸς δόξαν, ſive ἐπιπολαίως, καὶ ὡς ἐν τύπῳ ; modo παραμαλικῶς, ſive καθ' ἀκρίβειαν aut καθ' ἀλήθειαν tractari poſſe.

XXXI.

Quos vel erroris ſui convincere debuerant vulgaria illa, cum δίκαιον aliud φύσει, aliud νόμῳ, Turpe aliud revera, aliud opinione etiam inveſtes pueri ſciunt.

XXXII.

Ne jam dicam παρολογίας crimen, ſapiſſimè Ariſtoteli impactum, duplici hoc tractandi modo elui & excipi.

XXXIII.

Addit denique colligendas eſſe propoſitiones univerſales, & hìs accommodandas ſpeciales : verbi gratia, Noli, inquit Ariſtoteles, colligere, eamdem contrariorum eſſe ſcientiam, ſed ſume univerſalem, oppoſitorum eſſe eamdem ſcientiam, hanc per ſpecies ſingulas diduc, & deinceps ſingularum exemplis illuſtra. Et hæc quidem de primo Organo.

XXXIV.

II. Organo ἐμπειρίας eſt τὸ δυνάσθαι διελεῖν, ποσαχῶς ἕκαστον λέγεται. De quo Ariſtoteles item præcepta quædam tradit, ex fontibus quibusdam & Locis quaſi generalibus educta, ad veſtigandum & judicandum Homonymiam.

XXXV.

Primus Locus, ex Oppoſitis eſt : ex quo per ſingulas Oppoſitorum ſpecies ferè præcepta præſcribit : primo quidem ex contrarijs ita docet : Si unum plura ſibi habet contraria, quæ ſpecie & definitione differunt, eſt ex numero τῶν πλεοναχῶς ; ſic grave opponitur acuto & levi ; Acutum gravi & obtuſo.

XXXVI.

II. Si duorum contrariorum unum habet aliud contrarium, alterum non habet aliud, eſt item τῶν πλεοναχῶς : ſic φιλεῖν in animo habet contrarium μισεῖν : In corpore non habet, cum ſcilicet ſignificat oſculari.

Digitized by Google

XXXVII.

Item si contraria sint ἔμμεσα, & eorum unum de rebus aliquibus dicatur, in quarum his quidem medium reperiatur, in illis verò non: aut utraque non habeant idem medium: aut denique unum plura media, quàm alterum, omnia hæc τῶν πλεοναχῶς sunt.

XXXVIII.

Ex altera Oppositorum specie Contradicentibus nimirum quoque tradit ἀφορμὰς inveniendi & judicandi τὰ πλεοναχῶς: nimirum si unum contradicentium multis dicitur modis, etiam alterum: verbi gratia, non videre de cæco dicitur & de dormiente; ergo & videre.

XXXIX.

Sic ex III. specie: Si habitus est multiplex, etiam privatio, & contrà. De Relatis nulla hic mentio, tum quia non accuratissimè omnia hic examinantur, tum quia constare ex naturâ τῶν πρός τι poterat: si unum esset πλεοναχῶς, esse etiam alterum: verbi gratia, scientia alia actu est, alia δυνάμει: Ergo & scibile.

XL.

Secundus Locus à Conjugatis: de quibus ita Philosophus: si casus dicitur πλεοναχῶς, etiam primigenium: cautelam Alexander adhibet: non semper dari progressum à Concretis ad abstracta sive primigenia. Non, verbi gratiâ, tot modis salubritas dicitur, quot salubriter.

XLI.

Tertius Locus à generibus summis & subalternis: si quod ὁμώνυμα dicatur de rebus summo Genere, hoc est, Categoriâ differentibus, multiplex est. Tale bonum est, quod in substantia DEVS est, in Quantitate τὸ μέτριον &c.

XLII.

Dicas: ergo quæ de rebus unâ Categoriâ contentis dicuntur sunt συνώνυμα? Non, inquit Aristoteles, sufficit hoc ad arguendam Synonymiam: nisi enim ὑπάλληλα sint, de quibus vocabulum aliquod unum dicitur, nihilominus τῶν πλεοναχῶς est, verbi gratiâ, Grus dicitur de ave & machinâ architectonicâ: quæ duo sub eadem quidem Categoriâ sunt, substantiâ scilicet: grus tamen homonymως de ijs dicitur, quia neque avis sub machinâ, neque machina sub ave continetur.

XLIII.

Quid audio? an res arte factæ ad substantiam pertinent? certè refert eò hic Aristoteles, & Ammonius quoque credo hunc secutus, in Categorijs, cap.

περὶ τῶν

τῶν πρός τι. *Vbi inquit:* ὡς μέντοι ἐπὶ πλεῖον ἡ παιδαλίου ἡ κεφαλὴ οὐσία εἰσὶ τῶν πρός τι ἀλλ' οὐσίαι. *An Logicè ſolum res arte factæ hic conſiderantur, hoc eſt, craßè & propter prædicandi modum tantum, nec* πραγματικῶς, *quæ conſideratione ad* σχῆμα καὶ μορφὴν *Qualitatis pertinere verius conſemus.*

XLIV.

Addit & hoc Ariſtoteles, ſi in vocabulo propoſito non appareant diverſa & μὴ ὑπάλληλα γένη, *contrarium eſſe inſpiciendum, verbi gratiâ, lateant in acuto, inſpiciatur obtuſum, de quibus dicatur reperies dici de voce, cujus genus eſt ſonus, de ſapore, cujus genus Qualitas, de gladio, cujus genus* λογικῶς *ſubſtantia vel* πραγματικῶς *figura: Et hinc quoque de acuto judicium fac.*

XLV.

Quartus Locus à Definitione: ſi quid tibi videatur ambiguum, aut multiplex, defini ea, de quibus vocabulum dicitur, compoſita cum eo quod ambiguum cenſes. Quo facto ſi ſublata definitione rerum non mancat eadem Oratio, homonymon: ſin autem, Synonymon eſt.

XLVI.

Quintus Locus ex comparatis eſt: Conſiderandum eſt, an vocabulum aliquod diverſis competat, non tamen ſecundum idem, ſed κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον, ὕστερον καὶ πρότερον: *ſi poſſunt comparari, ſunt ſynonyma, ſi non, ſunt homonyma: ſic* λευκὸν *de veſte & de voce dicitur, inter quæ duo quia comparatio inſtitui non poteſt,* λευκὸν τῶν πλεοναχῶς *eſt.*

XLVII.

Sextus Locus à Differentijs: ſi enim diverſorum Generum, quæ non ſunt ὑπαλλήλως *poſita, diverſæ etiam ſunt differentiæ, ut ſunt, quod monuit in Categorijs: & verò idem vocabulum nunc hujus, nunc illius generis ſit differentia, etiam* τῶν πλεοναχῶς *erit.*

XLVIII.

Et contrà, ſi diverſæ differentiæ de eodem vocabulo dicantur.

XLIX.

Denique ſi unum aliquod nomen de pluribus dicatur, & illud nomen alterius ſit ſpecies, alterius differentia, etiam τῶν πλεοναχῶς *erit.*

L.

Ratio hujus præcepti videtur eſſe differentia multiplex inter ſpeciem & differentiam. Differentia enim πολλαχῶς *ἐν τῷ εἴδει eſt, ſpecies effectus: ſpecies etiam in quid prædicatur, Differentia in Quale: Species aliquando ὅπερ γένος eſt. Differentia, etſi eſt γενικόν τι, ὅπερ γένος tamen numquam eſt. Spe-*

cies item ſunt, in quas genus dividitur : Differentiæ autem, per quas illa diviſio fit, ſive quibus ſpecies inter ſe diſtinguuntur.

L I.

Ex hiſ & ſimilibus Homonymia vocabulorum inveſtigari & judicari poteſt. Vellemus autem rectius & deliberatius egiſſe eos, qui Ariſtotelem, propter hæc præcepta, Grammaticam artem cum Dialecticâ commiſcuiſſe contenderunt.

L II.

Sequitur III. Organon, Differentiarum ἴυρεσις, quæ rectè & ordine ſequitur Διαίρεσιν τῶν πλεοναχῶς. Omnis enim ſcientia (teſte Platone) conſiſtit in diviſionibus vocabulorum & rerum.

L III.

Differentias verò invenire Ariſtoteles vel in ijs docet, quæ ſunt συγγνῶν, ſive ὁμογνῶν, vel quæ ſunt ἑτερογνῶν. Quæ utraque rurſum aut vicina valdè ſunt, aut plurimum à ſe invicem diſtant. In ijs quæ ſunt συγγνῶν, & valdè vicina, magnum ſtudium ponendum, ut differentias eruamus, quomodo Ariſtotelem feciſſe ſæpè videmus. In Ethicis, verbi gratiâ, inter Liberalitatem & Magnificentiam lib. 4. cap. 2. Item inter juſtitiam univerſalem & particularem lib. 5. c. 1. inter Sapientiam & Prudentiam lib. 6. cap. 6. Quæ remotiora ſunt, minus laboris requirere videntur.

L IV.

In hiſ verò quæ ſunt ἑτερογνῶν, facilis eſt differentiarum inventio, ſi proculà ſe invicem diſtant : ſi verò parum, itidem opus eſt ſtudio : quale præivit nobis Ariſtoteles in indagandis differentijs Scientiæ & Senſus, in libris de Anima, verbi gratiâ, lib. 2. cap. 5. Senſum docet eſſe ſingularium, ſcientiam univerſalium : lib. 3. cap. 3. Scientiam verorum, ſenſum contingentium, & alibi pluries.

L V.

Vltimum Organon eſt τῆ ὁμοίᾳ σκέψις : Non enim ſufficit ſeparare res & dividere poſſe, oportet conciliare etiam & conjungere noſſe. Hinc Platoni viſum hoc Philoſophi munus, ἓν εἰς πολλὰ διαιρεῖν, καὶ πολλὰ εἰς ἓν συνάγειν.

L VI.

Monet ergo Ariſtoteles, indagandam eſſe ſimilitudinem non in vicinis valdè rebus, verbi gratiâ, inter ovum & ovum, Mulum & aſinum, ſed in ijs, quæ longius paullò à ſe invicem diſtant : reſumit verò diſcrimen illud in συγγνῶν καὶ ἑτερογνῶν.

De hiſ

LVII.

De hîc duo præcepta tradit: Prius, Videndum esse, an non sit aliqua Analogia in rebus diversis: Posterius, an non diversæ res eodem modo in altero insint.

LVIII.

In illis verò, quæ sunt sub eodem genere, videndum est, an sit communis aliqua habitudo: sic homo & bos conveniunt in eo, quod graduntur; homo & avis, quod sunt bipedes &c.

LIX.

Et hæc de IV. Organi, δι' ὧν ἐυπορήσομεν τῶν ἀναλεκτικῶν λόγων. Dicas: video præcepta & intelligo, quod verò sit χρήσιμον, nondum rectè video. Iuvat Aristoteles, & de utilitatibus quoque eorum præclarè monet.

LX.

Primi quidem Organi utilitates speciatim nullas adfert, tum quia manifestæ sunt eæ: ut docet Alexander. Cum enim Propositiones sint ὕλη καὶ μέρη τῶν συλλογισμῶν, copia earum utilitatem suam secum infert. Tum, quoniam reliqua Organa reduci ad primum possunt, eiq; veluti subserviunt. Vnde illorum utilitatibus propositis, etiam primi utilitates elucescunt.

LXI.

Secundi Organi utilitatem adfert triplicem. 1. inquit, distinctio τῶν πολλαχῶς prodest πρὸς τὸ σαφὲς, quod, teste Alexandro, ὅλως χρήσιμον καὶ πρὸς καταςκευὴν, καὶ πρὸς ἀνασκευήν.

LXII.

Vocabulorum etiam significatione cognitâ, non ambigitur ultra, præciduntur occasiones Logomachijs. Rectè autem Alexander: Σοφιςικὸς λόγος πρὸς τὸν ὁμοῦ καὶ τὸν λέξιν ὁ ἀναλεκτικός.

LXIII.

Hinc tot apud Aristotelem vocabulorum distinctiones: verbi gratiâ. Entis contra Parmenidem & Melissum, Phys. 1. cap. 2. & 3. 3. Phys. c. 4. Infiniti. 4. Physic. cap. 7. Vacui. 1. de Ortu & Interitu cap. 6. Contactus. 1. Eth. cap. 6. Boni. 5. Eth. cap. 1. Iustitiæ. Sic apud Platonem in Theæteto, cum quæstio esset, an omnia moverentur, Socrates disputare non vult, antequam vocabulum Motus distinguatur.

LXIV.

Tertia utilitas, ut non solum nos tuti esse possimus à deceptione, sed etiam alios fallere jocandi tentandive gratiâ, Quod Alexander tamen ἀπίθανον καὶ σοφιςικώτερον esse dicit.

LXV.

Tertij Organi utilitates proponuntur duæ: Quarum prior: inventâ differentiâ rerum propositarum, ostenditur non esse eadem, quæ pro ijsdem allata erant. Posterior: ἔυρεσις differentiarum conducit quoq; ad naturam & essentiam rerum cognoscendam. Tertiam Alexander addit, conducere quoque ad dandum ἐνστασεις contra λόγους ἔλεγκτικούς: Monstratâ enim differentiâ & diversitate singularium, vis inductionis ruit.

LXVI.

Quarti instrumenti utilitates tres asseruntur. 1. inquit Aristoteles, ὁμοίων σκέψις conducit ad inductiones. Inductio enim procedit à τῶν καθ' ἕκαστα ad τὰ καθόλου: Quæ singularia cum omnia recenseri non possint, nisi, quæ omittuntur, similia fuerint, inductio non procedit.

LXVII.

11. Conducit ad Syllogismos ἐξ ὑποθέσεως, qui alias ex ὁμολογίας sive ex concessione Syllogismi dicuntur, hoc est, cum unâ propositione nobis concessâ, multas similes, propter ὁμοιότητα, supponimus.

LXVIII.

Tertia utilitas definitionibus servit, quæ ex duplici rerum etiam genere intelligi potest: Nam si videamus, quid res diversæ sub eodem genere simile habeant, dubium non est, quodnam pro genere sit in definitione collocandum. Nempe, quod maximè indicat ex similibus illis, quid res sit, id genus est.

LXIX.

Ex earum verò rerum, quæ à se invicem longè distant similitudine inventâ facio definitionem aliqualem, sumendo similitudinem & adjungendo differentias.

LXX.

Alexander magnificentius adhuc de quarto hoc Organo loquitur: ὅλως ἡ τοῦ ὁμοίου θεωρία οἰκειοτάτη ἐπιστήμη ἔσται καὶ πάσῃ λογικῇ γνώσει. τὸ γὰρ καθόλου ἐν ὁμοιότητι λαμβάνεται, ἡ δὲ καθόλου γνῶσις ἐπιστημονική.

LXXI.

Si quis has Organorum utilitates componat cum utilitatibus totius Dialecticæ πραγματείας, videbit eas pulcherrimè conspirare & colludere.

DISPU-

DISPUTATIO II.

MICHAELIS PICCARTI.

THESES

DE ENDOXIS.

Respondit

Georgius Salmuth, Lipſ.

Menſ. Febr. cIↃ IↃ cII.

I.

ARiſtoteles in 1. Topico naturam Dialecticæ deſcribens, ait eſſe μέθοδον δι' ἐνδόξων περὶ παντὸς τοῦ προκειμένου συλλογιστικήν.

II.

Ita enim mentem & verba Ariſtotelis contrahit Alexander, fidelis librorum Topicorum interpres, conſenſum ſuum ſuper eâ re cum Præceptore teſtatum faciens.

III.

In eâ deſcriptione, quid ſint revera & Κυρίως ἔνδοξα; non hodiè aut heri demùm diſceptari cœpit, ſed diu in ſcholis atq; adeo haud longè ab Ariſtotelis temporibus lis illa diſputata fuit, quod ex Alexandro cuivis patet.

IV.

Nec decidit eam notio endoxωn ab Ariſtotele tradita. Eſſe ſcilicet Ἔνδοξα τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείοσις, ἢ τοῖς σοφοῖς, καὶ τούτοις, ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείοσις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις καὶ ἐνδόξοις.

V.

Cenſuere aliqui: nihil τὰ ἔνδοξα, differre â veris, quia ſcilicet conſenſiones judicataq; Hominum falſa nequaquam ſolerent eſſe aut ſine ratione. Alia falſa eſſe contenderunt ratiunculis tamen quibuſdam ſubnixa.

VI.

Nos neq; ad veritatem neq; ad falſitatem examinamus, ſed ad Opiniones, quas Homines habent de rebus, verbi gratiâ hæc hi, alias illi.

VII.

Hoc eſt: Ἔνδοξα καθ' ὅσον ἔνδοξα μήπω ἀληθῆ μήτε ψευδῆ εἶναι ſtatuimus.

VIII.

Ἀληθῆ non eſſe docet Alexander multis locis commentariorum ſuorum: puta cum com: VI. Top. ait Διαλεκτικὴν δὲ τοῦ ἀληθοῦς ζητητικὴν, ἀλλὰ δὲ ἐνδόξων ἐπιχειρηματικὴν εἶναι.

IX.

Item quod toties apud eum in locorum enarratione: Ἔνδοξος μὲν ὁ τόπος ἔτος, μὴν ἀληθὴς. Idem Εὔλογον δοκεῖ δὲ μὴν ἀληθὲς τοῦτο, & ſimilia.

X.

Ἔνδοξα autem propterea falſa non ſunt, quia vera non ſunt, quod ſenſiſſe Marinum refert Magentinus & reprehendit.

XI.

Clarè Alexander: Οὐ διαφέρει τὸ ἔνδοξον τοῦ ἀληθοῦς τῷ ψευδεῖς εἶναι, ἀλλὰ τῇ ἐπιεικείσει ἤγουν inquit τῷ ἐνδόξῳ ἐπικεῖται οὐκ ἀπὸ τῶν πραγμάτων, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἀκουόντων, ἢ τῶν τοιῶν ὑπολήψεων, ἃς ἔχουσι περὶ πραγμάτων.

XII.

Quæ differentia & â Contrarijs intelligi poteſt: Ἔνδοξον enim & verum idem Contrarium non habent, ut nec ἄδοξον & falſum.

XIII.

Vno verbo ἔνδοξα non ſunt idem quod Ἀληθῆ, quia in veris eſt conſenſus inter Orationem & rem. In Endoxis verò inter orationem & Hominum opinionem.

XIV.

Neq; tamen, quod innuimus jam ſuprà falſa dici debent ἔνδοξα; ſolâ enim Hominum opinione metimur: Licet non negemus, rerum conſideratione de quibus ἔνδοξοι opiniones habentur, ipſas quoq; veras falſasve dici poſſe.

XV.

Adeoq; coincidere ἔνδοξα καὶ Ἀληθῆ ſivè ψευδῆ quomodo in Politicis, licet diverſus ſit à bono cive vir bonus, coincidere tamen utrumq; in uno Homine aliquando videmus.

XVI.

Immo quod Quintilianus de Narrationibus dixit: Plurima in ijs vera eſſe, ſed parum credibilia, multa falſa frequenter veriſimilia: Id nos de Endoxis quoq; rectè dicimus.

XVIII.

Perſuadet Ariſtoteles in 8. Dialecticorum ubi ait: Si Λόγος eſt ἐκ ψευδῶν ἐνδόξων δὲ λογικὸς eſt, εἰ δὲ ἐξ ὄντων μὲν ἀδόξων δὲ φαῦλος.

Ecce

Digitized by Google

Ecce tibi Φευδῆ & ἐνδοξα *tamen : rursum* ὄντα *sive* ἀληθῆ *(ita enim* τοῦ ὄντ@ *voce sæpe Philosophi utuntur) & tamen* ἄδοξα.

XIX.

Firmat sententiam quoq; nostram notio Ε'νδόξων *supra allata, ubi nulla mentio veritatis, falsitatis, solùm diversitatis opinantium.*

XX.

Ε'νδοξα *enim* Δοκοῦντα *appellat & duplici quidem Hominum generi, sapientibus & vulgo.*

XXI.

Quæ duo Hominum genera ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ *â se invicem dissentiunt : Vnde Synesius Oratione de Caluitio extremâ : Orationem eam gratam fore ait Philosophis, Sacerdotibus & Rerumpublicarum gubernatoribus, populo non omnino. Vtrig; tamen* Ε'νδοξα *fovere dicuntur.*

XXII.

Apparet ergo falli eos, qui Endoxa vel vera vel falsa censent.

XXIII.

Vnde non magnopere laborandum in evertenda divisione illa, qua Endoxa alia Necessaria, alia non Necessaria dicuntur.

XXIV.

Definitio Ε'νδόξων *restitit, quæ ea* δοκοῦντα *dicit. At quæ videntur necessaria non sunt, quæ vero ut necessaria cognoscuntur, illa videri non possunt dici.*

XXV.

Verum dicant hic aliqui : Aristoteles tamen ipse Endoxa alia ἀληθῶς Ε'νδοξα *facit, alia* Φαινόμενα, *Quid vero* Ε'νδοξα ἀληθῶς *aliud sunt quam vera? Φαινόμενα, quam falsa?*

XXVI.

Attende verò, secus se res habet : Alexander Α'ληθῶς Ε'νδοξα ἑ ῥᾴδιον *inquit* ἔσιν, ἐλεγχθῆναι· ἑ γὰ ῥᾴδιον ἐπ' ἐκείνων φωρασθῆναι τὸ ψευδ@, ἐπ' ὀλίγων γὰρ ἄν τις εὑροι μὴ ἔχειν οὕτως.

XXVII.

Et ut apertè doceat, veritatem materiæ hic non spectari, addit Exemplum, quod certis de causis hic non ponimus, ubi docet Ε'δοξον ἀληθῶς *esse & tamen falsum, sed quia illud falsum non cuivis appareat, verè Endoxum dici.*

XXVIII.

Idem Φαινόμενα ἔνδοξα *vocat,* ἃ ἐπιπόλαιον ἔχει παντελῶς τὴν Φαντασίαν. Ε'πιπόλαιον *autem* τὸ ἐκ βραχείας ὑπιδάσεως ἐλεγχόμενον *vocat.*

XXIX.

Hic ita positû quæramus etiam quomodo Endoxa Latinè reddi debeant: Aliqui una voce verterunt Verisimile. Alij Probabile: Vtrique non rectè, quod bonâ illorum pace liceat. Neq; enim veritas hic spectatur, ut nec Probabilitas, certo modo considerata.

XXX.

Alij pluribus & eorum quidem aliqui dixere: Quæ putantur vera: Itidem male. Opinio spectatur quidem, sed non vera aut falsa, verum nuda opinio, secundum notionis tamen allatas personas.

XXXI.

Alij denique Consentientia Hominum Opinionibus τὰ ἔνδοξα interpretati sunt, quibus cum & nos sentimus.

XXXII.

Ἐνδόξων verò Aristoteles plura quoq; facit velut adjectitia genera: putaijs similia. v. g. Ἔνδοξον est Contrariorum esse eandem scientiam. Ergo idem quoq; eorum erit sensus. Fit hoc Endoxum propter similitudinem quam habet cum illo priore Endoxo.

XXXIII.

Ἄδοξα quoque fiunt Ἔνδοξα, si cum negatione efferantur.

XXXIV.

Artium denique opiniones & artificum: σοφοὶ γὰρ οἱ τεχνῖται περὶ τὰ ἰκεῖα.

XXXV.

Adjungit huic generi Alexander etiam ἀκεραιολογίαν & judicium sensuum.

XXXVI.

Quid quod multa Endoxa per Leges quoq; fiunt, quæ variæ sunt varijs in locis. Cui non absimile quod Synesius judicat Oratione de regno: Reges nempe beatos summè esse, quod possint suâ vitâ meliores Opiniones Hominum animis inserere, v. g. Virtutem honorandam etiam in paupere, vulgus discit, cum Rex pauperes virtute præditos ad honores evehit.

XXXVII.

Hæc Ἔνδοξα Dialectica varijs nominibus appellantur: Dicuntur aliquando τὰ λεγόμενα, aliquando Φαινόμενα: item δοκοῦντα συνήθη, εἰωθότα, interdum λογικοὶ λόγοι, λόγοι κενοὶ, ἀκαιρότεροι, ἐξωτερικοὶ, παιγνιωδεις, λιαν καθόλε: item λόγοι κατὰ νόμον, quibus opponit τοὺς κατὰ φύσιν καὶ ἀληθεῖαν, etiam aliter.

XXXVIII.

Deduco ex hac tractatione hoc veluti Corollarium: Non esse absurdum, Dialecticum falsa adferre, dummodo sint ἔνδοξα, aut etiam non nimium ἄδοξα.

An for-

Digitized by Google

XXXIX.

An fortaſſe etiam ideò reprehendit diſputantem Ariſtoteles, ſi falſum nihil admittere velit.

XL.

Quin (quando huc venimus) universè falſa docere licet, dummodo ad bonum ſpectent finem.

XLI.

In Politicis ſanè licet, & ſcilicet Plato legem ſanxit, qua jurii hoc fecit legumlatoribus, per falſa perſuadere quæ conducant.

XLII.

Cum quo ſentire Clementem Alexandrinum video, qui falſa idem admittit ἐν θεραπείας μέρει.

XLIII.

Et Lacedæmonij quidem, mentiendo ſe Lunæ Originem debere, poſtquam heroicè natos Lacedæmonios perſuaſiſſent, facilius obtinuerunt, ut heroicè vellent quoq; vivere.

XLIV.

Pythagoras etiam, ut â luxu Gulæ proceres ſuos avocaret, impium ſtatuit, Animalibus veſci, quæ nobiſcum arctiſſimo vitæ animæq; vinculo conſociata eſſent, falſa hypotheſi ad bonum finem.

Παέρεργα.

I.

PLacet nobis Alexandri dictum : τὸ οὖ ἕνεκεν ἀρχὴ ἐξὶν ἄσπερ ἐν τοῖς γινομένοις, ὕτως καὶ ἐν τοῖς λεγομένοις.

II.

Theoretica Philoſophia Practicâ eſt præſtantior : Immò ſi ſtrictè Philoſophiam ex Ariſtotele conſideremus, Practica, Philoſophia vix appellari poterit.

III.

Ars & Natura ſe invicem perficiunt.

IV.

Natura etiamſi fruſtra nihil agit, non tamen cum ratione agere videtur.

(o)

DISPUTATIO III.

MICHAELIS PICCARTI

QUÆSTIO LOGICA,

AN CAVSSÆ RERVM NOTÆ SINT DIALECTICO?

Respondit

Andreas Brem, Noriberg.

Mens. Sept. cIↃ IↃ cIII.

THESIS I.

PHILOSOPHIAM *nihil aliud esse, quàm causarum investigationem, & philosophari nihil aliud, quàm causas indagare, sive res ad causas suas revocare, perpetuum Aristotelis omniumque saniorum Philosophorum est dogma.*

II.

Habemus hoc ex primo Metaph. c. 2. ubi Philosophus inquit : Διὰ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν.

III

Neque diversus abit Plato, cujus haec in Theateto : μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν, οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας, ἢ αὕτη. *Adeòque Philosophia verè illa Iris Platonica est, Thaumantis filia.*

IV.

Quid autem est admiratio ? Causarum ignoratio. Quorum enim causas novimus, ea non miramur ? Quæ verò, ex quibus causis proveniant, ignorantur, ea θαυμάσια sunt, arguit hoc quod φιλόσοφος καὶ φιλόμυθός πως ἐστὶν

V.

Tum clarius quod in Eudemijs lib. 1. c. 6. ait : λόγον φιλόσοφον *afferre* τὸ Διὰ τί.

Item,

Digitized by Google

VI.

Item, quod in 8. Top. Φιλοσόφημα *dicitur* δοτικὸν δόξης. Δοτικὸν δόξης *autem* συλλογιζμὸς *est* αἰτιολογικός. *Philosophia ergo causas inquirit & asserit.*

VII.

Monet ipsum hoc ex Protreptico Aristotelis Alexander. Disputarat ibi Aristoteles adversus eos, qui negarant esse philosophandum hoc argumento: Aut est philosophandum, aut non est. si est: habeo quod volo; si non, eo ipso, quod dicitis non esse philosophandum, philosophamini, hoc est, rationem doceris, cur philosophandum non sit. Philosophari ergo est causam docere.

VIII.

Hoc posito, quis apud Aristotelem Philosopho è regione ponatur, videamus: Alexander in 1. Topic. clarè ostendit: inquit apud Stoicos solus Philosophus erat Dialecticus, apud Aristotelem aliter: Dialecticus nempe & Philosophus inter se adversantur.

IX.

Sumsit procul dubio ex nobili illo loco in 1. Top. ubi inquit Aristoteles; περὶ μὲν ἓν φιλοσοφίαν καὶ ἀληθῆ περὶ προβλημάτων πραγματεύτεον; διαλεκτικῶς ἢ πρὸς δόξαν. *Atque de hoc nemo ferè ambigit, aut certè debet ambigere.*

X.

Neque tamen, cum inter se opponi dico, contrarios censeo, sed Philosophum tanquam Perfectum, Dialectico ut Imperfecto è regione colloco.

XI.

Hinc fluit Dialecticum, quâ Dialecticus causas ignorare distinctè, id est, quot earum sint genera in rebus. Causas enim contemplari Philosophi proprium est, & Dialecticam facultatem, quæ γυμναστικὴ solum est, qui velit de causis agere, is, ut cum Alexandro loquar, ἐκβαίνει τὸν ὅρον τῆς Ἀλεξικῆς.

XII.

Agnovit hoc Philoponus, cum rectè docet δόξαν *nescire causam. Verba ejus in Proœmio 1. de anima sunt:* ἡ μὲν ἓν δόξα καταλήπτη περὶ τὸ καθόλου τὸ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς τοῦτο γὰρ γινώσκει, Διότι ἢ οὐκ οἶδεν ἡ δόξα ὅλη Ἀριστοτέλους ἔργον ἐστὶ τοῦτο, δόξης ἢ τὸ εἰδέναι μόνον εἰδέναι.

XIII.

Agnovit cum docet Ἀλεξικὴν τὰ κῦ συμβεβηκότος λαμβάνειν· τὰς ἢ ἐπιστήμας τὰ καθ' αὐτὸ τοῖς πράγμασιν ὑπάρχοντα: *mox autem subjungit:* ἡ γὰρ αἰτία πραγματῶ καθ' ἀυτὸ ὀφείλει καὶ πρώτως ὑπάρχειν τῷ πράγματι.

Idem

XIV.

Idem agnovit Simplicius quoque, cum 3. de Anima dicit : Prudentiam esse noticiam Practicam cum causâ, scientiam noticiam Theoreticam cum causâ, at verò ancipitem in utroque genere esse opinionem, utrobique causæ expertem.

XV.

Et hoc, opinor, hausere ex Ammonio Doctore uterque suo : Hunc enim video in Categorijs ὀθοδοξαστικῶς εἰδέναι & ἐπιστημονικῶς εἰδέναι *sic inter se opponere, ut hoc per causam scire dicat, illud sine causâ, atque hoc Dialectico, illud Philosopho tribuat. Cujus etiam illustria in hanc rem verba sunt in* τῆς ἑρμηνείας : ἐν τῇτε λογικῇ πραγματείᾳ ἐ τὰς τῶν πραγμάτων ἐπιστημόμεθα φύσις, ἀλλὰ τῶν φωνῶν αὐτὰς καθ' αὐτὰς τὴν δύναμιν.

XVI.

Præterea si causarum noticiam Dialectico tribuamus, dic sodes quid causæ fuerit, cur quæstionem causæ Dialectico adimat Alexander, qui eam ait esse ἐ τῶν διαλεγομένων, ἀλλὰ τῶν μαθεῖν βουλομένων. *Atque in IV. ait :* ἐπιστημονικωτέρα δὲ ἡ ζήτησις τῆς αἰτίας.

XVII.

Quorum enim noticiam habemus, ea judicio expendere possumus, adeòque disputare. Fructus enim hic cognitionis est. Vide judicium hoc non male à Viris Magnis cognitio cognitionis dicitur.

XVIII.

Addo hoc quoque, Causarum genera, ut nunc quidem ea habemus, ne Philosophis quidem veteribus fuêre nota omnia, habuere enim ut plurimum solum Efficiens & materiam. Formam & Finem in Naturalibus vix ac fortè ne vix quidem agnovere.

XIX.

Introduxit primus Aristoteles in Acroamaticis, id est, Physicis & Metaphysicis libris, quæ tam accurata, quomodo Dialectico rectè tribuas, tute videris.

XX.

Et quid hæremus? Aristotelem audiamus ipsum. Is extremo 7. Top. locorum doctrinam hoc modo concludit : οἱ μὲν οὖν τόποι, δι' ὧν ἐυπορήσομεν πρὸς ἕκαστα τῶν προβλημάτων ἐπιχειρεῖν, σχεδὸν ἱκανῶς ἐξῃρίθμηνται.

XXI.

Omnibus verò libris illis causarum mentionem fecit nunquam, neque effata ex Causarum loco tradidit.

Verum

XXII.

Verum audio quid dicas: Locum tamen ex efficientibus & corrumpentibus habet: At generaliter nimis illic ſumuntur ποικίλως, ſicut & τὸ ποιεῖν, universè enim cauſſis quoquo modo tribuitur.

XXIII.

Quod notandum adverſus eos, qui Ariſtotelem inconſtantiæ arguunt, quoniam DEVM finem modò rerum dicat, modò efficientem ſtatuat, puta cum ait. DEVM & NATVRAM nihil fruſtra facere: Homonymima enim vocabuli ποιεῖν eos in errorem abripuit.

XXIV.

Sic & vocabulum EX generaliter uſurpatur, & Efficientem quandoque, quandoque materiam, denique nonnunquam finem etiam notat.

XXV.

Ποικίλως ergo ibi notant non tantum cauſas veras & primarias, verum eas quoque, quæ quoquo modo (ſive per ſe, ſive per accidens) ad aliquid conſtituendum faciunt. Promiſcuè enim Dialecticus capit & indiſtinctè.

XXVI.

Deinde videamus, quo locus ille adhibeatur: valere dicit eum Ariſtoteles ad bonitatem rei probandam aut refutandam, non autem ad ὕπαρξιν rei oſtendendam, quæ eſt Analytica cauſſarum πραγματεία.

XXVII.

Etſi in genere cauſſam ei non adimo, quâ ſcilicet etiam vulgo res à cauſſis manare ſcimus, & ita accipio ea: cum dicit 3. Top. καὶ τὸ αἴτιον ἀγαθὸν καθ' αὑτὸ τῷ ἓν συμβεβηκὸς αἰτίῳ βέλτιον καὶ αἱρετώτερον.

XXVIII.

Imò finem quoque ea ratione novit, quâ vulgo perſuaſum eſt quoque, omnia boni alicujus cauſſa ſuſcipi, inque finem bonum, quem effecti non cauſſæ loco habet, quo reduco locos de Finibus melioribus & deterioribus.

XXIX.

Sed in Sophiſticis dicas Fallacia ponitur: cum falſa cauſſa pro verâ ponitur, & Ariſtoteles appellat τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον τιθέναι.

XXX.

At qui ſcit inter veram falſámque cauſſam diſcernere, illi ſanè cauſſæ diſtinctè notæ ſint oportet.

XXXI.

Iam Sophiſtici Elenchi continuatũ ſunt cum Opere Topico Opus, quippe qui Dialecticis δύναμιν abſolvunt, quâ à Sophiſtâ non differt, ſed ſolũ τῷ διὰ προαιρέσεως.

XXXII.

Non igitur video, quomodo cauſſarum diſtinctam noticiam non habeat, dicas, qui de veritate & falſitate cauſſarum judicium facere poteſt.

XXXIII.

Illud verò ſophiſma de falsâ τῦ πράγματος cauſſa intelligi nequaquam debebat. Vt enim nihil dicam, quod plerique interpretes hoc ipſo Dialecticum ſyllogiſmum ab Apodictico diſtinguunt, quod hic non ſolum τῦ συμπεράσματος, ſicut Dialecticus, ſed etiam τῦ πράγματος cauſſa ſit:

XXXIV.

Huc Ariſtoteles tamen ipſe vocat nos, cum ait, locum habere ſophiſma hoc ἐν τοῖς εἰς τὸ ἀδύνατον συλλογισμοῖς, quibus Dialecticum uti non vult, quia negato abſurdo progredi non poſſit.

XXXV.

Alexander de eo ita ait: ὁ ἢ ἐντεῦθεν μὲν τὸ αἴτιον ὡς μὴ αἴτιον καλεῖ, τοῦτο ἐν τῶν παρέργων ἀναλυτικῶν μὴ μὲν τοῦτο ὠνόμασεν.

XXXVI.

Fit ergo hoc ſophiſma, cum ſophiſta abſurdum aliquod aut falſum ſequi dicit ex ſententiâ meâ, quod ex meâ tamen non ſequitur, ſed ex aliquâ propoſitione ejus interpoſitâ. Vnde hanc ipſam ſophiſticam Ariſtoteles lib. 2. Elench. μὲν τὸ παρεισπεπτόν li appellat.

XXXVII.

Ad hujusmodi ſophiſmata rectè reſpondemus: μὴ μὲν τοῦτο: hoc eſt, concluſionem adverſarij non fluere ex noſtrâ præmiſſâ, ſed alterâ ab ipſo additâ.

XXXVIII.

Ergo, inquias, non de omni problemate Dialecticus diſputabit, ſi non & de Cauſſæ problemate? Illud μὲν καθόλου non ita universè accipiendum monet Ariſtoteles ipſe, cum diſtinguit inter problemata Dialectica & Analytica.

XXXIX.

Reſtringit Alexander, & cauſſam inſuper adfert, cur voce παντὸς Ariſtoteles ſit uſus: ait enim: τὸ μὲν καθόλου παντὸς χωρίζει πᾶς τῆς ῥητορικῆς τὴν διαλεκτικήν: ὁ γὰρ ὁμοίως μὲν παντὸς προβλήματος ἡ ῥητορικὴ συλλογιστική: ὕλη γὰρ μᾶλλον τῷ ῥήτορι τὰ ἠθικὰ τε καὶ πολιτικὰ προβλήματα, qui locus, ut & item alius παρέργως pro Riccobono adverſus Muretum notandus.

XL.

Et incidat ſanè cauſſa quædam, de quâ Dialecticus loquatur, non tamen tractat ut cauſſæ quæſtionem, ſed ſimpliciter ut τὸ ἐναρχὲν, atque hoc rariſſimè, verbi gratia: An Ideæ ſint rerum generatrices, quærit an generare Ideis inſit.

Capio

XLI.

Capio ex illo Alexandri 1. Top. τὰ χωρὶς τῶν γενέτων προσθηκῶν (puta ineſſe ut Genus, Proprium, Definitio) προτεινόμενα ὡς συμβεβηκότα προτείνονται.

XLII.

At quæſtionem, inquias, Generi tractat, & Differentiæ, quæ ſunt cauſſæ conſtituentes rei, ſic quidem ut alterum materiæ locum obtineat, alterum formæ: intelligut ergo vel ideo cauſſas.

XLIII.

Non hic de falſitate vulgati erroris dicam, quo creditur, genus ſemper materiæ locum obtinere, differentiam formæ, ſed hoc velim ſciri, Genus & Differentiam Dialecticum λογικῶς conſiderare, ut tota, non φυσικῶς ut partes, adeòque conſtituentia ſpeciem.

XLIV.

De Genere nihil ambigitur. Extra enim controverſiam poſitum eſt. De Differentiâ quis ambigat: Verum expendat, quod inquit Ariſtoteles in Top. Differentiam ſine Genere non poſſe concipi.

XLV.

Quid ergo aliud vult eſſe Differentiam, quàm totum cumulum eorum, è quibus ſpecies eſt conſtituta, quo & Alexandri illud refero Denominativè Differentias degenerare in genus aut ſpeciem ſubalternam.

XLVI.

Atque hoc hic ſufficit. Nam Differentiam alias eſſe formaliter totum altiorũ eſt ſcientia, & traditur in Metaph. lib. 7. cap. 13.

XLVII.

Cæterum ut planius in juniorum præſertim gratiam mentem noſtram aperiamus, duo ſunt, in quibus potiſſimum Dialecticus occupatur, in Problematibus & Medio termino.

XLVIII.

Quærat ergo quis, an in his mentionem cauſſæ nunquam faciat Dialecticus? Reſpondeo 1. de Problemate quæſtio dupliciter inſtituitur, vel enim ſic concipitur: Quæ eſt cauſſa terræmotus? & ita neutiquam pertinet ad Dialecticum.

XLIX.

Vel ſic concipitur: eſtne ſpiritus flatulentus è terrâ erumpens cauſſa terræmotus, & ita à Dialectico ventilari ſolet aliquando, ſed ex effatis ſolum Accidentis, de quo ſupra.

L.

Ad quæſtionem de Medico dico: Dialecticus, Alexandro teſte, eſt φιλάνθρωπος καὶ κοινωνικὸς, itaque non refugit converſationes hominum, ſive, ut

Aristoteles ait, τὰς ἐντεύξεις. Versatur ergo aliquando cum vulgo, aliquando cum doctis.

L I.

Si cum vulgo, causſam pro medio termino adferre non potest, neque enim τὰς τῶν πραγμάτων φύσεις vulgus capit, qui hæret in sensilibus.

L II.

Si verò in Scholis cum doctis agat, disputat per ἔνδοξα non omnibus sed solum sapientibus, adfértque aliquando causſam ab Aristotele allatam vel à Platone, sic tamen ut δογματικῶς non eam intelligat, sed autoritate nitatur horum, tanquam τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ γνωρίμων. Atque de hac quæstione nunc quidem nobis ita videtur.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

NOn parum Accidentia conferunt ad noticiam τῆς οὐσίας rerum.

II.

Rectè Alexander in Top. τὸ εὖ ἀποδείκνυναι non esse plus quàm ἀποδεικνῦναι & εὐφρονεῖν τῷ φρονεῖν. Quod si recentiores Logici intellexissent, non definissent Dialecticam artem benè disserendi.

III.

Divitiæ appetendæ ut instrumenta non ut finis.

IV.

Interitus est Naturalis, Interitus non est Naturalis.

V.

Aqua non videtur esse alimentum, sed vehiculum potius alimenti.

VI.

Nondum Plutarchus disputatione sua in συμποσιακῶν in quæst. 5. persuadere nobis potuit, vinum frigidum esse.

VII.

Rectè Aristoteles in Polit. ἅμα τῇτε ἀρχούσῃ καὶ τῷ ζώματι ἀρχτέον οὐ δεῖ.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO IV.

MICHAELIS PICCARTI

QVÆSTIO DE CAVSSIS, DIALECTICE THESIBUS PERTRACTATA.

Respondit

Johannes Jacobus Heberus Palatinus.

Mens. Novembr. cIↃ IↃ cIII.

THESIS I.

NObilis est inter philosophos quæstio, rerum ne fientium causſæ sint, an etiam factarum? sivè, ut clarius loquar, an causſa sint, dum res fit solum, an etiam cum jam facta sunt?

II.

Eam nobis disputatione discutiendam sumimus, ac primum quidem Dialecticè, suo tempore Apodictice hanc ipsam quæstionem consideraturi: utq; commodius hoc faciamus, Aristotelis de causſis sententiam, cum Galeni, non minus maximi philosophi, quam Medici, conjungemus.

III.

Ac primò quidem Aristoteles, causſæ vocabulum, tanquam in vulgus notum, definitione opus habere, non censuit, ideò nec definivit, aut fortè non potuit generali aliquâ & plenâ definitione complecti: est enim vox, ut Averroës loquitur, ambigua.

IV.

Galenus, ut faceret, quod posſet, ità nobis descripsit; causſa est, quæ suapte naturâ, ei quod fit, partem aliquam generationis confert.

V.

Quæ descriptio si ferri potest, ut potest, decisa est per eum quæstio nostra; sed propius accedamus ad rem, & quomodo ab utroq; causſæ dividantur attendamus.

VI.

Aristoteles ergò complurib⁹ in locis, causſarum genera quatuor facit: Efficiens, Finem, Materiem, & Formam.

VII.

Galenus autem in de differentijs Symptomatum, quinq; genera habet: Materiam, utilitatem, ſcopum, Inſtrumentum, & principium undè motus.

VIII.

Alibi enim quatuor tantum adſert; ubicunq; tamen locorum de cauſſis agit, Formam prætermittit.

IX.

Diſſentit ergo ab Ariſtotele Galenus, in eo. quod formam prætermiſerit, addiderit contrà Inſtrumentum, quod Ariſtoteles alicubi excludit, alicubi addit ad efficiens, ſed non primò. utrumq; opinor rectè.

X.

Vtilitas & ſcopus, quemq; aliàs propter quid vocat, Ariſtoteli Finis eſt.

XI.

An Galenus fortè formam non agnovit, nec in accidentibus, neq; in ſubſtantijs, accidentia ratus ipſas eſſe formas, non habere formam, quod ſpeciem veri habet, ideoq; cauſſata, non cauſſas, ſed in ſubſtantijs quomodo formam non agnovit?

XII.

Eodem arbitror modo; cauſſa diverſum quid eſſe debet â cauſſato. Forma autem educta ex materiâ, cui inerat potentia, cauſſatum potius eſt, non cauſſa.

XIII.

Neq; enim, ut vulgò quibusdam malè perſuaſum eſt, res unum fit ex materiâ & formâ, actu exiſtentibus, ſed ex altero actu, altero potentiâ.

XIV.

Vndè eſt, quod Ariſtoteles ſubſtantias non vocat compoſitas; compoſitæ enim ſunt ea, quæ anteà erant actu ſepoſita & ſejuncta, quod in ſubſtantijs non reperias.

XV.

Culter, exempli gratiâ, nihil eſt aliud, quam ferrum hoc modo præparatum, ut habeat aciem, ac ſecet; illa acies etſi lapide obtundi poſſit, aliovè ferro; non tamen ſeparatim aut ſeorſim, ab eo extitit unquam, aut exiſtere potuit.

XVI.

Pulchrè in hunc ſenſum Averroës: agens (intellige, naturale) non eſſe congre-

Digitized by Google

congregans, (ſcilicet materiam, & formam) ſed educens. Subſtantia ergo nihil eſt aliud, quam forma in materiâ.

XXVII.

Et fortè hinc Platonicorum illud dogma fluxit, negantium, materiam partem eſſe rei naturalis, ſed vehiculum ſolum, & receptaculum formæ, de quo monet Carpentarius ad Alcinoum, lib. de doctr. Plato. cap. 7.

XVIII.

Atq; his, cenſeo, motus Galenus, non videre potuit, formam eſſe cauſſam, ſed partem potius, adeoq; caſſatum.

XIX.

Et videtur ſanè Ariſtoteles quoq; hoc non ignoraſſe; vocat enim in Metaphijs. formam λόγον, & quidditatem rei.

XX.

Ibi autem exactiſſime cauſſas conſiderat, alibi minus ἀκριβῶς. Vndè & à Galeno non valdè diſcordare videtur, adeoq; nec ipſe negare, impropriè formam cauſſam dici.

XXI.

Quod ſi hoc ponatur ut hypotheſis, in tribus reliquis generibus cauſſarum, facilis eſt ad quæſtionem propoſitam reſponſio: nihil enim verear dicere; naturam cauſſarum in rebus ſolum fientibus conſpici.

XXII.

Hoc ut fiat evidens, per ſingulas videamus. Ac primùm de efficiente non eſt dubium. Definitur enim undè principium motus. Motus aut eſt res fluens. Ceſſante igitur motu, ceſſabit etiam actio cauſſæ efficientis.

XXIII.

Et in hoc conſentientem nobis habemus Ariſtotelem; clarè inquit, 7. Metaphijs. τὸ ὁ ἐκίνησε πρῶτον ἄλλον ἐπὶ τὸ γίνεσθαι ζητεῖται καὶ φθείρεσθαι.

XXIV.

Etiam Averroëm, cujus hoc eſt: Inventionem eſſe cum inventore.

XXV.

De fine, res intricata; primùm, quia contradicit ipſe philoſophus, dicto loco; τὸ δὲ τινὸς ἕνεκα, καὶ ἐπὶ τῷ εἶναι ζητεῖται.

XXVI.

Evincere tamen videtur, cauſſam eam non eſſe cauſſam, niſi fientium, hoc: Si enim agens agit propter finem, cauſſa non erit finis, niſi moveat agens, deſiderio ſui.

At non

XXVII.

At non movet ſui deſiderio, cum jam actu eſt; cauſſa igitur non erit.

XXVIII.

Remanet tamen ceſſante efficiente? atqui non ut cauſſa, ſed ut cauſſatum, eſtque forma jam & pars rei eſſentialis, quæ fuerat ante finis.

XXIX.

Vel ſubtilius, remanet non, ut cauſſa facti, ſed ejus, quod conſequenter fit.

XXX.

Exemplis illuſtremus. Finis architecti domus eſt, ea manet ceſſante operatione architecti; dico, ea non amplius eſt cauſſa, ſed effectum. Cauſſa tamen dicitur? rectè, ſed commodæ habitationis, quæ eſt ejus uſus.

XXXI.

Vſus autem rerum, eſt res in fluxu. V. G. culter eſt propter ſciſſionem; Sciſſio ejus uſus eſt, idq; in fieri.

XXXII.

Atq; hæc videtur philoſophi eſſe ſententia, in extremo 7. Metaphÿs. quando, finem etiam rerum, quæ ſunt, eſſe dicit. Refert nimirum finem, tanquam cauſſam, ad uſum rei ſivè operationem, hoc eſt finem οὗ, ad finem ᾧ.

XXXIII.

Sequitur materia, de quâ non minus difficilis quæſtio eſt; eam enim omnes re factâ manere contendent; ſed videamus, an hinc quoq; nos expedire valeamus.

XXXIV.

Conſideremus ergò primùm triplicem materiæ reſpectum, & quo nam cauſſa eſſe poſſit, videamus: refertur materia, primùm ad efficiens; deinde ad rem generatam cum fit; deniq; ad rem generatam cum eſt.

XXXV.

Si materiam conſideras cum reſpectu ad efficiens, cauſſa non eſt, ſed cauſſatum potius, atq; aliquid patiens.

XXXVI.

Si vero refers ad rem cum eſt, cauſſa item non eſt, ſed pars eſſentialis.

XXXVII.

Reſtat, ut materia ſit cauſſa, dum res fit, idq; verum; habet enim tum rationem cauſſæ, ut diſtinguatur â privatione.

XXXVIII.

Puto liquere tria cauſſarum genera, Efficiens, Finem, & Materiam fientium

rium esse causas, non factorum. De formâ etsi causæ sint, cur eam propriè caussam negavimus, operæ tamen pretium est, altius rem vestigare.

XXXIX.

Deducit nos in hanc considerationem, Aristoteles 2. de animâ. Ostendit ibi: animam esse formam, & hoc quidem argumento, quia det esse animatis. At quod animatorum esse est? nonne vivere? Dicit ergò: animam esse formam animatorum, hoc est caussam vitæ.

XL.

Adscribit hîc certè caussalitatem formæ, rebus jam existentibus: fateor, atqui vel sic est fientium caussa. Nam ut sistamus in proposito, vivere in animatis, cujus caussa est anima, est in fieri, & fluxu perenni, quemadmodum lumen nihil est aliud, quam luminosi corporis effluxio.

XLI.

Erit ergò forma quoq; fientium caussa, hoc est, actionum, quæ prodeunt à subjecto illo, cujus est forma.

XLII.

Et fortaßè hæc animadversa in rebus, minus tamen intellecta veteribus, introduxerunt efficiens per emanationem, quod est monstrum apud Aristotelem.

XLIII.

Videmur emersisse, ex his difficultatibus, sed videmur solum. ecce enim alium nobis injectum scrupulum; formam, diximus, re jam existente caussare actiones subjecti: at quo genere caussæ caussat? non certè ut forma, quia quando in subjectum inferri debet, & è materiâ aptâ educi, habet se ut finis. 2. Physic. cap. 9.

XLIV.

Aliqui efficientis rationem habere censent; fortè minùs rectè. Ego cum Bonamico censeam, actus secundos recipi in formâ, hoc est actu primo, tanquam in materiâ.

XLV.

Quemadmodum enim materia formam sui perficientem recipit, ità cum actus secundus nihil sit aliud, quam forma in actu, ut materia actus primi seu formæ erat receptrix; ità forma seu actus primus non temerè dici possit receptor actus secundi.

XLVI.

An fluxit hinc, quod præstantissimi Peripatetici, è quibus Franciscum Bonamicum, & Iacobum Mazonium laudare lubet, actus secundos actuum

primorum negant esse accidentia, sed potius, si non substantias, at substantiales dici volunt.

XLVII.

Sed dicat: si caussæ rerum fientium solùm sunt, quæ est caussa cur res factæ conserventur, item crescant?

XLVIII.

Caussæ eædem agunt, & perennis quædam actio est, earumq; rerum, quæ factæ sunt, caussæ esse desinunt, fiuntq; earum, quæ successivè veluti fiunt, V. G. frigus, quod fuit glaciei veluti caussa, illud ipsum glaciem conservat quoq;.

XLIX.

An potius hæc hujus loci disputationem excedere vocantur, & forteán ad Medicorum caussam continentem reijcienda? an apodictice & πραγματικῶς, totam quæstionem consideranti, aliud iure merito videatur?

L.

Ita sanè. Sed de eo aliàs. Nunc, ex dictis, credo, perspicuum sit, cur Aristoteles caussam simul cum caussato esse dixerit. 2. poster. cap. 17. τὸ αἴτιον ἅμα ὑπάρχει ἅμα, καὶ τὸ αἰτιατὸν.

LI.

Deinde cur Aristoteles, caussam semper effectu meliorem esse dixerit. 2. de cælo. cap. 34. caussas scilicet actu jam res consert cum ijs, quæ fiunt, nec dum existunt.

LII.

Item cur Aristoteles effectuum actu, caussas actu requirat; effectuum potentiâ, caussas potentiâ.

LIII.

Deniq; hinc Platonici illius in Lysidę veritas adparet: αἰτίας ἁπλαμῶς ἀδύνατον πῶς ἦν ἐτ' ἐκεῖνο εἶναι οὗ ἦν αὐτὸ ἡ αἰτία. Et frustrà se torquent, qui alia quærunt effugia.

PARERGA.

I.

IN disputatione de universalibus, an reverà in rebus sint, an solâ mentis operâ constent, censemus commodè ad-

dè adhiberi poſſe, imò debere, (ut in multis alijs) diſtinctionem inter λογικῶς, & πραγματικῶς ſivè φυσικῶς.

II.

Qui DEUM ſtatuit cauſſàm rerum efficientem, Ideas ſtatuit.

III.

Ariſtoteles negavit, quia DEUM ſolum ut finem agnovit.

IV.

Multa conveniunt nudæ formæ, quæ eidem, materiæ immerſæ, non conveniunt: & contrà.

V.

Falſum arbitramur in definitione genus ſemper materiam, differentiam verò definiti formam adferre.

VI.

Plus & minus variant ſpeciem.

DISPUTATIO V.

MICHAELIS PICCARTI

DISPUTATIO

De

SEDE DEMONSTRATIONUM.

Respondit

Christophorus Schiferdecher Wurtzensis.

Mens. Dec. cIↃ IↃcIII.

THESIS I.

RECte Aristoteles in Demonstrationibus exactissimũ omnia debere ejusdem esse generis docet, Subjectum videlicet, Adtributum sive πάθος demonstrandum, & Medium terminum, scilicet ut omnia sint ὁμογενῆ. Ἐκ γδ, inquit, τῶ αὐτοῦ μήους ἀναγκη τὸ ἄκρον καὶ τὸ μέσον εἶναι. 1. post. cap. 7.

II.

In minus exactis, sive ut Philoponus vocat, in Demonstrationibus κ δευτερον μέτρον non obtinet lex ista, sed sæpe conclusio hujus scientiæ per principia alterius scientiæ demonstratur.

III

Ex eo orta non levis inter Philosophos disputatio, de judicio & sede Demonstrationis, an pertineat ad scientiam cujus est conclusio, an verò ad eam, cujus est principium.

IV.

Exemplo sit hoc: Quæritur an sit aliquod Ens supra naturam, sive an aliqua forma extra materiam? Hæc quæstio omnium consensu Metaphysica est: sed medium, quo problema hoc Aristoteles adstruit, Physicum est. Probat enim per motum æternum. Quò pertineat ergo Demonstratio hæc, gravi contentione quæritur à multis, ad Metaphysicum ne, an ad Physicum?

Arthan-

Digitized by Google

V.

Archangelus Mercenarius & Iacobus Zabarella ſecuti Averroën, Arabicæ Philoſophiæ principiem, judicium è medio fieri volunt, adeòque Demonſtrationem ad eam ſcientiam referunt, ad quam medium pertinet.

VI.

Nos, uti quidem nobis videtur, meliùs à Doctoribus noſtris inſtituti, in alteram ſententiam concedimus, & ex problemate judicium fieri debere ſtatuimus.

VII.

Primùm ideò: in ſyllogiſmo omni, adeòque etiam in Demonſtratione præmiſſæ inſtar materiæ, concluſio, formæ eſt. 2. Phyſ. verſ. 3. & 5. Metaphyſ. c. 2.

VIII.

Immò concluſio finis eſt, ut inquit Alexander in Topicis, propter quem ſyllogismus fit. Atque in concluſione conſiſtit eſſentia ſyllogismi, quemadmodum uſus & finis remedij eſt ejus eſſentia.

IX.

A' fine autem unumquoque dijudicatur: Inde & ejus erit Demonſtratio, cujus eſt problema.

X.

Deinde, ſi judicium à medio peti deberet, tollerentur uno veluti impetu omnes ſubalternatæ ſcientiæ, & eſſet earum nudum nomen. Omnes enim earum Demonſtrationes referrentur ad ſuperiorem, à quæ ſumtum eſſet medium.

XI.

Tolleretur ſcientia Metaphyſica, in qua plurimæ demonſtrationes alienis nituntur medijs, verbi gratiá: Eſſe aliquos puros actus, tot eſſe numero, non potuit Metaphyſicè oſtendi, recurritur ergo ad Aſtrologiam, ad lib. de Anima. Sic; In primo motore adſtruendo, juvat Phyſicus.

XII.

Præterea in Metaphyſicis docemur, omnem ſcientiam eſſe quandam δύναμιν & quendam habitum, diversâ tamen ratione: δύναμιν ratione objecti, habitum ratione ἐνεργείας.

XIII.

Omnis autem δύναμις diſcernitur per ſua objecta: Objectum enim δύναμιν excitat, verbi gratiâ, ſenſus ſunt δυνάμεις: hic excitatur à ſono, hic à colore, hîc à ſapore, & ſic in alijs.

XIV.

Ita ſcientiæ etiam quædam ſunt δυνάμεις, quæ excitantur à ſuis ſubjectis

ctis (quæ enim in ſenſibus dicuntur objecta, in ſcientijs dicuntur ſubjecta) & per ea ab invicem ſecerni debent.

XV.

Subjecta autem in concluſione cernuntur, non in medio: quare ex concluſione judicium Demonſtrationis faciendum.

XVI.

Et quid dubitamus? Ita ſentire nos jubet ipſe Ariſtoteles. In 3. de cœlo reprehendit graviter veteres, quod confuderint ſcientias, & Phyſica Metaphyſicè tractarint, aut Mathematicè. Reprehendit autem non ratione mediorum, ſed quod multa problemata Mathematica & Metaphyſica in Phyſicam ſcientiam intulerint.

XVII.

Exemplo denique nos monuit: ſæpè in ſcientijs, alienis Ariſtoteles utitur medijs, neque tamen demonſtrationes eò reducit, unde medium ſumſit, ſed habet pro ejus ſcientiæ demonſtratione, in quam medium translatum eſt.

XVIII.

Sic in proœmio Phyſico, à notioribus inchoandum, demonſtrat per medium Logicum, quia omnis cognitio fiat ex antegreſſa cognitione, & tamen demonſtratio eſt Phyſica.

XIX.

Et, Phyſicum debere agere de cauſſis, docet per medium Logicum, quiæ ſcire ſit rem per cauſſas cognoſcere; ſic alibi multoties.

XX.

Habent, qui contra ſentiunt, ſuas etiam quasdam rationes, quarum hîc ſolùm unam diſcutiemus, quia multos movit. Adducit Archangelus locum ex Rhetoricis: Monet ibi Philoſophus Rhetorem, ut communibus utatur, non propriis: ſi enim, inquit, propriis uti velit, hoc eſt, Phyſicis, Ethicis, deſeret munus & officium Rhetoris, & induet habitum Phyſici, aut Ethici. Vbi ſanè Philoſophus videtur innuere, dijudicari debere demonſtrationem ex medio.

XXI.

Verùm animadvertendum hîc, longè ſecus ſe rem habere, ſi quæratur de Dialectica & Rhetorica, & ſi de reliquis ſcientijs: Scientiæ enim diſtinguuntur ab invicem per propria ſubjecta. Dialectica verò & Rhetorica, cùm ſubjectis ita propriè non diſtinguantur, præſertim hodiè, neceſſariò medijs diſtinguuntur, quæ ſola diſtinctio ipſis relinquitur.

XXII.

Rectè ergo Ariſtoteles Rhetorica argumenta ſejungit medijs, cùm Rhe-

torice,

torice, ſicut & Dialectice, ab alijs ſcientijs, ſubjectiu non diſtinguuntur. Alia, quæ adferuntur rationes, à nobis hîc prætermittuntur, ut ſit Adoleſcentiæ noſtræ, quod ad diſputandum proponant.

XXIII.

Cæterùm quando judicium Demonſtrationis ex problemate ſumi cenſemus, nova nobis ſeſe offert diſcutienda quæſtio. Fit ſapè, ut quæſtio ſive problema non ſit unius ſcientiæ, ſed ſubjectum, verbi gratiâ, ſit Ethicum, prædicatum Phyſicum, ut : Eſt ne voluptas motus, ad quam ſcientiam hæc referetur problema?

XXIV.

Gravis quæſtio & obſcura, cui videamus, an faculam aliquam adhibere poſſimus. Scientia quæq; propriè & per ſe, verſatur tantum in confirmatione rerum ſuarum, id eſt, proponit ſubjectum ſuum, ejúsque πάθη examinat per cauſſas, tandemq; deſcendit ad ſpecies, & hoc eſt ſcientiæ bonum (ut ita loquar) ἀπλῶς.

XXV.

Secundarium bonum eſt, quod ad ſcientiæ perfectionem pertinet, ut ſcientia errores refutet, hoc eſt, doceat tale vel tale adtributum non rectè ſuo ſubjecto ab alijs adtribui, verbi gratiâ : Non omnem voluptatem eſſe motum, ut diſputatur apud Ariſtotelem lib. 10. Eth.

XXVI.

Vtraque ratione pertinet judicium problematis ad ſubjectum. Ex eo enim fluunt alia omnia.

XXVII.

Videtur quidem interdum res à prædicato pendere, ut exemplo poteſt eſſe quæſtio apud Ariſtotelem : An ideæ ſint rerum generatrices? Subjectum enim, dicat quis, hoc eſt, Ideæ, Metaphyſicum eſt. Prædicatum autem Phyſici, generatio enim ad Phyſicam pertinet ſcientiam.

XXVIII.

Quæſtionem verò hanc in Phyſicis Philoſophus tractavit : ſpectavit ergo potius prædicatum quæſtionis, non ſubjectum.

XXIX.

Imponit hîc σχῆμα τῆς λέξεως. Ita enim formata quæſtio in errorem trahit, ſi verò exactius introſpicias hoc problema, ſubjectum planè eſt prætermiſſum, & mente demum concipiendum.

Quæris

XXX.

Qærit enim Aristoteles eo loco, an corpus aliquod naturâ generetur per Ideas, tanquam caussas?

XXXI.

In quo problemate tam subjectum, quàm prædicatum Physicum est, sed caussa aliena, non Physica, ab Aristotele refutatur.

XXXII.

Quin ex subjecto judicium fieri debere docuit ipse manifestè. Quæstiones enim, an Anima sit ἐντελέχεια? an Motus sit ἐντελέχεια? in Physicis tractavit.

XXXIII.

At ἐντελέχεια terminus est Metaphysicus. Dividitur enim in Metaphysicis omne Ens in δύναμιν & ἐντελέχειαν.

XXXIV.

Verùm dicat iterum aliquis: In problemate subjectum se instar materiæ habet, prædicatum instar formæ. Quia autem forma nobilior materiâ, & à potiore fieri debet denominatio, judicium ex prædicato fieri debere, non immeritò quis censeat.

XXXV.

Non negatur, aliquâ ratione formam materiâ nobiliorem: sed est rursum ratio, quâ materia præstantior est formâ. Materia videlicet propiùs accedit ad naturam substantiæ quàm forma. Cujus substantiæ natura est, suis viribus constare & sustinere accidentia.

XXXVI.

Quæ vicinitas fecit ut veteres materiam pro substantia agnoscerent, formam solùm pro accidente, quod materiæ tanquam substantiæ inesset.

XXXVII.

Atque de hoc quidem (ex subjecto faciendum judicium) non ambigimus in scientijs. In Artibus & Practicis disciplinis fortè aliud obtinet: Ibi enim ex finibus petenda dijudicatio. Vt enim scientiæ subjectis: ita Artes finibus distinguuntur.

XXXVIII.

Ceterùm antequam ab hac altera digrediar quæstione, hoc addendum: quasdam esse enunciationes, quæ non habet se præter naturam, etiamsi invertantur, ideóque ex subjecto judicium fieri non potest, sed utrobique rectè traduntur.

Quales

Digitized by Google

XXXIX.

Quales ſunt Relativæ Enunciationes, in quibus membra ab invicem pendent, verbi gratiâ: An Magiſtratus Politicus jus habeat in Clerum. Inverto: An Clerus ſubditus eſſe debeat Magiſtratui. Nihil decedit, quare ex ſubjecto judicium in his fieri non poteſt. Modo enim hoc, modo illud ſubjectum fieri poteſt, vi eadem quæſtionis permanente.

XL.

Accidit etiam hoc, ut ſubjectum & prædicatum problematis ejusdem ſint ſcientiæ, ſed diverſis in ea de utroque locis agatur, verbi gratiâ: Quæritur, an Miles procurator poſſit eſſe rerum alienarum.

XLI.

Verumque mebrum ad prudentiam juris pertinet, ſed debeo ne agere de ea in tituli de re Militari explicatione, an verò in tituli de procuratoribus.

XLII.

Ἐπίχω: An utrobique rectè de tali agitur problemate & ex eorum numero eſt, quod levi immutatione inverti poteſt: Videor ſanè id haurire ex ipſo Ariſtotele, qui in Topicis Dialecticum ſyllogiſmum ab alijs, in Sophiſticis, Sophiſticum diſtinguit.

XLIII.

Atque hac de ſede quidem problematum hactenus diſcere potuimus, ubi non ad præſtantiam demonſtrationis reſpicere nobis propoſitum fuit.

XLIV.

Eam enim è médio ſumi ut plurimum ſcimus, aliquando etiam ex prædicato, puta in Demonſtrationibus vocabulorum ab uno & ſimilium.

XLV.

Talia enim ſi demonſtrantur, Demonſtrationem ex eorum natura, vocamus demonſtrationem ab uno &c.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

BRRUTIS neque rationis usum, neque docilitatem tribui posse censemus.

II.

Nondum assentiri possumus Flaminio Nobilio, vulgatam affectionem demonstrandarum divisionem in internas & externas tollere conanti.

III.

Rectè Aristoteles negat idem à semetipso pati posse, etiamsi multa in contrarium adferri soleant.

IV.

Philoponus caussam glaciei facit intentionem frigoris in aqua. Cæterùm cum frigoris aquæ summus sit gradus, quærit vir magnus, quomodo intendatur? Intendi posse nulla ratione videtur, inquit, sed condensatâ materiâ majorem vim efficiendi adquirere, sicut ferrum ignitum propter condensatam materiam magis urit, quàm flamma, licet flammæ calor sit maximè intensus. Atqui hoc est petere id quod in principio: Quæritur enim, quare condensetur Aqua. Verius ergo est, exstingui calorem in aqua per circumstans frigus.

V.

Bello capti non videntur justè in servitutem abduci.

DISPUTATIO VI.

MICHAELIS PICCARTI

THESES COLLECTANEÆ

De

PÆDIA.

Respondit

Wilhelmus Trainer Noriberg.

Mens. April. cIↃ IↃ cIV.

THESIS I.

Sæpe Aristoteles veteribus objicit ἀπαιδευσίαν, hoc est, quod τῶν ἐπιστημῶν ignoraverint, unde παιδείας quantus sit usus, facilè intelligi potest.

II.

Ea etsi analytici operâ maximè beneficio paratur, tamen & generalia quædam ejusdem ab Aristotele sparsim præcepta traduntur, quæ in hanc disputationem colligemus.

III.

Sumemus autem illa primo loco, quibus informat Philosophus eum, qui Philosophiæ operam navare cupit, hoc est, quibus discipulum instruit, deinde quibus Doctorem.

IV.

Atque primum quidem hoc esto è primo Nicomachio: Philosophiæ operam daturus, prius repugnantem appetitum & ad libidinum incentiva abripientem omnibus viribus subjugare debet.

V.

Nullo enim pacto convenit inter veram sapientiam & vitia, à quorum veneno Philosophus omnis abesse quàm longissimè debet.

VI.

Non sit ergò talis mendax, quia veritas Philosophiæ fructus est. Non cor-

poriùs oblectamentis deditus, quia, ut Plato in Phædone docet, Philoſophia mortis commentatio eſt. Non pecuniæ cupidus : Ingenium enim illiberale & ſordidum humilia tractabit, ſublimia contemnet.

VII.

„ *Non ſit etiam ſuperbus, aut, ut Epictetus monuit, ſupercilium habeat.*
„ *Vt enim, ſi quid in utres velis infundere boni, ventum aut aërem emoveas o-*
„ *portet : ſic faſtum atque tumorem ex animo ſubmoveas neceſſe eſt, ſi doceri*
„ *Philoſophiam velis.*

VIII.

Alterum Præceptum eſt, ut Logicæ ſtudijs ſe mancipet, inque ijs ſic progrediatur, ut rudi primum quadam intelligentiâ animus præparetur, deinde poliatur, demum & excolatur diligentius.

IX.

Præparabit autem animum Dialecticorum librorum lectione, & illa εἰς ἑκάτερον diſputandi ratione, unde περιεργασία ad Philoſophiam opus Dialecticum vocat Alexander in 1. Top.

X.

Reliquis item liberalibus ſive humanioribus literis, quas Xenocrates anſas Philoſophiæ appellare conſuevit, & de quibus Seneca ait, nihil eis ineſſe ſuapte vi expetendum, eatenus tamen utiles eſſe, quatenus juvenes nondum graviorum & ſolidorum capaces præparentur ac inſtituantur ad ſtudium Sapientiæ.

XI.

Expoliet eundem deinceps Analyticâ doctrinâ, quâ ignoratâ palpitabit in ſcientijs, neque progredi poterit. Pulchrè Simplicius : Quemadmodum qui ad Circen accedunt, niſi herbam Moly ſecum ferant, incantationibus circumveniuntur : ita nihil agunt, qui ſine analyticæ doctrinæ cognitione ingerunt ſe Philoſophiæ.

XII.

Tertium præceptum ad Tyrones non videtur pertinere, ſed ad adultos jam, quique docere cupiunt alios quæ didicere : in tradendis videlicet diſciplinis à notioribus nobis exordiendum, ſive unde quis facilius diſcat.

XIII.

Præceptum hoc eſt Ariſtotelis in 1. Phyſic. 1. de Part. Animal. 1. de ortu & inter. 1. Nicomach. IV. Metaphyſ. & alibi pluries.

XIV.

Idem inculcat πρᾶξις ejusdem, quam obſervavit. In Prædicamentis, ſpretâ

Digitized by Google

ſpretâ rei naturâ, relata anteponit qualitati: in II. de Animâ viſum tactui: in I. de Hiſtoriâ Animal. cap. VI. de Homine primo loco agit, quia is omnium animalium ſit maximè notum. In V. immutatur ordo, cum agendum eſſet de generatione, quia ejus cognitio tunc erat difficilior.

XV.

Cognitio ergo noſtra regula debet eſſe ordinandæ doctrinæ, non rei natura, niſi prout quandoque coincidunt, ideòque peccant illi, qui naturæ inhærentes putant ſeſe optimè res digerere.

XVI.

Quartum præceptum eſt: in docendo ûniverſales proprietates cum univerſalibus ſubjectis, ſubalternæ cum ſubalternis, ſpecialiſſimæ cum ſpecialiſſimis perpendantur.

XVII.

Monet hoc Ariſtoteles in I. de partib. Animal. cap. 1. cum ait: Φανερὸν δ' ὅτι καὶ κατὰ μέρος μέρος μὲν λέγοντες, περὶ πολλῶν ἐροῦμεν πολλάκις τὰ αὐτά, id eſt, cum ſingulatim agimus, eadem ſæpè de multis referre neceſſe eſt.

XVIII.

Monet idem paulò infra cum ait: ὥστε ἐὰν καθ' ἕκαστον τῶν συμβεβηκότων λέγῃ τις, πολλάκις ἀναγκασθήσεται περὶ τῶν αὐτῶν λέγειν, *id eſt, Qui ſingulorum accidentia perſequi velit, ſæpenumero verba ijsdem de rebus facere cogetur.*

XIX.

Monet 2. de ortu & inter. t. 51. cum ait: ῥᾷον γὰρ τὰ καθ' ἕκαστα θεωρήσομεν, ὅταν περὶ τῶν καθόλου λάβωμεν πρώτου, *id eſt, facilius ſic ſingularia conſiderabimus, cum de univerſalibus conſtitutum prius erit.*

XX.

Denique in 3. Phyſ. t. 2. agendum eſſe ait de motu & motui conjunctis, propterea quod cunctis ſint communia & univerſalia omnibus: ubi ſubjungit: ὑστέρα γὰρ ἡ περὶ τῶν ἰδίων θεωρία τῆς περὶ τῶν κοινῶν ἐστὶ, *id eſt, poſterior eſt ſpeculatio de proprijs eâ, quæ eſt de communibus.*

XXI.

Huc refero καθόλου *Poſterioriſticum, quod jubet* πάθος *quodque referre ad ſuum* πρῶτον δεκτικὸν: *ſive ſubjectum proprium cui primò ineſt.*

XXII.

Quintum præceptum eſt, non omnium certitudinem expoſcendam eſſe æ-

qualiter, neque enim vitio dandum ſi Geometer demonſtret, Rhetor ſuadeat, cui lis ex contingentibus ratiocinetur.

XXIII.

Inculcat hoc Ariſtoteles non uno loco. 1. Nicomach. cap. 1. πταιδεμένε, *ait,* ἐσὶν ὅτι τοσοῦτον τ' ἀκριβὲς ὅτι ἐπιζητεῖν καθ' ἕκασον γένος, ἐφ' ὅσον ἡ τῆς πράγματος φύσις ὑπιδέχεται, *id eſt, eatenus eſt rectè inſtituti exactam in quoque genere explicationem requirere, quatenus rei natura ferre poteſt.*

XXIV.

Et paullò antè ſtrictius : ἀχ' ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις τὸ ἀκριβὲς ὑπιζητητέον, *id eſt, Exacta tractatio non in quibusvis poſtulanda.*

XXV.

In Metaphyſ. & minore cap. 3. τὸν δ' ἀκριβολογίαν, τὸν μαθηματικὸν οὐκ ἐν ἅπασιν ἀπαιτητέον, ἀλλ' ἐν τοῖς μὴ ἔχουσιν ὕλην, *id eſt, certitudinem Mathematicam non oportet in omnibus exigere, ſed ſolum in ijs quæ carent materiâ.*

XXVI.

Summa δεῖ πεπαιδεῦσθαι, πῶς ἕκαστα ὑποδεκτέον. *Hoc verò pertinere videtur ad particularem* παιδείαν *cujusque tractationis, quam rectè exſtraxit princeps Arabicæ Philoſophiæ Averroës.*

XXVII.

Cujus tria veluti ſunt officia : 1. enim in veſtibulo cujusque ſcientiæ proponi debet κεφάλαιον, *& redigi tota tractatio ad primum aliquod, quod te faciat* ἀμεταπειθῆ.

XXVIII.

Ea ſunt duo, Senſus & Ratio. Inter quæ ſenſus in Phyſicis videtur prædominari, auctore ipſomet Ariſtotele ultimo capite Analyticorum : ad hunc enim videntur ad extremum omnia reduci.

XXIX.

VIII. Phyſic. ἀπορία τῆς διανοίας *dicitur, ſi quis dimiſſo ſenſu rationem velit quærere. in 3. de cœlo t. 61.* τέλος τῆς φυσικῆς ὑπισήμης τὸ φαινόμενον ἀεὶ κυρίως καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν, *id eſt, finis naturalis ſcientiæ ſemper eſt id, quod propriè ſecundum ſenſum apparet.*

XXX.

In 3. de Generat. Animal. credendum magis ſenſui docet, quàm rationi, rationi autem tum, cum ſenſus reſpondeat.

Vnde

Digitized by Google

XXXI.

Vnde Averroës: Exemplum verorum dogmatum esse, si respondeant rebus sensatis.

XXXII.

Fallit tamen sæpè sensus: itaque accipienda puto loca illa de sensu conferruminato cum ratione, quod hauriò ex 3. de Animâ, ubi ait, res uno mensurari, ratione videlicet cum sensu congruente, quatenus ex his duobus fit unum.

XXXIII.

Atque ita in Physicis sese habet: in Mathematicis ratio potissimùm valet, fit enim ibi abstractio à sensibus.

XXXIV.

II. Officium est, proponere, quales materia admittat demonstrationes, quales definitiones, per quas caussas demonstrationes exstruantur, & similia, ut videmus fieri in Ethicis, in 2. Physico. in 1. de Partibus, & alibi pluries.

XXXV.

III. Rationem ordinis monstrare, unde velis progredi.

XXXVI.

Sextum præceptum est: in disciplinis propria illis esse diquirenda, neque abundandum superfluis, neque deficiendum necessarijs.

XXXVII.

In omni enim re, præsertim literariâ, oraculum putandum est, ut ne quid nimis & ne quid minus fiat.

XXXVIII.

Quod ut evitaret Aristoteles, & sæpe aliorum sententias, quas non probavit, retinuit, ne alieno loco alienam disputationem ingredi necesse haberet.

XXXIX.

Et operam dedit, ut quod sine dispendio vel jacturâ omitti non posset, suis quidq; locis insereretur, brevitati enim hactenus studendum, dum ne obscuritatem tractationi inferat.

XL.

Deinque non omnium caussam quærere debemus, aut omnium omnes, sed principia inductione, sensu, experientiâ, analogiâ, ἐνθέσει, id est, expositione terminorum, aut qualicumque persuasione, si obscuriora sint, recipere oportet.

XLI.

Deinde ideo non omnium rerum omnes caussæ investigandæ, quia non omnes

omnes res habent omnes cauſſas. Et habeant ſanè quædam omnes cauſſas, non tamen inquirendæ ſunt omnes, qua de re eleganter Flaminius, nos hîc ſiſtimus, atque hæc, quæ in theſes hæc conjecimus, Fabro primùm Scapulenſi, deinde Jacobo Mazonio nos debere profitemur.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

NOn rectè civilis Philoſophia ex triplici Hominis conſideratione hodiè dividitur.

II.

Rectè difinitur Anima ἐντελέχεια corporis Phyſici & Organici, vitam habentis potentiâ.

III.

Nobilis eſt controverſia inter Platonicos & peripateticos de modo viùendi : Platonici enim emiſſione ſolâ radiorum : Peripatetici receptione ſpeciei aſpectabilis in oculum fieri putant, quorum ſententia & nobis placet.

IV.

Fas eſt Duci in bello contra hoſtem ſuum uti ſtratagematibus.

V.

Peſſimo publico fit, quod hodiè Duces belli cum certis mandatis exeunt, &, ut Galenus ait, tanquam nautæ ex comentariis rem gerunt.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO VII.

MICHAELIS PICCARTI

De

PHILOSOPHIA.

Respondit

Johannes Andreas Keslerus Norib.

Mens. Maj. cIↃ IↃ cIV.

THESIS I.

Nihil vulgatius hodiè a[illegible]rius in Scholis, Philosophiæ aut philosophorum appellatione. Quid verò ipsa sit aut qui tales dici mereantur, de eo parum liquet, parum enim quæritur.

II.

Philosophia quippe hodiè audit fere sola Dialectica, & philosophi salutantur illi acuti, qui de quæstione propositâ sine hæsitatione εἰς ἑκάτερον norunt disputare. Utrumque pessimè.

III

Nos paucis quid philosophia verè sit, quæquè ejus causæ, aperire conabimur, alia item eôdem facientia.

IV.

Ac primum quidem tenendum hoc est, philosophiæ vocabulum ambiguum esse, significat enim aliquando investigationem veritatis, hoc est, itionem & progressum ad habitum philosophicum: interdum verò terminum itionis, hoc est, habitum adquisitum.

V.

Hoc posteriore modo de philosophia hic agemus, de priore aliâs. Eam definire commodè non possumus, quia vocabulum ab uno est, quorum natura est, ut definiri nequeant: quia inæqualiter de pluribus sibi subjectis dicuntur.

VI.

Philosophia enim κυρίως καὶ πρώτως de Theoretica ἢ δευτερον μέτρον de practica dicitur.

VII.

Definitiones tamen philoſophiæ variæ paſſim leguntur : Plato, meditationem mortis appellat, quod ejus amici accipiunt de abductione duplici ; à ſenſibus & à perturbationibus.

VIII.

Modò reditum ad DEVM vocavit, quia cognoſcendo verum & agendo bonum ſimiles reddamur DEO, qua de re multa pulchra Alexander habet, Comm. 1. Prior.

IX.

Aliàs ab efficiente deſcribunt : Eſſe videlicet beneficium DEI & naturæ, ſoli homini tributum.

X.

Alij ex materiâ & formâ ſimul : v. g. vocant philoſophiam mundum rationalem mente comprehenſum, originali mundo reſpondentem, in quo conſiſtat perfectio Summæ mentis humanæ. Item : rerum divinarum humanarumque ſcientiam. Summa : infinitæ ſunt Philoſophiæ paſſim apud auctores deſcriptiones.

XI.

Fortaſſe hæc deſcriptio quod ſuperiores τὸ μέρος habent, complectetur ſummatim : Philoſophia eſt habitus mentis, omnes mundi partes (DEVM & omne Ens) eâ ratione qua poſſunt cadere ſub ſcientiam conſiderans & hominum actiones componens, Dei ac naturæ vi & perſpicaci ingenio inventus, in cujus uſu ſummum hominis bonum poſitum eſt.

XII.

Ex hac deſcriptione facilè eſt excerpere utriuſque philoſophiæ definitionem. Theoreticam enim dicere licebit, habitum mentis omnes mundi partes intuentem ea ratione, qua poteſt cadere ſub ſcientiam, in quo conſiſtat bonum Theoreticum.

XIII.

Practicam verò habitum mentis, hominum actiones componentem, ut in omni vita honeſtum appareat, & homo ſummo bono practico perfruatur.

XIV.

Specialibus jam verò omiſſis ad generalem noſtram deſcriptionem redeamus, & ex eâ quatuor cauſarum genera, ſi fieri poteſt, eruamus.

XV.

Atque genus quidem in hac deſcriptione Formæ locum obtinet, ſicut in accidentibus fieri conſuevit, contra quam in ſubſtantijs, ubi genus materiam ut plurimum deſignat.

Eſt

XVI.

Est ergo forma philosophiæ habitus intuens & componens.

XVII.

Materia duplex est: Alia in qua, ut loquimur; alia circa quam. Materia in qua est Anima, & anima quidem, non quavis, sed quæ rationalis.

XVIII.

Materia circa quam, est Vniversus orbis, humanæ actiones: summa, omne ens & agibile.

XIX.

Efficiens causa alia remota est, ut DEVS & Natura: alia proxima vel princeps: item, organicæ causæ ad efficiens hic reduci possunt.

XX.

Ad Deum quod attinet, Plato ita docuit, eum esse philosophiæ efficientem: scientia nostra omnis, ait, est quædam recordatio, nam animæ emanarunt ab æterno ex mente divina, & tunc erant præditæ omni rerum cognitione, quia inerant rationes, quæ rationes proportione eædem erant cum Ideis in mente divinâ.

XXI.

Hæ animæ quam diu in se sive principio suo manent, omnia sciunt, quia includunt in se rationes sed postquam progressæ sunt, (sic enim loquuntur) hoc est, ut ego capio, postquam in corpora immigrarunt, jam sese applicant ad sensus, ijsq; tanquam fenestris utuntur, & obliviscuntur omnium.

XXII.

Post per objecta sensuum, rursus veluti excitantur, dormire enim Plato facit animum ad campum Lethes, qui excitatus per objecta sensuum recordetur, quorum ante erat oblitus.

XXIII.

Verum hæc sententia philosophica esse non videtur, sed fabulosa, Itaq; Aristotelis & aliorum Peripateticorum opinionem potius sequimur.

XXIV.

Apud hos natura Dei minister est. Homo verò ab hac, & consequenter à Deo habet, quod philosophatur. Vt enim omne animal habet propensionem ad aliquam rem: ita & homo ad consequendum verum & bonum naturâ propensus est. Dum enim in mundi hoc theatro constitutus, res objectas intuetur, earumq; causas non statim animadvertit, admirari primum res eas incipit, deinde causas quærere.

XXV.

Vnde & naturâ magis diligimus ſenſus illos qui cognitionem afferunt, puta viſum, & auditum, quam alios.

XXVI.

Viſus enim ſubjicit nobis plurimas differentias unde gaudemus peregrinatione ſedium mutatione alijs: multa etiam doctrina auditu accedit nobis, Vnde illud virorum magnorum quod probant in puerâ ſi ſint φιλήκοοι & φιλόμυθοι.

XXVII.

Proxima efficiens ſive principialis eſt εὐφυία, quam Ariſtoteles in Metaphyſicis vocat facilem inventionem cauſæ, in I. Poſt. Ἀγχίνοιαν appellat, fortè rectius hominem appellemus ſive capax ingenium.

XXVIII.

Altera eſt φιλοσοφία & ἐρωτικὴ μανία qui enim philoſophari vult, aut Philoſophi honore gaudere, eum oportet quodam modo inſanire amore perno-ſcendæ veritatis & honeſti.

XXIX.

Illam cauſam mirificè requirunt, Plato in VI. de Repub. Galenus de conſtitutione artis: hanc paſſim inculcant philoſophi.

XXX.

Ad organicas cauſas quod attinet, requiruntur primò Bona fortunæ, quem enim paupertas premit, ille non facilè Philoſophabitur. Unde apud Ægyptios olim ſacerdotes Philoſophabantur, qui ex alieno vivebant.

XXXI.

Requiritur deinde, Bonitas ſenſuum, extruitur enim Philoſophia per ſenſus, & accommodandus etiam eſt habitus poſtea ſenſibus.

XXXII.

Hinc laudatur Galenus quod guſtatu valuerit, adeoq; facultates ſimplicium medicamentorum potuerit diſcernere an videlicet ſint calida, frigida, in ſecundo vel tertio gradu.

XXXIII.

Quo refero illud Ariſtotelicum, cum ait: Pereunte ſenſu uno, neceſſe eſſe, ut pereat ſcientia una.

XXXIV.

Tertiò requiritur Doctor. Diſcipuli enim ſenſus eſt Auditus: ſicuti Viſus ſenſus inventorum.

XXXV.

Atque magnum hoc eſt adjumentum, incidiſſe initiò in fidelem & bonum præceptorum, unde ſæpè Galenus talem commendat.

Eſt enim

XXXVI.

Est enim mens discipuli tanquam tabula adhuc rasa, cui quod primum inscribitur, difficulter admodum eradicatur iterum, unde Plato duplicem mercedem ab eo petebat, quem dedocere malè tradita debebat.

XXXVII.

Finis duplex est, unus inclusus in ipso habitu. Theoreticæ enim philosophiæ fructus est felicitas ipsa veri intuitio, quæ utilitatem præter se nullam habet, sed ad pellendam solum ignorantiam philosophati olim sunt Homines, & Philosophantur etiam nunc.

XXXVIII.

Practicæ philosophiæ finis est felicitas civitatis sive Reipub. qui totus in actione positus est.

XXXIX.

Fructus philosophiæ facio artes quæ sunt veluti partus quidam philosophiæ, unde Plato in X. de LL. artem & legem sobolem mentis rectè asserit, & pulchra quædam vide apud Scaligerum. Exercit. 307. sect. 31.

XL.

Sic tamen ut ad eas indigentia etiam civilis societatis non parum contulerit, qua de re monet Plato in Phædro & VII. ad Repub. Atq; de his hactenus.

PARERGA.

I.

IMpie Stoici sapientem suum, Deo æqualem & superiorem professi sunt, rectius Plato qui Dei eum imitatorem adserit, sed cum imperfectione.

II.

Malè etiam Primum principium exceptionem pati adserverunt.

III.

Metaphysica scientia est communissima simul & specialissima.

IV.

Rectè à Galeno extremo tertio de Temperamentis & alibi sæpè docetur, contraria remedia in gradu tamen similia contrarijs morbis adhiberi debere, etsi utrumque pronunciatum suas difficultates habeat.

V.

Audita lectis sunt jucundiora.

VI.

Malè consulere videntur Patriæ, qui peregrinum pro cive sibi constituunt Dominum,

DISPUTATIO VIII.

MICHAELIS PICCARTI

THESES

De

PETITIONE EIVS QUOD IN PRINCIPIO.

Respondit

Julius Eberding, Guelferbytanus Saxo.

Mens. Octob. cIↃ IↃ cIV.

THESIS I.

ARistoteles inter alias vitiosæ argumentationis species connumerat, τὸ ἐν ἀρχῇ sive ἐξ ἀρχῆς αἰτεῖσθαι, hoc est, petere id, quod in principio.

II.

Ita enim Græca latinè reddi debent, non, ut vulgo fit, Petere principium, aut petitio principij.

III.

Sensus enim verborum Græcorum est, vitium hoc admitti, quando quæstionem, propositam in principio disputationis, sumimus tanquam certam jam & probatam, quæ probatione tamen maximè indiget.

IV.

Vnde rectius petitio quæstionis diceretur; aut petere id quod erat demonstrandum.

V.

De hoc vitio Aristoteles non uno loco agit, sed pluribus, puta secundo Priorum, 8. Top. in Elenchis, citra tamen ullam τῶν τόπων culpam.

VI.

Diversus enim considerandi modus tollit, quem ipse satis monstrat Aristoteles, cum ait 8. Topic. se de vitio hoc egisse κατ' ἀλήθειαν in Analyticis, κατὰ δόξαν verò acturum in Topicis.

Potest

VII.

Potest & sic dici, ibi considerari, ut vitium contra definitionem syllogismi, quia idem probatur per idem, adeòque non sequitur ἐτερόλη: in Topicis verò & Elenchis, ut est modus vitiosus argumentandi.

VIII.

Atque hoc contra Averroistas notandum est, cum enim vel ipsis testibus nihil Aristoteles sine sorti ratione fecerit, toties verò de Petitione ejus, quod in principio egerit, ex eo apparere non obscurè potest, Prioribus Analyticorum libris Topicos & Elenchos nequaquam esse subjectos.

IX.

Vt verò ad rem veniamus, in Prioribus dupliciter vitium hoc definit, communiter & magis exquisitè: communiter sic: Petere id quod in principio, esse, non demonstrare propositam quæstionem, id quod tribus, ait, fieri posse modis: 1. si quæstio nullo aut certè inutili concludatur syllogismo.

X.

Secundo: si quæstio ignota probetur per media ignotiora, cum ut conclusio fiat ex potestate cognoscibili actu cognita, necesse sit adhiberi propositiones actu cognitas, Potestas enim ad actum, nisi per aliud, quod sit actu, deduci nequit.

XI.

Tertio: si quæstio demonstranda non ex prioribus, sed ex posterioribus demonstretur; quod mirum videri cui possit, cum crebrò tales demonstrationes videamus dari in Physicis: verum sciendum, Aristotelem hic nobilissimum solum demonstrandi modum intueri & admittere.

XII.

Cæterum ipse agnoscit Aristoteles, communiorem esse hanc definitionem, itaque magis subjungit propriam, allato prius discrimine propositionum, quarum alias, ait, esse per se cognoscibiles, nec per alias demonstrabiles, alias non nisi per aliud.

XIII.

Hinc petere τὸ ἐν ἀρχῇ sic definit, esse videlicet, cum quispiam id, quod per seipsum cognosci non potest, per seipsum conatur demonstrare, tanquam per se notum.

XIV.

Fieri hoc potest duobus præcipuè modis, uno, cum quæstio sine probatione statim, tanquam per se nota assumitur, quomodo hodiè peccatur à multis.

XV.

Altero, cum quæstionem ostendere conamur per ea, quæ ita sunt affecta, ut ea poti-

Digitized by Google

ea potius per quæſtionem demonſtrari deberent, puta ſi probemus, hominem pulmones habere, quia reſpiret. Demonſtratur enim homo reſpirare, ex eo quod pulmones habet, non contrà. Atque hæc ſecundum veritatem dicta ſunt.

XVI.

Κατὰ δέξαν verò V. modis peti dicitur id quod in principio: I. ſi vel ijſdem vel alijs quidem ſed idem ſignificantibus verbis probare quæſtionem quis amittatur, ut ſi ſynonyma per ſynonyma, definitum per definitionem probare quis velit.

XVII.

II. Modus eſt, quando, cum probandum eſt aliquid in parte, tu petis univerſum tibi dari, qui modus plus etiam petit, quàm quod in principio.

XVIII.

III. Modus ſecundo è regione quaſi collocatur, cum enim aliquis tibi negat aliquid de alio omni, & tu velis oſtendere, ineſſe alicui ſub eo contento, petere etiam diceris id quod in principio, qui enim prædicatum aliquod negat alicui omni ineſſe, negat etiam ineſſe ijs, quæ ſub illo omni continentur.

XIX.

IV. Modus eſt, quando quæſtionem probaturus dividit eam & ſeorſim ſibi concedi poſtulat. Eſt, verbi gratiâ, in quæſtione, an Medicina ſit ſcientia ſalubris & inſalubris, túque ad confirmandum ſic accedas, eſt, quia primum eſt ſcientia ſalubris, deinde, eſt ſcientia etiam inſalubris.

XX.

V. Modus eſt obſcurior, itaq; in eum etiam docti aliquando impingunt: Duo, verbi gratiâ, ſeſe mutuo conſequuntur, de quorum uno ambigitur, alterum autem tu tibi concedi poſtulas, quod ſi concederem ſequeretur eveſtigio etiam illud, de quo inter nos erat controverſia, quòdque ego negaram. Nego videlicet Platonem fuiſſe præceptorem Ariſtotelis, at tu vis tibi à me conceda, Ariſtotelem fuiſſe diſcipulum Platonis.

XXI.

Quo refero etiam probationes per remotionem contrarij vel ejusdem poſitionem: verbi gratiâ, malum eſt fugiendum, quia non eſt perſequendum, ille non eſt albus, quia eſt niger. Atque hæc ferè ſunt apud Ariſtotelem de petitione ejus, quod in principio, ex quibus videamus, quid eruere liceat.

XXII.

Ac primùm vide ſis hic mihi quid de Chryſippæâ Logicâ tibi promittere debeas: Decem illi locelli, quos habent, an non magnam partem ab Ariſtotele appellantur Petitiones ejus quod in principio?

Dicas

XXIII.

Dicæ cur in Dialecticis Aristotelis traduntur? Dialecticus ergo quoque solum petet id quod in principio? Respondeo. Dialecticus uti potest his declarandi modis, & sine etiam vitio fortasse. Cum enim ei propositum sit gignere in animo ejus, cum quo agit, δόξαν, vel saltem excitare dubitationem, sic ut fluctuet in suâ præconcepta opinione, principium ei solum cognitionis curæ est, de rerum veris primísque caussis non laborat.

XXIV.

Itaque ille videt, ubi evidentia sit major, & ex evidentiori argumentatur. Fit autem sæpè, ut definitio sit evidentior quàm definitum, genus quàm species & contrà, unum item contrarium altero, unde nihil ille cunctatur, sed ex evidentiori illo colligit minus evidens.

XXV.

Suasit mihi hæc dicere Alexander, cujus hæc sunt 8. Top. verba: δείκνυσι δέ τινα λαμβάνει τὸ διαλεκτικὸν, ὅταν τὸ μὲν ὄνομα ἄδηλον ᾖ, ὁ δὲ διαλεκτικὸς καὶ τὸ σημαινόμενον γνώριμον.

XXVI.

Sed demus illis sanè peti à Dialectico id quod in principio, quâ de re postea, quid obtinebunt aliud, quàm quod tacitè fatebuntur, suam Dialecticam mutilam esse & mancam, ubi nihil sit Analytici acuminis, tabulas solum quasdam è Topicis esse, & easdem malè cohærentes sive dissectas.

XXVII.

Verùm hæc frustrà illis occinuntur, surdis jam diu ad talia, quare illis suo permissis sensui ad alia veniamus. Pauca, inquiat quis, hac ratione erunt demonstrationes, si omnes illæ, quas enumerasti probandi vias, petunt id quod in principio.

XXVIII.

Tollentur sanè hoc pacto Mathematicæ Demonstrationes, & quæ caussas vel omnino non habent, vel certè non principiales.

XXIX.

Tollentur multæ Demonstrationes Physicæ, tolletur, ut uno verbo dicam, omnis denique Demonstratio.

XXX.

Cum enim Demonstratio dicatur syllogismus Epistemonicus, omnis verò syllogismus progrediatur ab universaliori ad minus universale, omnis utique Demonstratio petet id quod in principio.

XXXI.

Digni hi sunt vindice nodi, in quibus explicandis aliorum mallem indu-

striam

ſtriam deſudaviſſe, verum cùm id factum nondum viderimus, tentemus quoad poſſumus, atque alijs auctores ſimus, ut quæ per ingenij tarditatem aſſequi nos non poſſumus aut certè minus plenè, ipſi nos publico bono doceant uberius.

XXXII.

Et Mathematicas quidem diſciplinas quod attinet, earùmque demonſtrationes, ſi verè demonſtrationes negaremus, nihil novi diceremus, nec ſine maximorum virorum auctoritate.

XXXIII.

Neque enim nervum habent veræ Demonſtrationis, hoc eſt, veræ & ἀναπόδικτα, ſed ſimilitudine tantum principia, in quibus non eſt τὸ κύριον, quæque ita ſunt affecta, ut κινηθέντος τοῦ ἀρχῆς πάντα μᾶλις ἂν τὰ δεικνύμενα μεταβάλλοι, ut docet Ariſtoteles 2. Eudemiorum cap. 6.

XXXIV.

Verum honeſtius de Mathematicis diſciplinis ſentire placet; itaque illud mare nunc non attingam, ſcio enim eſſe, qui etſi τὸ κύριον illarum principijs rectè negari credant, τὸ οἰκεῖον tamen ipſis relinquendum eſſe ſtatuunt.

XXXV.

Scio etiam Appollinarem, non peſſimum Organicæ Doctrinæ auctorem, Mathematicas Demonſtrationes in numerum verarum demonſtrationum referre, tum quia demonſtrent ex prioribus & notioribus, tum quia earum altera tantiſper alteram non evertat, quantiſper primum illud, unde lucem iſta habent (adverte, cum Flaminio, lucem, non exiſtendi cauſam) non evertitur.

XXXVI.

Itaque aliovorſum inſtituenda eſt oratio. Puto, hic nodis omnibus explicandis facere, quod Doctores meos monuiſſe recordor, diſcrimen videlicet attendendum inter Dialecticum & Analyticum ſive Philoſophum.

XXXVII.

Dialecticus enim, cujus officium omne ſpectat alterum, non docet, ſed diſputat; itaque rem ex fundamentis non exquirit, ſed irruit veluti in propoſitam materiam, & ex Endoxis ſolum quibusdam nunc hoc, nunc illud examinat.

XXXVIII.

Philoſophus contra, cui propoſitum eſt διδάσκειν, à primis principijs ordine eleganti pervenit ad principiata.

XXXIX.

Modi ergo illi petendi id quod in principio, 8. Top. traditi, ad Dialecticum ſolum pertinent, non item ad Philoſophum. Ille enim ex fundamentis rem non monſtrat, adeòque omnia in incerto relinquit.

At Phi-

Digitized by Google

XL.

At Philoſophus, qui rem ex fundamentis deducit, etiamſi ſuperiora adhibet ad oſtendenda inferiora, nihil peccat, cum illa ſuperiora vim & robur jam acceperint à primis.

XLI.

Non ergo ſequitur, apud Dialecticum argumentari à Genere, ſpecie, definitione &c. eſt petere id quod in principio: Ergò & apud Philoſophum, aliud enim eſt irruere, aliud ſenſim procedere ad quæſtionis oſtenſionem.

XLII.

Sed quid modis potendi id quod in principio fiet, qui traditi ſunt in 2. Priorum? Etiam illi in Demonſtrationibus vitioſi ſunt, ſcilicet ubi omnia ad ἀιχεῖα revocantur, ibi autem nobiliſſimum ſolum Demonſtrationis gradum intuetur Ariſtoteles.

XLIII.

In minus exactis tamen Demonſtrationibus, quæ, ut Græci loquuntur, non habent omnia octo, in vitio omnes modi non ſunt; licet enim etiam à poſteriori quoque rem deducere. Atque de hac quidem re nunc ita cenſeo.

MELIORA MELIORES.

PARERGA.

I.

NOn rectè Alexander argumentum Ariſtotelis 3. Metaph. quòd Ens & unum non ſint genera, repudiat tanquam Dialecticum.

II.

Formæ non competit definitio Accidentis, neque tamen ſubſtantia etiam dici propriè poteſt.

III.

Forma eſt in ſubjecto) (Forma non eſt in ſubjecto.

IV.

Conſervatio ſocietatis eſt principium omnis juris.

V.

Loquela perfectiſſima hominis eſt functio.

VI.

Partes ſunt Materia totius.

(o)

DISPUTATIO IX.

MICHAELIS PICCARTI

THESES

De

NOTIS PROPOSIT. NECESSARIUM,

Respondit

Johan. Casp. Wibmerus, Amberg. Palatin.

Mens. Mart. cIↃ IↃ cV.

THESIS I.

ARISTOTELES, *Organon adquirendi scientiam nobis monstraturus, orditur rectè atq; ordine à fine, docens scientiam dari alio modo quàm censuerit Plato, quàm deindè definit, & communi hominum opinione roborat allatam abs se definitionem.*

II.

Neque hoc malè aut præposterè: didicimus enim ex Galeno, Artes à finibus pendere, quemadmodum scientiæ à subjectis.

III.

Definit autem scientiam λελημότως *more viri magni solemni: notas enim & conditiones ejus sive requisita accuratè explicat, quæ sufficiunt ad rei alicujus naturam declarandam. Quomodo alibi & τὸ μικλὸν, ubi non rectè reprehenditur à viro summo.*

IV.

Inter eas notas est Necessitas: qui enim scit rem, ita scit ut aliter se habere non possit inquit Philosophus. Quod verò impossibile est aliter se habere, id necesse est esse.

V.

Conclusio verò hoc modo sciri quî poterit, nisi per talia media. Hæc enim finibus respondere debent, ut sæpè testatum fecit Aristoteles. Præmissas ergo necessarias quoque esse oportebit, hoc est, ut prædicata subjectis insint necessariò.

Qua

VI.

Quo posito pergit, & gradus ostendit Necessitatis, ad quos sit attendendum. Vult enim prædicata subjectis in esse κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ & καθόλου. De quibus hac disputatione paucis agemus.

VII.

Κατὰ παντὸς requirit Universalitatem subjecti, & universalitatem temporis: hoc est prædicata κατὰ παντὸς dicuntur, quando & de omni subjecto & semper dicuntur, quâ posteriore notâ sejunigitur κατὰ παντὸς hoc posterioristicum, â κατὰ παντὸς Prioristico, quod universalitate subjecti contentum esse potest.

VIII.

Cum enim scientiæ abstrahant ab hoc & â nunc, necesse est propositiones scientificas esse, fuisse, & futuras tales, quales dicuntur.

IX.

Talia prædicata, aut tales propositiones maximè reperiuntur in Mathematicis, in Physicis minus. Neq; enim locum habent in ijs, ubi natura potest digredi vel aberrare.

X.

Id quod maximè fit in animatis, quæ requirunt majorem conditionum apparatum. In alijs, ubi simplex forma, simplex corpus, nullus conditionum apparatus, non facilè potest aberrare.

XI.

II. Gradus necessitatis est τὸ καθ' αὑτὸ. Hic vult ut Prædicata subjectis insint per se, & non per accidens aut per aliud. Hujuscemodi prædicatorum modi adferuntur ab Aristotele quatuor.

XII.

Primus est: Prædicata per se dicuntur ea, quæ ingrediuntur subjecti definitionem, hoc est constituentia rei & essentialia.

XIII.

Conditiones primi modi sunt, ut prædicata insint subjectis naturaliter κατὰ φύσιν, & παρὰ φύσιν: II. ut sint pars definitionis subjecti.

XIV.

Pertinent hûc primum Definitio, Genera, Differentiæ, item, si Averroi credimus, partes Generis, & partes Differentiarum.

XV.

Quæ v. sunt generis partes? Genera remota intelligo, & dici partes Generis ideò existimo, quia definitionem Generis proximi ingrediuntur.

XVI.

Partes differentiarum non accipio ſuperiores differentias, ſed differentiarum plurium unam, quando de ſubjecto prædicatur.

XVII.

Refero ad hunc primum modum etiam cauſſas. Alij ad quartum referunt, ſicut Externas hîc Ariſtoteles: ad primum ideò, quia ut Materia & Forma: ita & Efficiens & Finis definitionem ingrediuntur, ut videre eſt in definitione Organorum, ubi Finis, in definitione Pulſus Putredinis, ubi Efficiens.

XVIII.

Apparet Ariſtotelem quoq; ad primum reduxiſſe. Cum enim dicat priores duos modos ad ſcientias tantum pertinere, Efficiens verò & Finis locum quoq; in ſcientijs habeant, ex eo apparet, ad primum eum revocaſſe.

XIX.

II. *Modus per ſe eſt illorum prædicatorum, quæ per ſe ſubjectum conſequuntur, adeò quidem, ut ſi definitiones evolvi debeant, non poſſint ſine mentione ſubjecti.*

XX.

Conditiones horum duæ item ſunt. Prior, ut alia fluant prædicata ê ſubjecti naturâ, eiq; inſint; poſterior, ut ſubjectum ſit pars definitionis eorum. Atq; hic ſecundus modus ad concluſiones maximè pertinet.

XXI.

Tales prædicationes ſunt, quando propria πάθη de ijs, quorum ſunt πάθη, quæ Græcè ἐπιστώδη appellantur, eorumq; cauſſæ inveſtigantur.

XXII.

Horum παθῶν varia ſunt capita generalia, ad quæ reduci poſſunt, atq; eum ex Eſſentiâ ſubjecti fluant, primum omnium alia ſunt πάθη Materiæ, alia Formæ.

XXIII.

Materiæ v. g. Rubigo in ferro, Attractio ferri in magnete, non quod talia ſolùm ſequantur Materiam, nihil enim per ſe ineſt in Materiâ nudâ, niſi forte privatio, verum ſequi hæc talia Materiam dicuntur, quia potiſſimum ab illâ naſcuntur.

XXIV.

Utraq; πάθη, rurſum variè accipi poſſunt: Alia enim referri poſſunt ad δυνάμεις, hoc eſt, potentias ſive vires rerum, v. g. quare ſublunaria poſſint corrumpi, quare cœlum perpetuo poſſit moveri?

Dividun-

XXV.

Dividuntur hæ δυνάμεις rursum, ut videre est 9. Metaph. in ποιητικὰς & παθητικὰς v. g. Quare ignis possit urere? quare sonus possit recipi in aurem?

XXVI.

Secundum caput παθῶν ἐνεργείας constituo, sive operationes, ut quare actû sublunaria intereant? quare cœlum perpetuo moveatur?

XXVII.

Duplices hæ sunt ἐνεργείαι: Quædam sequuntur δυνάμεις: Quædam sunt tantum perfectiones rerum, fluunt à Formâ, ipsaq, ut Averroës loquitur, sunt Formæ operantes, quæ si de toto subjecto dicuntur, rationem obtinent Accidentis, quia possunt impediri, si verò ad πρῶτον δεκτικὸν, sunt ejus perfectiones.

XXVIII.

III. Caput Διαθέσεις facio, hoc est, rerum numerum, ordinem, dispositionem puta, quare mundus sit unus? Cur astra sint circulari figurâ? Cur homo carnosior in suris & femoribus? Cur pulmo laxus? Cur quadrupeda habeant torosum pectus? Hæ Diatheses maximè conspiciuntur in animatis.

XXIX.

Atq, originem etiam à Formâ trahunt. Rectè enim Alexander de Fato libello: εἰ καὶ εἰδῶν τῶν ὄντων διαφοραὶ τὰς τῶν φύσεων αὐτῶν διαφορὰς δεικνύουσιν id est, Diversæ rerum Formæ non patent sensibus, sed elucescunt ex variâ & differenti rerum facie externâ ac dispositione.

XXX.

Διαθέσεις a. hîc non solum intelligendæ sunt, quæ in rebus ipsis inhærent, sed & illæ, quæ rem circumstant, ut quando quæritur, an corpus naturale sit in loco?

XXXI.

Quartum caput Privationes facio, Græcè στερήσεις, v. g. Quare Animal dormit? quare vivens moritur? Quare actiones læduntur? Nam & hæc aliáq, per caussas demonstrantur.

XXXII.

Quo reduci possunt & impotentiæ rerum, v. g. Quare cœlum non possit corrumpi? quia non habet contrarium, aut quia non habet Materiam, quæ habeat δύναμιν ἀντιφάσεως.

XXXIII.

Quintum caput constituo πάθη συμπλοκικὰ, hoc est, quæ accidunt rebus per

bus per violentiam, ut explicat Alexand. v.g Cur mare reciprocetur? Cur terra tremat? Quæ cauſſa ſit φαινομένων in aëre? quæ trajectionum?

XXXIV.

Alij per συμπαρομαλικὰ πάθη intelligunt ea, quæ aliquando fiunt, ut quare Luna delinquat? Quæ ſint cauſſæ Iridis? quæ cometarum?

XXXV.

Alij deniq; πάθη συμπαρομαλικὰ è regione ponunt πάθεσι, quæ ſecundum rei Eſſentiam inſunt, quod benè nondum exputare potui, niſi accipiant de ijs, quæ per externas cauſſas inſunt, & ſic conveniunt cum prioribus re, quamvis diſſideant verbis.

XXXVI.

III. Modus per ſe eſt, cui opponitur τὸ per aliud & ſunt, quæ ipſa ſuis viribus conſtant. A quibus nolim excludere Accidentia omnia, cum expreſſe dicat Ariſtoteles: Entia per ſe eſſe diſtributa εἰς σχήματα τῶν κατηγοριῶν.

XXXVII.

Conſpirat etiam cum hac ſententiâ alibi Ariſtoteles, puta 5. Metaph. t. 18. & 8 Phyſ. cap. 4.

XXXVIII.

IV. Modus per ſe eſt, quando ſubjectum exprimit cauſſam prædicati, cui opponitur Caſus. Alex. hoc per ſe explicat per ἀπόφασιν, item per δι' αὐτὸ.

XXXIX.

Talia ſunt, Ubi Natura, ibi ordo, Immobilitas cordis eſt Mors, Rectè aciem inſtruere eſt vincere. Sæpè tamen contra ſolemus loqui, ut Dolor eſt ſolutio continui, Fames eſt ſenſus ſuctionis, &c.

XL.

Hunc modum explicant vulgò de limitatione ſubjecti, ſed invito, immò repugnante Ariſtotele.

XLI.

Hi ſunt modi per ſe. E quibus Ariſtoteles duos ſolum priores ſeligit, tertius in integrâ propoſitione locum non habet, Quartus ad primum reducitur.

XLII.

Aut, quod monuit Doctor noſter, Significationes τῶν καθ' αὐτὸ ſeligit ſolum Ariſtoteles eas, quæ in Geometricis Demonſtrationibus uſurpantur, quales quartum modum non agnoſcunt, ubi enim eſt ἀφαίρεσις Materiæ, ibi neq; per cauſſam unde motus, neq; per finem quidquam doceri poteſt.

Modos

XLIII.

Modos per se sequitur tertius Gradus Necessitatis καθ' αὑτὸ, id est, Quatenus ipsum, sive ut aliàs loquitur Aristoteles καθόλω πρῶτον. Quæ enim per se insunt, aut primò insunt, aut secundò.

XLIV.

Ut ergò Propositiones Necessariæ sint absolutè, oportet, Prædicatum nectí cum suo πρώτῳ διεκλικῷ, seu primo subjecto. Quæ nota Necessitatis perfectionem absolvit. Atq; de hiu hactenus.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

QUæsitum diu fuit, nutriant ne odores? nobis ex schola Peripateticorum Negativa magis placet.

II.

Etsi difficultates quasdam patitur, verum tamen est simile è simili cognosci.

III.

Artes quæ differunt Materiâ, sunt diversæ & non diversæ.

IV.

Alimentum initiò est dissimile, tandem fit simile.

DISPUTATIO X.

MICHAELIS PICCARTI

THESES

De

OFFICIIS DIALECTICI INTERROGANTIS.

Respondit

Adam. Winterus, Schönbaco-Variscus,

Mens. Majo. cIↃ IↃ cV.

THESIS I.

RECTÈ *Sextus Empyricus : Corpus esse imaginem animi, & ex corporis conditionibus commodè nos progredi ad conditiones animi. Cuique enim materiæ sua respondet forma : unde Averroes, neminèm rectè percipere posse, quid sit anima, nisi prius noverit, quid sit animatum.*

II.

Vt ergo corpori non conducit, si, detentum antè in densissimâ tenebris, subitò in meridianum Solis jubar deducatur : neque enim splendorem eum ferre potest ; ita nec animæ, si ad veritatem : siquidem & hæc fulgore oculos præstringet mentis, ejúsque aciem hebetabit.

III

Rectè enim Plato : Oculum mentis, quem appellamus Sapientiam, tum demum hominibus aperiri, cum defloreſcere incipiat corpus ; & alibi beatum maximè eum prædicat, cui vel in extrema senecta verum pervidere liceat.

IV.

Corpus in opacum educi primum locum, inde in lucidiorem, & sic deinceps debet : ita animus Dialecticis velitationibus imbui primò, non analyticâ rerum tractatione fatigari.

V.

Ea docentur ab Aristotele VIII. Topicis libris & duobus Elenchorum ; atque

Digitized by Google

que ea methodus ſpeciali nomine Dialectica appellatur, non enim hoc vocabulo generaliter uſus eſt Ariſtoteles.

VI.

Quam definivit Facultatem συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων &c. 1. Top. c. 1.

VII.

In qua deſcriptione notandum Genus Facultas, quæ eſt, ut Ariſtoteles explicat in Rhetoricis, l. 1. c. 1. contrariorum, & æqualiter ſe ad utrumque contrarium habet. Qualis facultas eſt etiam Rhetorice & Ars militaris.

VIII.

Alijs artibus ἡ γνῶσις τῶν ἀντικειμένων ἢ προηγουμένως, ἀλλ' ἑπομένη τῇ τούτων γνώσει, inquit Alexander 1. Topico, & ſpectant ὡρισμένως τὸ βέλτιον, ut docet Ariſtoteles 6. Top. c. 3. t. 9. & t. 1.

IX.

Eſt autem Facultas τοῦ συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς προβλήματος. An de omni? Atqui non de ijs quæ contra bonos mores, quæ ſenſibus obvia, quorum nimis facilis deciſio, aut nimis longè petenda.

X.

Illud περὶ παντὸς ſeparat, ait Alexander, dialecticam ſolùm à Rhetorica, quæ verſatur in materia potius politica, aut inquit, de omni dixit generalius, quia omnium ſcientiarum materias diquirit. Ego putem limitari iſta per vocem Problematis; Problema enim ἄξιον ζητήσεως debet eſſe, qualia illa dicta non ſunt.

XI.

Iſta problemata ratione materiæ triplicia ſunt, vel Phyſica, vel Ethica, vel Organica: ratione προσηγορίας vel ad Definitionem, vel ad Genus, vel ad Proprium, vel ad Accidens referuntur.

XII.

Confirmantur aut refutantur hæc locis quibusdam communibus ſive effatis, quæ ſecundum modum enunciandi diſtributa ſunt, & ſex libris intermedijs tradita.

XIII.

Illa Effata ἔνδοξα dicuntur, id eſt, quæ videntur vel omnibus, vel plurimis, vel ſolùm ſapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel certè uni alicui nobiliſſimo.

XIV.

In quo poſtremo ἐνδόξων genere cautela adhibenda, ne cujuſque τύχοντα ſumamus placita, item ne prorſus ἄδοξα.

XV.

Ex his eſſatis conſtituuntur Propoſitiones, quæ vulgò Præmiſſæ Syllogiſticæ appellantur, aut principia Dialectici ſyllogiſmi.

XVI.

Hac arte adoleſcentes imbui debent, ut acuant ingenium, & habeant ſe tandem, matureſcente judicio, ad veritatem, ut arbitri. πρός τε τὴν γνῶσιν καὶ τὴν τῆς Φιλοσοφίας Φρόνησιν, τὰ δύναθαι συνορᾶν καὶ συλλογίζεσθαι, τὰ ἀφ' ἑκατέρας συμφαίνοντα τῆς ὑποθέσεως, ἃ μικρὸν ὄργανον. 8. Top. cap. ult.

XVII.

Vnde dicitur ab interpretibus γυμναστικὴ, item πρὸς ἄσκησιν ad Philoſophiam, & hinc multa vocabula è Gymnaſtica veterum diſciplina huc tradu-cta. Vnde & Averr. eam ſimilem fecit ſimulachris belli.

XVIII.

Huic ſeſe daturus, diligenter legat & veterum ſcripta, & interſit diſputationibus. Ex illis excerpat illuſtres ſententias & propoſitiones ἐνδόξους, aut digna ζητήσεως problemata. Ex his non excedat, niſi domum ſecum ferat aut egregium aliquem ſyllogiſmum, aut propoſitionem, aut inſtantiam, aut ſolutionem aliquam doctam. 1. & 8. Top. c. 5.

XIX.

Diligenter item advertat ad diſputantes; virtutes imitetur, vitia averſetur, ne in eundem, ſi prodeat in publicum, impingat lapidem.

XX.

Exerceat ſe item in Homonymis diſtinguendis, item differentijs & ſimilitudinibus rerum inveniendis; Hæc enim cura proderit, ſive Interrogantis ſive Reſpondentis partes obire placeat.

XXI.

His ubi defunctus fuerit eo quo oportet ſtudio, locorúmque doctrinam probè imbiberit, tam pro confirmando, quàm pro infirmando problemate, jámque fortunam pugnæ dialecticæ experiri volet, aut interrogabit, aut reſpondebit: ſi illud, ad tria eum attendere neceſſe eſt.

XXII.

Primùm de materia ei diſpiciendum erit, & argumentum, quod diſputatione tractet, inveniendum. Id quod non erit difficile ei, qui ſuperiorum ratio-

nem

nem habuit. Nisi quod hoc notandum, proponere eum debere, quæ difficulter à respondente defendi possint; quæ enim difficulter defendi possunt, ea faciliæ sunt oppugnatu Atque hæc inventio ei cum Analytico communis.

XXIII.

II. Oportet eum de τάξει agere, id est, quomodo inventa debeat disponere. ἀ γὰρ ἀπόχρη τὸ ἔχειν, ἃ δεῖ λέγειν, ἀλλ' ἀναγκη καὶ τοῦτα, ὡς δεῖ, εἰπεῖν, 3. Rhetor. cap. 1. & ἀρίστη οἰκονομία τὸ εἰδέναι, τίνα πρῶτον δεῖ προφέρειν, τίνα δ' ὕστερον, inquit Alexander.

XXIV.

Cùm enim dialectico propositum sit, adversarium ex ore suo convincere, oportet modum habeas certum interrogandi, quo ita illum impedias, ut victum se tandem sentiat. Analyticus, cum solum agat ex veris, de τάξει non laborat.

XXV.

In hac τάξει attendendum est ad Propositiones tam necessarias ad conclusionem, quàm non necessarias, quæ posteriores sunt quadruplices, Epagogicæ, Facientes εἰς κρύψιν, Facientes εἰς ὄγκον τῦ λόγυ, denique Facientes εἰς σαφήνειαν.

XXVI.

Necessarias quod attinet, illæ vel sunt λίαν πιθανὲς, vel minus: illæ sine probatione ponendæ, hæ pro diversâ prius ratione firmandæ. Particulares universalibus, universales inductione roborandæ. Hæc enim duo dialecticarum disputationum genera: Syllogismus, qui ab universali ad minus tale, & Inductio, quæ à singularibus ad universale progreditur.

XXVII.

Non necessarias quod concernit, & primum quidem earum genus Epagogicas: observet dialecticus, progressum à notioribus singularibus ad ignotiora fieri debere. Quia enim Inductio τὸ πιθανὸν habere debet, aliter progredi non potest nec debet.

XXVIII.

Κρύψις quanquam magis sophistam decet, tamen certis de causis dialecticus quoque eâ utitur. Ejus præcepta sunt: I. Vrendum Prosyllogismis. II. Conclusiones non statim præmissis submittendas, sed tandem confertim concludendas. III. Præmissas etiam mixtim, non ordine interrogandas 8. Top. c. 1. & 2.

XXIX.

IV. Easdem in abstracto proponendas, non in concreto, quia concreta sunt ἐνστάσεων fœcunda. V. Item sumendas, non quasi propter se sumantur, sed

quasi alterius gratiâ assumantur. VI. Interrogandum utrumque contradictionis membrum, quibus omnibus Respondens confunditur.

XXX.

VII. Interdum juvat id, quod volumus obtinere, prorsus dissimulare, & simile quid in disputationem vocare: Nam, ut Averroes inquit, vulgatum est in hac methodo similium idem esse judicium ex parte suæ similitudinis.

XXXI.

Proderit VIII. loco, si interrogans quandoque sibiipsi ἔνστασιν afferat, ut respondens credat, eum esse virum bonum, & agere φιλαληθῶς. Unde minus adsensus erit, & negligentiâ multa transmittet.

XXXII.

Utile IX. addere, opinionem, quam tuetur, esse vulgatam & tritam, item munire se auctoritate magni viri, præsertim cui is, quo cum agimus, sit addictior. Hic enim Epilogus: inquit Averroes, affectum respondenti imprimit, quo excæcetur, ut ἔνστασιν videre non possit, negare studio in defensorem non audeat.

XXXIII.

Præstat X. ἐν παραβολῇ, quàm simpliciter proponere; sic enim Respondens suspenditur. Verbi gratiâ, Annon, quemadmodum plures sunt indocti quàm docti, plures pauperes quàm divites: ita plures sunt mali quàm boni?

XXXIV.

Alexander putat, hoc præcepto doceri, id quod obtinere volumus, instar similis proponendum esse, sic ut id, quod nolumus, simulemus nos obtinere velle.

XXXV.

Discernat XI. inter ingenia, quibus cum ei res. Aliqui enim homines morosi sunt & difficiles in conversando, alij verò acutuli, quique pleni se fauci-bus omnia literarum devorasse existimant. Apud hos tales maximè dubia propositiones primo loco interrogandæ.

XXXVI.

Morosi enim sub initium disputationis mites adhuc sunt, cum longius protrahitur disputatio, tumultuari incipiunt. Acutuli verò illi & ingeniosuli sub initium ingenio præsidunt, & facilè largiuntur, tandem capti cautius agunt.

XXXVII.

Denique ad κρύφον facit etiam, si argumenta nostra verbis ampliemus, verborum enim copia involvit adversarium, ut vitium non animadvertat.

XXXVIII.

Ad ὄγκον pertinet ἐπαγωγὴ & διαίρεσις: Nam hæc dilatant disputa-

tionem,

Digitized by

tionem, neque enim, ut Stoicis placuit, dialecticus ita est offens, aut in omnibus brevitatis studiosus, ut vulgò miseris adulescentibus persuadetur.

XXXIX.

Quin potius, quod Galenus in libris probat, id dialecticus in suis disputationibus, decentem videlicet magnitudinem.

XL.

Ad σαφήνειαν disputationis exempla multùm faciunt & similia. Hæc enim illustrandis rebus omnibus veluti nata sunt.

XLI.

In formis etiam disputationum rectè adhibendis dialecticus desudabit, pro diversa conditione eorum quibus cum disputat, qui sunt vel docti vel vulgus.

XLII.

Cum illis syllogismis agendum, quia universalibus sunt addicti: sapiens enim φιλοκαθόλε; cum hoc inductionibus, quia pendet à sensu & singularibus.

XLIII.

In inductionibus operam dabit, ne ἐνστάσει allatâ ruat ejus universale, itaque vel præveniat, & ipse adferat, vel respondeat, si afferatur ab adversario, eam unam afferri potuisse. In homonymis distinguat, ne significationes vocabuli diversæ pariant ἐνστάσεις.

XLIV.

Syllogismi quia duplices, alij δεικτικοί, alij ἀπαγωγικοί, his posterioribus dialecticus non facilè utetur; si enim Adversarius incommodum, ad quem eum ducere cogitat, neget esse incommodum, progredi ei non licebit.

XLV.

Denique omnibus modis studeat sic μεταγαγεῖν τὸν λόγον, ὥστε παῦσαι τὸν ὑποκρινόμενον τὰ ἀδοξότατα λέγειν τῶν διὰ τῆς θέσιν ἀναγκαίων. Hic enim ejus finis, ad quem media omnia dirigi debent. 8. Top. c. 3.

XLVI.

Tertium officium commune est Interroganti & Respondenti: τὸ εἰπεῖν πρὸς ἕτερον: quod officium non accidens aliquod dialectico est, sed finem ei & perfectionem potius affert. Id quod non potuit clarius docere Aristoteles, quàm cùm ait 8. Topic. cap. 1. totam πραγματείαν διαλεκτικὴν πρὸς ἕτερον εἶναι. Atque hæc de officijs Interrogantis: de Respondentis partibus suo etiam loco.

ΠΑΡΕΡ.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

VOCABULA nec solâ naturâ, nec solo hominum instituto, non etiam casu constant, sed partim naturâ, partim hominum instituto.

II.

Aristoteles in illa, quæ ex sensu non decerpta sunt, sed ex superiore & firmiore Principio, se non ingessit, vel affirmando, quia sensum in ipsis auxiliarium non habuit, vel negando, quia impium existimabat.

III.

Malè reprehenditur Aristoteles à viro magno, quod in caussis mutationum Rerumpub. fatum neglexerit.

IV.

Sellularij artifices sive mechanici & cives sunt & non sunt.

V.

Cibus simplex præstat vario.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO XI.

MICHAELIS PICCARTI

THESES

De

PRINCIPIIS SCIENTIARUM,

Reſpondit

Johannes MarcinKiewick,

Menſ. Auguſt. cIↃ IↃ cV.

THESIS I.

IN tradenda rectè ſcientia duo potiſſimum tradenti ſunt notanda, *Primum, ut Principia rectè decernat, deinde, ut principijs omnia inſequentia reſpondeant.*

II.

Illud ideo, quia magna principiorum vis, ſic ut principium à viris ſapientiſſimis dimidium habeatur a *totius, immo* b *ipſum ſolidum totum quandoq; prædicetur.*

a Ariſt. 5. Polit. C. 4. & Heſiod. b 1. Nicom. c. 7. Plato in Phœdro, Polyt. l. 5.

III

Habet ſiquidem in Methodis principium ſe ut fundamentum; ut igitur fundamentis rectè conſtitutis c *reliqua omnia, quæ ſuperſtruuntur firma permanere & conſiſtere poſſunt; malè verò factis quidquid imponitur, brevi corruat neceſſe eſt: ita de ſcientiarum quoq; principijs tenendum eſt.*

c Plato in Cratylo. Ariſtoteles in calcè Elench.

IV.

Exigua ſanè eorum d *videtur eſſe ratio, ſed plurimum ſub extremum pollent. Quemadmodum enim in itinere faciendo parvus error ab initio, maximus evadit in extremo: ita principijs malè fundatis, longiſſimè tandem à vero aberremus neceſſe eſt.*

d In calce Elench. & 1. de cœlo cap. 5.

V.

Posterius ideo, quia verum omne sibi debet consentire e *& mendacij indubitata nota est ἀσυμφωνία ut pulchrè Halicarnassæus, sed hoc omisso principiorum naturam hac disputatione vestigabimus.*

e 1. Prior. Sect. 3.

VI.

Principium quid sit describere possumus facilè ex ijs, quæ jam dicta nimirum, esse primum illud in Methodis unde aliquid cognoscitur.

VII.

Hæc duplicia facio, vel enim sunt principia cognitionis solùm, vel simul cognitionis & Rei, sive illa complexa sint sive incomplexa, neq; enim hæc posteriora expungo ex numero principiorum.

VIII.

Cum videam Aristotelem dicere : f *Naturæ cognitionem latere nos, si lateat notitia motus, non illa, an hoc vel illud moveatur, sed quid motus sit, ubi motus, ut incomplexum statuitur principium tamen naturæ,*

f 3. Phys. t. 1.

IX.

Cum item g *Principij locum habeat cognitio simplicium terminorum & definitio, ex quibus struitur demonstratio tanquam ex principijs cognitionis* h *damus quidem principia proxima demonstrationum esse complexa, atq; ita Principia Demonstrationis ab Aristotele esse distributa, interim incomplexa Principia quoq; adserere quanquam remota nihil prohibet.*

g 1. Post. C. 3. h 1. Post c. 2. & 8.

X.

Principia solius esse, nulla statuo, quicquid Landunus censeat, i *cum Aristoteles dicat : Omne compositum cognosci, si ex quibus & quot constet teneatur.*

i 2. Phys. t. 35.

XI.

Principia cognitionis tantum sunt, quæ ut nobis nota ab Aristotele ponuntur, sive ea sint effectus proprij, & per se, è quibus ut antecedentibus Demonstratio è signo sive ut Aristoteles loquitur σημειώδης constituitur, atq; inde facto quodam gyro mentis, quem Regressum dicunt, intelligitur caussa, ope demonstrationis ℔ *dicti.*

Sive

XII.

Sive etiam ſint alia accidentia & rem concomitantia ut monuit Philoponus, k *ſiquidem nihil vetat ea, quæ ſunt nota nobis promiſcuè, & communiter ab omnibus ſcientijs uſurpari, ut de motu dixit* l *Ariſtoteles, quo loco pulchrè Simplicius, rerum ſenſilium maximè arbitri ſenſus ſunt : & ij principium demonſtrationis : cæterùm hoc principiorum genus vim cauſæ non obtinet.*

k 1. Poſt. Comm. 25. l 8. Phyſ. t 22.

XIII.

Secundum genus Principiorum, omne genus cauſſæ complectitur, quoniam omnes cauſſæ generatim in Demonſtrationibus aſſumi poſſunt, præcipuè verò pertinet ad internas, quæ ſunt Materies & forma.

XIV.

Illa cognitionis ſolùm Principia, virtute ſive potentiâ tantùm in Demonſtratione continentur, hæc actu. Illaq; crebrius uſurpantur aut certè numeroſius, hæc pauciora ſunt.

XV.

Vtrumq; tamen genus Principij nomine venit, quia non petitur eorum demonſtratio in eâ methodo, in m *qua collocantur, licet in ſuperiore quandoq; demonſtrari poſſint, ſed in hac ut alijs modis manifeſta accipiuntur.*

m 1. Poſt. t. 73.

XVI.

Modi iſti multi ſunt nec unius modi, pro diverſis Philoſophiæ, Scientiarum atq; Artium gradibus, neq; eos uno loco Ariſtoteles perſequitur omnes ſed ſparſim, & aliquando innuit n *ſolùm non explicat.*

n 1. Ethic. C. 7.

XVII.

Diligentiores in ijs indagandis & evoluendis enucleandisq; fuêre Averroës & Euſtrathius, quorum operâ hac in parte utemur.

XVIII.

Vnus eſt qui ſolùm reſpicit eam Philoſophiæ partem, quæ poſita eſt in agendo. Eſt verò per conſuetudinem, quando nimirum bene malevè agendo ſic aut aliter aſſuevimus, & ex actionis illius frequentiâ contrahimus habitum, quo ſic aut aliter judicamus.

XIX.

Vt qui furando ſæpius evaſit in furem, furtum judicat bonum, & hoc illi veluti principium eſt conſuetudine conſtitutum, furtum eſſe bonum.

XX.

Reliqui modi in omne methodorum genus conveniunt, quorum primus eſt inductio, & qui cum hac coincidunt ſenſus, quibus plurimum ſingularium ſimilitudo colligitur, & inde naſcitur univerſale.

XXI.

De Inductione ſæpe Ariſtoteles, ſæpius de ſenſu, ejus videlicet judicio ſtandum eſſe, quia nihil ſit in Phantaſiâ aut intellectu, quod fores ſenſuum non pepulerit, quia item pereunte ſenſu pereat ſcientia.

XXII.

Facit ad eadem Principia exſtruenda quoq; Diviſio, ſi credimus Averroi, & ita ſanè ſenſiſſe videtur Ariſtoteles o cum docuit: εἰ quæ ſunt naturâ nota nobis ignota, fieri nobis perſpicua dividendo & reſolvendo nobis nota: γνώριμα γίνεται τὰ στοιχεῖα, καὶ αἱ ἀρχαὶ διαιρῶσι τὰ ἡμῖν δῆλα καὶ σαφῆ.

o 1. Phyſ. t. 3.

XXIII.

Neq; excludo hinc ſyllogiſmum ἐξ ὑποθέσεως, in quo etiamſi non ſit vis dicti de Omni aut Nullo, neceſſitas tamen conſecutionis aliquid facit, vulgo ducentem ad incommodum appellant, ut & exemplum quo alluſiſſe puto Ariſtotelem cum in Prioribus conſtitui exemplis ait: Finitimum bellum eſſe perniciosum.

XXIV.

Arma quin etiam Dialectica hut multum faciunt, ut monuit Ariſtoteles p & fusè ibi explicuit.

p 1. Topico C. 2.

XXV.

Valet quoq; non parum Definitio Principiorum Socrati approbata in principijs inquirendis, immò excogitata. Duo enim ſunt quæ Socrati jure proprio tribui poſſunt: Inductivæ orationes & Definitionum uſus, utrumq; & ſcientiarum Principia ab eo adhibitum, ait Ariſtoteles. q

q 12. Metaph. C. 4.

XXVI.

Neq; hic Experientiam prætermiſerim, cujus maxima quoq; in exſtruendis Principijs vis eſt. Ea naſcitur ex memoriâ rerum, quas ſenſus ſemel iterumq; ſuppeditavit.

XXVII.

Ex repetitâ enim ſenſione memoria gignitur, multæ verò ejusdem rei memoriæ vim unius habent experientiæ, r *Inde Principiorum cognitio.*

r 2. Poſt cap. ult. & 1. metaph. c. 1.

Docuit

Digitized by Google

XXVIII.

Docuit hoc alibi clarè Aristoteles s *& generatim Principia cujusq; Rei aut disciplinæ experientiæ esse tradere, puta Astrologicæ disciplinæ Principia, ex Astrologiâ Experientiâ duci: observatis enim φαινομένοις quantum satis est, inventa sunt Astrologicæ demonstrationes.*

s 1. Prior Sect. 2. C. 30.

XXIX.

Hanc experientiam miror cur Averroës omiserit, an fortè quod sectatores ejus volunt, cum consuetudine numeravit? fecerit sanè, minus tamen benè.

XXX.

Eustratius sanè rectè sejungit à consuetudine, quia consuetudo ex actione t *oritur: Experientia ex observatione, etsi maximè in aliquibus conveniunt, id ex eventu fit & minimè necessariò.*

t 1. Rethor. C. 10.

XXXI.

Hæc omnia Principiorum faciunt notitiam, offerentia terminos menti, quos simul ac ipsa contemplata fuerit, ita esse certissimè cognoscit, maximèq; & ἀμεταπτώτως credit, & ad eorum normam refert omnia quæ consequuntur.

XXXII.

Quia verò methodus omnis ex duabus componitur partibus, modo sciendi nimirum & ipsa scientia, u *duplicia quoq; statuenda erunt Principia: alia quæ modum sciendi spectabunt, alia quæ scientiam ipsam respicient.*

u 1. de Partib. animal. C. 1.

XXXIII.

Et de Principijs quidem quæ ad modum tractandi pertinent, primo loco erit agendum. w *absurdum enim est unâ scientiam, modumq; sciendi quærere, de illis quæ ad scientiam, secundo.*

w 2. metaph. t. 15. & Gal. 2. de Temperam. C. 2.

XXXIV.

Principia quæ ad modum tractandi pertinent sunt τελὸς ἐχον, ratio & vis demonstrationum ac Definitionum, Ordo seu Dispositio partium Methodi. In Ethicis additur & Auditor.

XXXV.

Notandum etiam hoc in quavis methodo unum aliquod Principium esse commune, quod reliquis omnibus supponatur, & in quod illa alia Principia (habent enim latitudinem quandam etiam Principia) resolvantur, seu Rei illud sit Principium & Cognitionis, seu Cognitionis solùm.

XXXVI.

Ita in primâ Philoſophiâ: Impoſſibile idem ſimul eſſe & non eſſe, in Ethicâ bene educatum eſſe, In Mathematica continuum dividi in infinitum prima ſunt principia.

XXXVII.

Hoc ideo ne infinitas Principiorum conſtituatur, quam recte damnârunt omnium ſeculorum Philoſophi, ne incertitudo eorum ſimul ſtatueretur: Infinitum enim omne incertum & obſcurum.

XXXVIII.

Hiſce de Principijs præmiſſis nunc videamus quibus ex cauſis ſæpè allucinemur: Primum: quandoq; Principia eſſe negamus, de quibus multa ultro citroq; diſputari ſolent, & ſophiſticæ in contrarium producuntur cavillationes.

XXXIX.

Atqui ſufficire nobis debebat, ſi alias Principij conditiones haberent, etſi præfactus aliquis aut diſtortus vera Principia q; eſſe ore neget, quæ animo tamen agnoſcere debet. x

x 1. Poſt. C. 8.

XL.

Deinde evenit nonnunquam, y *ut quædam perſpicua ſint & aperta, ſi primâ fronte ſpectentur, interius tamen conſiderata latebræ occurrunt, quæ niſi introſpiciantur, rei & principij veritatem conturbare poſſunt. Quales latebræ 1. Phyſ. multæ apparent.*

y 1. Poſt, t. 76. Vide Cremon. p. 61. a.

XLI.

Erramus etiam quia putamus omnium debere afferri demonſtrationes, adeoq; nihil eſſe volumus Principium non diſcernentes, quod per ſe notum eſt, ab eo quod obſcurum per ſe, nec perſpicientes, cum cujusq; rationis antecedens notius eſſe debeat conſequente, nihil dari poſſe notius eo, quod nos conſequens facimus.

2. Phyſ. t. 6.

XLII.

Erramus etiam ſi pro principio venditemus, cujus oppoſitum veriſſimum eſſe κατὰ πάντων *ejus ſcientia doceat, verbi gratia, omnia quieſcere, cum moveri quædam ſenſus convincat.* z

z 8. Phyſ. t. 22.

XLIII.

Hæc verò infirmitas mentis eſt, atq; is qui ita progreditur, malè judicat apud

apud Aristotelem, quid melius pejusvè sit, quid credendum quid non credendum, neq; distinguit principium ab eo quod non est principium.

8. Phys. C. 6.

Παέρεργα Physica.

I.

RECTÈ Græci nullas alias agnoscunt formas Elementorum, præter qualitates primas, hæ enim sunt differentiæ eorum substantiales, materiæ primæ adjunctæ, ad ea constituenda.

II.

Naturæ definitio etiam cœlo competit.

III.

Mens indiget sensu & in principio & in fine cognitionis.

IV.

Visus auditui præferendus) (non præferendus.

Παέρεργα Politica.

I.

QUanquam rectè quædam in Reipub. quandoq; crudeliter fiunt, tum ad incutiendum hosti terrorem, tum (ut loquitur Tacitus) quo cæteris major quies esset, tamen pessimè in hæreticis id exstinguendis usurpari censemus.

II.

Non adsentior in totum Scipioni apud Livium, qui militem aurum in armis habere vetat.

III.

Plus mali metuendum à Principe simplice, facili, & indulgente, quam à callido & severo.

IV.

Neutralis in omni bello, in omni seditione noxia.

V.

Virtus excelsa suspecta regibus, itaque à Prudentibus sæpè neglecta, cum exserere sese posset, sæpè dissimulata.

DISPU-

DISPUTATIO XII.

MICHAELIS PICCARTI

THESES

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De

IVDICIO ET ACUMINE,

Respondit

Matthæus Staudnerus Norimb.

Mens. Decem. cIↃ IↃ cV.

THESIS I.

MEns humana, vere imago supremæ mentis, quæ est DEVS Opt. Max. à Platone Philosophiæ patre comparatur tabulæ rasæ, cui inscribi possit, quidquid quisque velit, dummodo sit cognoscibile aut agibile.

II.

Habet se item ut speculum, quod quo magis lævigatur & expolitur, eo est præstantius: ita mens, quæ expolitionem etiam admittit, eámque duplicem, inveniendi acumen, & judicandi peritiam sive judicij acrimoniam.

III.

Vtrumque bonum insigne est, & tanto quidem præclarius, quo rarius, quippe non nisi in illis relucens, qui naturaliter sunt εὐφυεῖς.

IV.

De utroque videamus, quamquam de judicio magis propriè & primo loco, quod quamquam Arist. teste doceri non potest, nec magis quàm gustus aut odoratus, ut loquitur Quintilianus lib. 6. cap. ult. adjuvari tamen posse & expoliri Naturæ beneficio censemus, quod in alijs quoque naturalibus facultatibus fieri liquet.

V.

Quibus verò adjuvetur, facilius cernere non erit, quàm si videamus, quibus rebus Philosophorum Coryphæi judicandi munus & officium adsignent.

Dedu-

VI.

Deduxit nos huc Octavianus Ferrarius, vir in Philoſophia ſummus, qui quinque apud Ariſtotelem collegit, quibus hoc ab eo adſignatum eſt.

VII.

Primum eſt cognitio, de qua Ariſt 1. Ethic. cap. 1. perſpicuè : ἕκαστος μὲν οὖν κρίνει καλῶς ἃ γινώσκει, unusquisque ea rectè judicat, quæ cognoſcit.

VIII.

Alterum eſt virtus, de qua eodem 1. libro cap. 9. Ethicorum, ubi de honeſtis actionibus : ἔστι καλῶς κρίνει περὶ αὐτῶν ὁ σπουδαῖος, κρίνει δ' ὡς εἴπομεν, ſi modo rectè de ijs (honeſtis actionibus) bonus vir judicat ; judicat autem uti diximus.

IX.

Repetit hoc 3. quoque Ethic. cap. 6. ὁ σπουδαῖος δὲ ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς, bonus vir ſingula rectè judicat, & 3. Eudemio. cap. 5. κρίνει δὴ περὶ τὰ ἕκαστα ἕξις τὸ μεῖζον καὶ τὸ ἔλαττον ὀρθῶς : in ſingulis bonis, quod majus aut minus eſt, virtus rectè judicat. Quod neſcio an non de Magnanimitate in ſpecie dictum potius ſit ?

X.

Tertium eſt ſcientia, cui judicandi munus adſignat tertio politico. ὅτου δίδομεν ἢ τὸ κρίνειν ὀλίγον τοῖς πεπαιδευμένοις ἢ τοῖς εἰδόσιν : Judicare, inquit, Pædia præditis nihilominus, quàm ijs qui ſciunt adſignamus, quo pertinere videntur, quæ Ariſt. habet quoque 2. Eudem. cap. 3. ἐν πᾶσι δὴ τὸ μέσον τὸ πρὸς ἡμᾶς βέλτιστον κελεύει ὀρθὸν εἶναι καὶ ὁ λόγος. In omnibus verò ſcientia & ratio medium noſtri reſpectu, quod ſit optimum, præcipit.

XI.

Quod idem videtur & Plato in Lachete ſub perſona Socratis ſenſiſſe, cum eum loqui facit : ἐπιστήμην δὲ οἶμαι δεῖ κρίνεσθαι, ἀλλ' οὐ πλήθει τὸ μέλλον καλῶς κρίνεσθαι. A ſcientia judicari debere opinor, non à multitudine, quod rectè judicandum eſt.

XII.

Quartum Ars eſt, de qua eodem 3. Politico. cap. XI. Ariſtoteles : δόξειε ἂν τοῦ αὐτοῦ εἶναι τὸ κρίναι, τίς ὀρθῶς ἰάτρευκεν, ὅπερ καὶ τὸ ἰατρεύσαι καὶ τὸ ποιῆσαι ὑγιᾶ τὸν κάμνοντα τῆς νόσου τῆς παρούσης. Οὗτος δὴ ἐστὶν ἰατρὸς. ὁμοίως δὴ τοῦτο καὶ περὶ τὰς ἄλλας τέχνας καὶ ἐμπειρίας. ὥσπερ οὖν ἰατρὸν δεῖ διδόναι τὰς ὑφὰς ἐν ἰατροῖς, οὕτω καὶ τοὺς ἄλλους ἐν τοῖς ὁμοίοις. Videtur ejusdem eſſe, quis rectè ſit medicatus, judicare, cujus & mederi agrúmque ſanare, ac morbo præſente liberare, hic autem medicus eſt. Atque hoc ſimiliter

etiam in alijs facultatibus longo uſu partis, & artibus locum habet. Quemadmodum enim Medicus apud Medicos judicium rationum referundarum ſubire debet: ſic & alij artifices de ſuarum artium rebus.

XIII.

Quibus conſentit Alexander in 1. Top. Σοφοὶ δὴ οἱ τεχνῖται περὶ τὰ ἰδικά, *ſapiunt artifices circa propria. Et nobiliſſimus olim pictor ſutorem in crepidâ cenſorem ferebat.*

XIV.

Meminit ſuperior Ariſtotelis locus Quinti, quod eſt Experientia, de qua clarius Ariſt. in 10. Nicom. cap. ult. cum ait: ὁ γὰρ ἔμπειροι περὶ ἑκάστα κρίνειν ὀρθῶς τὰ ἔργα: *Experientes enim ſingularum rerum rectè opera judicant.*

XV.

Hu quinque facultas judicandi ab Ariſtotele & alijs Philoſophis tribuitur, quæ magnam partem concurrunt, ſeorſim tamen etiam ſpectari poſſunt.

XVI.

Vnde nos duplex facimus judicium, aliud περὶ πᾶν *judicium, ſive* ὅλως *judicium, quod Euſtathius appellare videtur* πολυπράγμονα ἐν πράγμασιν, *magnum rerum uſum. Aliud judicium de certa quadam re.*

XVII.

Illud ex complexu omnium quinque naſcitur, puta ſi quis natura εὐφυὴς, *ſi cognitionis ſit avidus ab ineunte ætate, ſit* φιλομαθὴς καὶ φιλήκοος.

XVIII.

Si virtutum ſtudijs ſe emancipet, & ſecundum earum præſcriptum vivat, ſi ſcire etiam res quasvis ἀκριβῶς *& per cauſas laboret, non contentus nuda rerum noticiâ, quæ ab Alexandro* τήρησις *dicitur* ἀναίλως.

XIX.

Si artium & Artificum obſervet decreta, ut ea cum opus ſit in numerato habeat. Qualia ſunt ſecundum Alexandrum iſta Hippocratis in Medicinâ: Labores ſpontanei indicant morbos, Febricitantibus convenit diæta humida. Si denique colligat Experientia rerum Principia, & quæ ab ijs, actionum item conſilia, cauſas, παθήματα, *eventus, ſymptomata, & alia.*

XX.

Hoc vero judicium optare potius ſit quàm ſperare, multo minus reperire, niſi forte talis fuerit Ariſtoteles & Averroes, de quo tamen poſteriore ſæpius ambigo, quandoque etiam de priore.

XXI.

Iudicium reſtrictum ad certam materiam quia crebrius eſt, ideo minus nobile,

nobile, quod tamen laudem ſuam apud aquos rerum æſtimatores, eámque maximam obtinet.

XXII.

Acumini certè præferri debet ſive in Theoreticis ſive in Practicis. Eſt autem Acumen Ταχύτης in invemendo, qua celerrimè Mens movetur & novum quid excogitat.

XXIII.

Acumen enim etiam in juvenibus eſſ[illegible]eſt, judicium eſſe non poteſt, quod ſenis eſt proprium, venítque ætatis, ſi Plauto credimus, anno 47. cum florere incipit animus, corpus defloreſcere.

XXIV.

Quid quod acumen plærumque noxium, judicium utile, quod exemplo docuere Athenienſes & Spartani. quorum hi judicio valebant, ij acumine, Spartani tamen Rempublicam ſuam diutius conſervarunt.

XXV.

Acuti præterea in Theoreticis ſemper aliquid movent & innovant, ut digito oſtendantur, nec verentur ipſa principia labefactare, quantum in ſe eſt. Vnde mirum ſcientiarum chaos fieri neceſſe eſt.

XXVI.

In Practicis item innovatio omnis periculoſa, καὶ πολλῆς εὐλαβείας, inquit Ariſt. 2. Polit. cap. 8.

XXVII.

Acuti tales in Theoreticis natare tantum ſolent, neque quicquam ſolidi habent cui innitantur. Sunt enim ἐυκίνητοι & cras aliud fingunt, ne effœtum eorum videatur ingenium.

XXVIII.

In Practicis nihil certi concludunt, neque in conſiliis firmi ſunt, ſed ſuſpendunt potius animum ejus, cui conſulere debeant, complures afferendo modos, eluctandi è difficultatibus, ſimul tamen coacervando pericula.

XXIX.

Denique hi tales ſæpè errant in Theoreticis propter multiplicem inventionem, cum enim verum ſit unum & ſimplex, facilè obliterari poteſt ea multitudine.

XXX.

In Practicis multipliciter quoque peccant, dum hoſtes ſuis judicant ingeniis, qui ſtupidi ſæpè ſunt, & inferiore, ut poetæ loquuntur, metallo cuſti.

XXXI.

Dicas, ſi coincidant, magnum iſta duo juncta virum conſtituent, & aliquem, ut ita loquar, DEVM Humanum, ſive, ut veteres loquebantur, Semihominem.

XXXII.

Vellem quod velles, ſed neſcio an per Naturam liceat. Nam ſi Medicos audimus, naſci illi Acumen dicunt in hominibus biliosis; judicium à Melancholia, quæ frenum eſt humorum.

XXXIII.

Atque hoc mixtum inter bilem & melancholiam eſt rariſſimum, immò vix putant illi jungi poſſe, & ſi maximè jungantur quandoque, mixturam tamen illam inexplicabilem eſſe.

XXXIV.

Intelligi hoc clarius ex viſu poteſt: ſi enim quis acutiſſimè videat, ille non benè diſcernit inter res, contra qui non tam acutè videt, melius diſcernit: ita qui acumine valet, multa quidem cernit, ſed pauca diſcernit. Iudicio verò præditus diſcernit eximiè, quamquam minus multa cernat.

XXXV.

Hæc de judicio, & propter id de Acumine dicta ſunto. Obſervetur verò, & Analyticam doctrinam, ab Ariſtotele traditam, mirificè judicij rectitudinem in homine confirmare, quod monet Ariſtot. cum Pædia dijudicandi munus adſignat 1. de partibus.

XXXVI.

Illa enim diverſitatem ſcientiarum, artium, aliarúmque rerum aperit, & qua regula quæque menſurari debeant monet, & omnia ſuperius dicta reſpicit.

XXXVII.

Huc pertinent varij tituli, quibus Ariſt. Iudicij imbecillitatem veteribus Philoſophis objicit, qui ſine his, quæ à nobis hac diſputatione propoſita ſunt, intelligi nequeunt.

XXXVIII.

Vt quòd 8. Phyſico. cap. 3. eis objicit ἀρρωστίαν τῆς διανοίας, quæ opponitur τῇ εὐφυΐᾳ ſive aciei & perſpicacitati mentis.

XXXIX.

Quòd 4 Metaph. cap. 4. ἀπαιδευσίαν ſimpliciter & ignorantiam objicit, quæ cognitioni & ſcientiæ adverſatur: quòd 1. Phyſic. t. 71. & 1. de ortu & interitu ἀπειρίαν Experientiæ contrariam & arti.

Quòd

XL.

Quòd pravam conſuetudinem toto penè cap. 3. A minorie Metaphyſici & 7. Ethic. cap. 10. quam virtuti, ſuo quodam modo è regione collocat. Quòd denique ἀπαιδολογίαν τῶν ἀναλυτικῶν 4. Metaph. cap. 3. Hæc, inquam, omnia rectius intelligentur nunc, ex iis quæ dicta ſunt.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

NEſcio veriúsne an pulchrius ſcripſerit D. Chryſoſtomus: Articulos fidei è Philoſophia velle evincere, eſſe candens ferrum non forcipe ſed digitis velle contrectare.

II.

Dialogus non eſt imitatio.

III.

Non, ſi Hippocrates aut Galenus contagium non revocavere ad cauſas peſtis, ideo peſtis nulla eſt contagioſa.

IV.

Non fit nobis veriſimile, venena, quæ ſemper & abſolutè talia ſunt, à quibusdam conſuetudine in cibum aut alimentum verſa.

V.

Bodinus Ariſtotelem, qua de ſpeciebus Regni tradit, miſerè exagitat, plurima carpens, omnia malè, quædam etiam ineptè.

VI.

Magiſtratus petere non eſt ex uſu.

VII.

Ut compoſitum non eſt præſtantius Formâ, nam Materia For-
Formæ addita tantum abeſt, ut addat aliquid, ut demat potius: ita non video, cur excellentiores dici debeant, qui præter liberales habeant etiam ſerviles virtutes, quoniam hæ perfectis viris demunt potius aliquid, quàm addunt.

DISPUTATIO XIII.

MICHAELIS PICCARTI

THESES
De
DEFINITIONE.

Respondit

Johannes Georgius Vestner, Altorfinus.

Mens. Majo. cIↃ IↃ c VI.

THESIS I.

Triplex est progressus mentis humanæ, in perfectionis suæ Theoretica consecutione, Inductio, Divisio & Definitio. Inductio similitudinem & convenientiam rerum intuetur. Divisio dissimilitudinem & differentiam rerum intuetur. Definitio, suam cujusq; οὐσίαν & τὸ τί ἦν εἶναι.

II.

De Inductione & Divisione aliàs. De Definitione, quoniam τὸ τί ἦν εἶναι ἐκάστῳ τῆς γνώσεως πέρας, nos nunc quod possumus.

III.

Primo autem omnium ne vocabulum nobis imponat, homonymiam ejus disquiramus, varie namq; ab eruditis usurpatur.

IV.

Alij enim quodlibet principium, definitionem dixerunt, eo consilio, quod quemadmodum definitio describat definitum, ita principium suum describat principiatum.

V.

Alij etiam omnem regulam definitionem appellarunt, quemadmodum, ICTI omnem in jure definitionem periculosam esse dicunt: Has duas vocabuli definitionis, significationes, quia nimis latæ, merito rejicimus.

Proprijs-

Digitized by Google

VI.

Proprüſſime tandem uſurpatur, pro qualicunq; nominis aut rei explicatione. Hanc nos recipimus. Atq; hæc ab Ariſt. ὅς Θ· appellatur.

VII.

Quod vocabulum logices proprium non eſt: Sed ex ſcholiis Geometrarum petitum, qui regionem certis limitibus circumſcribentes, illam περιγραφὴν ὅρου appellarunt. Hos philoſophi imitantes, ſpeciei cujuscunque deſcriptioni idem nomen dederunt.

VIII.

Definitio nominis ὅρΘ· ὀνομαλώδης dicitur, item λόγΘ· ἐννοημάτικΘ·, quia conceptum mentis, de re, qui per nomen effertur, aperit. Hujus virtus eſt auctore Galeno, ut omnibus nota ſit, qui eadem lingua utuntur, & rei naturam non attingat.

IX.

Rei definitionem pro duplici res conſiderandi modo, dupliciter etiam Ariſtoteles definit, πραγμαλικῶς ut 7. Metaph. & λογικῶς ut in 1. Top. & 2. poſt: In qua duplici definitione adſerenda, nihil peccavit, ut putant multi.

X.

Πραγμαλικῶς in Metaphyſicis ita definit, quod ſit: αἴτιον τοῦ εἶναι & recte quidem: In rebus namq; quacunq; cauſa conſtituens recte definitio dicitur.

XI.

Atque hac ratione omnis definitio cauſalis dici poteſt: Cum tamen aliàs nomen illud eximie obtinuerint illæ ſolum, quæ efficientem & finem habent.

XII.

Λογικῶς verò longe aliter definitur, ut videre eſt, ex 1. Top. c. 5. & 2. Analyt. c. 10. Dicitur enim λόγΘ· ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων: Oratio quæ quod ſit eſſe rei indicat.

XIII.

In hac definitione primò notandum, Cum definitio eſſentiam rei explicet, res autem quælibet unicam habeat eſſentiam, unicam cujuſq; rei definitionem eſſentialem ſolum dari poſſe.

XIV.

Ex genere deinde manifeſtum eſt, quomodo hæc definitio ab illa, quæ in Metaphyſicis eſt, differat: hæc enim λόγον, illa rem conſiderat. λόγον autem non rationem (ut novis philoſophis placet) ſed orationem interpretamur.

XV.

Hinc fluit: omnem definitionem ad minimum duabus conſtare vocibus debere, aliàs definitio non eſſet Oratio.

Per

XVI.

Per τὸ ὄν vocabulum Illuſtris Scaliger, naturæ continuationem & perpetuitatem notari putat: Alexander verò, pro ἐξ positum dicit, idq; proprium eſſe græcæ linguæ affirmat.

XVII.

Per τὸ εἶναι generis natura ſecernitur, genus namq; quoq; τί ἐστι affert, non tamen τί ἐστι τὸ εἶναι.

XVIII.

Atque de definitionis definitione hactenus. Nunc porro, quæ & quomodo definiantur videndum eſt. Hoc ut poſſimus conſequi, Entium diviſio repetenda eſt.

XIX.

Ens dupliciter accipitur: Aliquando pro ſubſtantia, aliquando verò pro Accidente.

XX.

Accidentium proprie definitio non eſt: propriam enim eſſentiam, ſic ut per ſe ſubſtant non habent, illorum enim eſſe eſt ineſſe. Impropriè verò, & ſecundario illiu definitio denegari non poteſt. Quod enim accidentia tricubita, aut quadricubita, quod colores aut figuræ ſint, hoc à ſe habent, plerunq; tamen mentione ſubjecti facta, definiuntur.

XXI.

Relata verò fundamento & termino definire ſolemus, nullum enim relatum, ſine correlato conſiſtere poteſt.

XXII.

Subſtantijs verò ſublunaribus, nam alijs definitiones non competunt ex ſuis cauſſis, quia per ſe ſubſiſtunt rectè definitio tribuitur.

XXIII.

Neque tamen omnibus. Aliæ enim Vniverſales, aliæ ſingulares, aliæ denig; ſunt inter has quaſi mediæ.

XXIV.

Vniverſalium ſive ſummorum generum, quia genere carent, definitio eſſe non poteſt. Neque ſingularium, cum quia ſingulares ſunt φθαρτὰ tum etiam, quia ſcientiæ ad ſingularia ſe non demittunt.

XXV.

Relinquuntur ergo ſubſtantiæ intermediæ (ut ſpecies & genera ſubalterna) quæ ſi ſunt Synonymæ rectè definiuntur: habent enim genera & differentias, ſin verò homonymæ, itidem definiri non poſſunt, niſi diſtinguantur.

Sunt

XXVI.

Sunt præterea ſubſtantiæ quædam arte factæ, quibus, quia ſunt mutabiles, rectè definitio adimitur, quædam vero naturales & compoſitæ, quibus, quia eſſentia quoque compoſita eſt, definitio competit.

XXVII.

Ex hic clarum, ut opinor, eſt, quæ primo, & quæ ſecundariò definiantur, ſubſtantiæ nimirum ſubalternæ & naturales, deinde etiam accidentia.

XXVIII.

Cæterum quomodo harum definitiones inveſtigandæ ſint, ducem nos ſequi oportet Ariſtotelem, qui nobis triplicem in Analyticâ poſterioribus præſcripſit modum.

XXIX.

Primus eſt accidentium: quando per demonſtrationem, quæ medium habet eſſentiale, colligimus definitionem.

XXX.

Si enim v. g. Ecclypſeos Lunæ in Demonſtratione eſſentialem habemus cauſſam, puta interpoſitionem terræ, Definitio ejus in promptu eſt, quod nimirum Ecclypſis ſit defectus luminis lunaris propter interpoſitam terram.

XXXI.

Sed hic quæri ſolet, quid in reductione definitionis in demonſtrationem majoris extremi locum habere debeat, propria ne paſſio an ejus genus? Paſſionem nos dicimus, non genus.

XXXII.

Secundus modus Infimarum ſpecierum eſt, qui aliàs intuitio individuorum vocatur, quod videlicet ex iſta intuitione communia prædicata colligantur.

XXXIII.

Si nimirum quærantur prædicata in quid, & talia quidem, quæ ſint intra genus ſpeciei definiendæ, ſic tamen ut ſingula definito latiora ſint, conjuncta vero definitum exæquent, & cum eo reciprocentur.

XXXIV.

Tertius eſt generum ſubalternorum, ubi jubet nos Ariſtoteles, infimas ſpecies colligere diviſione, & per ſuperiorem regulam definire, ex quarum communibus tandem una aliqua generis definitio fabricari poterit.

XXXV.

Atque huc quidem facit diviſio, tanquam miniſtra, non domina; Sumit enim ſolum diviſio, non cogit. Adeoq; Plato non bene fecit, qui in ea arcem ſapientiæ collocavit.

XXXVI.

In omni definitione maxime ad tria respiciendum est. Primo ut sumantur κατηγορήμενα ἐν τῷ τί ἐστὶ, *Cujusmodi sunt genera & differentiæ generibus junctæ. Seorsim enim differentiæ non* ἐν τῷ τί ἐστὶ *sed in quale prædicantur.*

XXXVII.

Vt vero sciamus prædicata ἐν τῷ τί ἐστὶ *esse inventa, docet nos dialectica, quæ hac de re agit: neque enim alio modo ea probare possumus, nisi dialecticè. In substantijs enim insunt immediate, non propter causam.*

XXXVIII.

Secundo requiritur, ut ista prædicata certo ac decenti ordine ponantur. Item ut prædicata ista unum fiant, quemadmodum & definitum est unum, atque ita nihil supersit, nihil desit, hoc ut fiat, inquirenda semper ultima differentia est.

XXXIX.

Atque ita à singularibus ascendendum est ad universalia, facilius enim decipimur in universalibus, atque propterea facilius est speciē definire quam genus.

XL.

Videndum etiam est in definitonibus, ne genus sit homonymum, ne Metaphoræ sint insertæ, ne longa, quæ omnia definitionem reddunt obscuram, item ut sit universalis.

XLI.

Hic addunt alij: Bonam definitionem aperire fontes errorum, & monstrare, quomodo alij in definiendo deflexerint, deducere nos in semitam eos dissolvendi.

XLII.

Item ex Definitione bona elucere ἴδια πάθη καὶ καθ' αὐτὰ ὑπάρχοντα. *Definitionem contrarij, quæ omnia si in definitionibus non observentur, pro legitimis non sunt habendæ.*

XLIII.

Hic notandum, hæc præcepta intueri definitionem generaliter, non considerare, illam incredibilem varietatem definiendi quæ partim ex varijs rerum differentijs nascitur, partim ex varia earum consideratione.

XLIV.

Quælibet etiam scientia, & quilibet Artifex peculiarem definiendi τρόπον habet, Ethicus namque & Politicus ex προαιρέσει *definiunt.*

XLV.

Physicus vero respectu Mathematici ἐκ προσθέσεως *definire dicitur. Mathematicus contra* ἐξ ἀφαιρέσεως, *Atq. hoc ad particularem pædiam pertinet.*

Aliter

Digitized by Google

XLVI.

Aliter etiam definiuntur vocabula ab uno; aliquando enim enumeratione significatorum eorum natura explicatur: Aliquando vero eximia illa species solummodo consideratur, ut videre est in definitione civis apud Aristotelem.

XLVII.

Colophonis loco duo Galeni dicta addamus, quæ probe notanda hoc nostro seculo sunt, Priori nos monet, ut summo studio nobis caveamus ab illo vitio Φιλοεργίας, suo enim tempore, homines eo ita laborasse scribit, ut etiam olera ementes definiverint. At, hodie quid sit aliud?

XLVIII.

In secundo nos admonet, non semper esse expectandas istas expressas definitiones, sed satis esse si rerum natura copiose tractetur, diligenterq; evolvatur. Atque hæc de Definitione hac vice dicta sufficiant.

MELIORA MELIORES.

PARERGA.

I.

IN rerum mutatione fatum consilia nostra sibi adaptat.

II.

Hostes seditiosos sola discordiæ fiducia invadere periculosum est & anceps.

III.

Continuatio honorum & Magistratuum pernicioſa, præsertim, si continuentur in eadem familia.

IV.

Contumeliæ à Principe factæ privatis, sæpè nocent publicè.

V.

Nugatoria in speciem viro prudenti in Republica non negligenda.

(o)

DISPUTATIO XIV.

MICHAELIS PICCARTI

DE VERITATE.

Respondit

Johannes Jacobus Heberus.

Mens. Decem. cIↃ IↃ cVI.

THESIS I.

IN multis rebus præ cæteris animalibus ἀοεξίαν quandam habet Homo, quæ ipsa ostendit libertatem ejus, in quâ perfectio quædam non leviter apparet.

II.

Cernitur ea ἀοεξία primùm in partu & productione hominis. Reliquis animalibus pleriq; certùm & definitum est tempus, quò edantur in lucem, homini non est, sed variat mirificè.

III.

Cernitur in victu: Edit homo genus piscium, avium, pleraq; animalium, bibit hunc, illum potum; aliter affecta sunt bruta.

IV.

Observatur in aëre, quem item omnem fert homo, non etiam alia animalia.

V.

In vestitu qq. & alijs externis adjumentis; homo nudus nascitur, alia animalia pilosa, pinnata, squammata &c. potest tamen sibi ex aliorum animalium coriis aut lanâ vestes facere.

VI.

Nascitur inermis, cum alijs animalibus arma quædam natura tribuerit. Manibus tamen instructus est â natura, quæ sunt instrumenta instrumentorum, quibus armorum quodvis genus apprehendere potest, quodvis instructum fabricare.

Apparet

Digitized by Google

VII.

Apparet idem in linguâ, cujus libertatem maximam habet, neq; enim ad hanc vel illam naſcitur, ſed cuicunq; adhibetur, ad eam ſeſe accommodat.

VIII.

Eâdem ἀοριστίᾳ & libertate utitur in cognoſcendo. Cum enim reliqua animalia ſenſu ſolùm cognoſcant: homo & ſenſu, & mente, & intellectu res percipit.

IX.

De ſenſu & mente nunc nihil, de intellectu aliquid. Eum diverſimodè ad cognoſcendum intendit, & pro varietate ſcoporum, ad quos collineat, diverſimodè res intuetur & cognoſcit.

X.

Aliquando enim intendit intellectum in res ipſas, & prout extra ſunt, ita eas intùs in animo concipit, dicituráq; hæc cognitio Veritas ἁπλῶς καὶ κυρίως ſeu πρωγμάτων, eſtq; adæquatio intellectus noſtri cum reipsâ.

XI.

Quò pertinent iſta Philoſophi noſtri: Intellectum intelligendo fieri ipſum intelligibile. Item tantùm quamque rem habere veritatis, quantum habeat Entis.

XII.

Atq; hæc fortaſſe veritas poteſt quodammodò dici ineſſe rei, quia res eſt archetypus conceptuum noſtri intellectus. Hoc item intuitu verum & Ens converti dictum putant â Philoſophis, quod in dubium tamen vocari poſſit.

XIII.

Hæc veritas propriè Scientiarum Theoreticarum eſt, quæ in ſemet ipſas ut Circulus redeunt, neq; extrà rei Subjectæ cognitionem porrigiuntur, in quibus res cognoſcenda eſt μέτρον, intellectus μετρητὸν.

XIV.

Aliquando verò homo intendit aciem intellectus ſui non in rem cognoſcendam primò, ſed in hominum de ea judicia & opiniones, ſatiq; ſibi putat, ſi aliorum ſuper eâ re opiniones habeat cognitas, quam cognitionem ſuam, etiam veritatis titulò donat, ut videre eſt apud Ariſtotelem 4. Topic.

XV.

Quod idem 6. Ethic. jubet nos προσέχειν τῶν ἐμπείρων καὶ πρεσβυτέρων καὶ φρονίμων ταῖς ἀναποδείκτοις φάσεσι καὶ δόξαις οὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων.

XVI.

Dicitur hæc dialecticam veritas & Scientia etiam nomine Philosophiæ venit, sed cùm adjectione, quod sit Scientia δοξαστικὴ vel ὑποδοξαστικὴ, cui ex adverso respondet prior, quæ dicitur ἐπιστημονικὴ. Ammon. in Postpradicam.

XVII.

Interdum intellectus neq; rem κυρίως intuetur, neq; hominum opiniones, sed Salutis tabulas, & inspiratorum divinitus hominum Oracula, & ex illis de rebus judicium petit, etsi naturali & universali rerum Seriei repugnent, aut παράδοξα videantur, quia naturæ cursum in unô aut altero singulari immutavit Potentissimus & liberrimus naturæ arbiter. Et hæc Veritas dicitur Theologica.

XVIII.

Vnde non rectè Robertum Olchot reprehendit doctissimus Mazonius, statuentem in primo sententiarum: Philosophorum rationes naturæ veritatem habere, Theologorum verò fidei articulos, veritatẽ desuper ostensam & patefactam.

XIX.

Naturæ enim potentiam & vim Philosophus indagat, & in agendo conformitatem: neq; se in abditam DEI OPT. MAX. Majestatem penetrat, quidq; ipse in naturam possit, hoc vel illô modô scrutatur.

XX.

Deniq; intellectus noster sapè in cognoscendo finem intuetur, aut utile, & pro vero id habet, quod ad finem & usum maximè est accommodatum.

XXI.

Id quod accidere videmus in Practicis disciplinis & artibus, in quibus intellectus est μέτρον res, μετρητὸν, ut & in superioribus, exceptâ primâ.

XXII.

In hu dum Intellectus finem intuetur, nihil attendit argumentationes & eruditiores disputationes, quæ veritatem rei rerum ejus esse proponunt, siquid non faciunt ad ejus usum seu finem.

XXIII.

Fines enim (ut ajunt acutissimus Montecatinus & ingeniosissimus Flaminius) est terminus, quô tanquam regulâ ac mensurâ mediæ mensurantur, quibus præscribitur modus, ut tantoperè ea quærantur, quantoperè adjuvare eum terminum ad finem possit.

XXIV.

Illustremus Exemplo: in Medicina Medicus Practicus non exquirit scrupulosè aut superstitiosè, sitne calculus, dysenteria &c. morbus an causſa morbi?

Fiat

Digitized by Google

Fiat ne viſio emittendo an recipiendò? Iſta enim methodum medendi non immutant, ſcilicet hoc vel illô ſentias modô.

XXV.

Sic quomodo hæc vel illa res in Medicinâ appellanda ſit, non diſputat aut altercatur diù Medicus, voces tulicet, blyteri, aut ſcindapſum, dummodò rectè eâ & ad ſanitatem accommodatè utaris.

XXVI.

Quam Liberalitatem in largiendo alteri appellationem commendat ſuo Exemplo Galenus l. 2. de diffr. pulſ. c. 2.

XXVII.

Et rectè: ne verum tandem poſt longas diſputationes neceſſe habeamus fateri, diſputationem quid noſtris fuiſſe, quâ de re conqueſtus olim idem Galenus, noſtro Seculô Vir Summus. Fr. Valleſius.

XXVIII.

Iuris Conſulti etiam partes & convenientias rerum conſiderant, non quæ ab intimis earum naturis & proprietatibus manant, ſed quæ extrinſecùs ex moribus, pactiſq́, quibusdam humanis in eas adducuntur. Subtiliora iſta Philoſophis tanquam ab uſu ſuo aliena relinquintes, Montecat. 1. Polit.

XXIX.

Subtiliores iſtas quæſtiones Galenus olim Logicas ad pellabat, ut videre eſt, 1. de locis aff. c. 1. quia videlicet ingenium potiùs acuerent, quam uſum haberent, (unde I. C. l. 3. de jure dotium inutiles Subtilitates ad pellant,) quas ut excluderet. Medicinam contendebat artem eſſe, non Scientiam dicendam, quia ad uſum omnia referrentur contra quam hodiè vult Elegantiſſimus Caſtæus in diſquiſ. phyſiolog.

XXX.

Et 4. de diff. pulſ. c. 17. committit inter ſe duos adoleſcentes, quorum alter multis modis pulſum definire ſciat & veterum Medicorum Scientias & ὀρισμὸς in numeratô habeat: Alter iſta quid ignoret, caterùm ex pulſu prædicere, & curare morbum ſciat, huncq́, præfert illi. Quam in rem elegans qq. locus eſt in conde decret. Hipp. & Platon. c. 14. & 16.

XXXI.

In has quæſtiones Logicas tandem migrare πεῖξιν & artes videmus. De Theologia conqueſtus Gregorius Nazianzenus, eam videlicet ad λογομαχίας καὶ ἔριδ εἰξιν deductam, & Sozomenus Hiſt. Eccl. l. 1. c. 14. diſputationes litigioſas, quæ veræ pietatis, veræq́, DEI cognitionis ſimulatione ſuſciperentur, & res ante minimè ex agitatas in controverſias vocarent, pietatem oppreſſiſſe.

Idem

XXXII.

Idem de Philoſophiâ olim conqueſtus Trismegiſtus, de Iuriſprud. Amm. Marcell. l. 30. eam cum eſſe deberet πολιάχης μοῖρα εἴδωλον, adulationis quartam factam partem & litium officinam.

XXXIII.

De Medicina graviſſimè non unô locô Galenus : Nos ſilentio potiùs noſtra tegamus mala, quando curare non licet. Multa ſanè hodiè quaeruntur, quae praeſtaret ignorare, ſolemusq; διὰ τ' λαπῶτερον ὁρᾶν, τὰ παχύτερα παροραῖν.

XXXIV.

Ex his dictis deducimus. I. Veritatem omnem, niſi fortè primam modo quodam excipias, quâ de re jam ſuprà, non eſſe aliquid impreſſum rebus, ſed affectionem ſolum διανοίας ad principia certa & ſcopos relatam.

XXXV.

Quod ſenſit dux noſter qq. 6. Metaph. ὅ γὰ ἐϛὶ τὸ ψευδος, καὶ τὸ ἀληθὲς ἐν τοῖς πράγμασι, οἷον τ' μὲν ἀγαθὸν ἀληθὲς, τότε κακὸν ψεῦδος, ἀλλ' ἐν διανοίᾳ.

XXXVI.

Et oſtendit eleganti ratione D. Thomas in quaſtione de Veritate. Cum, inquit, Veritas ſit reſponſus & ſimilitudo, intellectus qq. erit & διανοίας, cujus eſt judicare reſponſum, & ſimilitudinem componendo, aut diſſimilitudinem deducendo.

XXXVII.

II. Cum Principia & Scopi illi varient, nihil eſſe miriſi veritatem qq. ipſam variare dicamus, & aliud Theologicè verum, aliud Philoſophicè verum, aliud dialecticè, aliud deniq; cui reſpondeat accommodatum ad finem, dicamus.

XXXVIII.

Nec proinde malè Alexandrum in 1. Top. diſtinxiſſe inter ἀληθῶς ἀληθῆ & δοξαϛικῶς ἀληθῆ.

XXXIX.

Et 2. Metaph. duplicem Veritatem ſtatuiſſe, κυρίως aliam καὶ μάλιϛα, aliam πνὶ καὶ πότε, quod ipſum qq. notavit Clemens Alexandrinus.

XL.

III. Nihil proinde abſurdi eſſe, ſi verum cum vero pugnare dicamus.

XLI.

Deniq; ſi Scientiarum diverſarum decreta ſecum aut cum artium decretis pugnet, aut ipſae artes â ſe invicem diſſentiant, quod nimiu quam ſaepè fit, utq; res clarior fiat, exemplis docebimus.

Aliter

Digitized by Google

XLII.

Aliter Physicus & Mathematicus de rebus sentiunt, quoniam aliô oculô res intuentur, aliâ mensurâ metiuntur. Hic ait punctum esse cujus pars nulla sit, lineam esse μῆκος ἀπλατές, Sphæram attingere planum in puncto &c. omnia negat Physicus.

XLIII.

Unde Federicus Pendasius ait, ignorantiam esse in Mathematicis, quod sit Scientia in Physicis, & contra ignorantiam in Physicis, quod sit Scientia in Mathemat. Vid. ejus progymnas. comment. Tex. Phys. p. 66.

XLIV.

Medicus & Physicus, quanq. vicini nimis esse videantur, in plurimis tamen dissident. Physicus ἀνεπαίθειαν tuetur & Physicè concedendam etiam Galenus ait: non assentitur Medicus.

XLV.

Physicus Humidum vocat, quod non facilè terminis suis continetur, unde mare Physico est humidum. Medicus, quod humectat corpus, unde ei mare est siccum.

XLVI.

Alia ætatum divisio est apud Physicum, alia apud Medicum: Physicus subtiliter admodum ætatum varietatem vestigat, ex continuâ humoris primigenij & caloris nativi imminuatione. Medicus ad usum suum incrementô, statu, & decremento contentus est.

XLVII.

Esse aliquid alimentosum Physico, est per accidens, v. g. pomum esse esui, neq; enim natura hic finis fuit, quem Physicus quærit, sed semen maturare illa quasi pulpâ, sive pelle circumpositâ. Medico verò esse aliquid alimentosum per se est, quia ille vitæ conservationem spectat.

XLVIII.

Apud Medicos vinum astringens differt specie â vinô laxante, austerum â dulci, quemadmodum in alijs qq. artibus specificè differunt omnia ea, quæ aliter atq; aliter se habent ad finem. Physicè differunt tantùm gradibus, & alia talia Sexcenta commemorari possent.

XLIX.

Dissident etiam Medicus & Politicus. Medicus senem abstinere jubet usu Conjugij: Politicus vetat abstinere: ille causam refert ad sanitatem, hic vult Remp. augeri civibus.

L.

Ex quibus præter quod diximus, etiam facilè est vulgatum hodiè in Scholis

quibudam errorem cernere, quo putant Scientias inter se distinctas eò esse modò, quò res ipsæ sunt distinctæ.

LI.

Falsum hoc est. Modus considerandi Scientiarum formale est: Fines agendi efficiendiq;, hi aut illi additi rebus, artes facultatesq; distinguunt, 13. Metaph. cap. 3. Montecat. 1. Polit. & 3. de anima. Zimmara Theorem. 92. & 109. nihilq; prohibet plures Scientias & artes in eòdem occupari, sed alio modo.

LII.

De morbis animi Theologus agit, Philosophus, Leges, & Medicus: omnes aliter atq; aliter. Pulchrè D. Hieron. Sunt Leges Christi aliæ, aliæ Cæsarum: aliud Papinianus, aliud Paulus noster spectat.

LIII.

De Affectibus Ethicus & Medicus, ille ut regat; hic quà imprimunt operi aliquid, quam impressionem tollere laborat: exemplo sit Galeni curatio amatoria; sed in viam redeamus.

LIV.

Tantum etiam abest, ut in Practicis disciplinis & artibus verum illud exquisitum semper spectemus, ut falsa qq. ad hibeamus manifestè, dummodo per ea pervenire possumus quò volumus.

LV.

Admittunt hoc etiam Patres Sancti inprimis Clemens Alexandrinus 7. stromat. ὁ γνωστικὸς inquit ἰδίαν σωτηρίαν ἡγεμὼν τὴν τῶν πέλας ὠφέλειαν, ἀληθῆτε φρονεῖ ἅμα καὶ ἀληθεύει πλὴν εἰμή ποτε ἐν θεραπείας μέρει, καθάπερ ἰατρὸς πρὸς νοσοῦντας ἕνεκα σωτηρίας τῶν καμνόντων ψεύσεται.

LVI.

Quod de Medicis ait, etsi maximè apertum est, tamen comprimis elucet in curandis Melancholicis, quibus medentur Indulgendo, affirmando, quod affirmant etiam imitando, qua de re vide Medicos.

LVII.

Plato qq. 2. de Legibus ait: Legislatorem non debere indignum suæ gravitate putare, mentiri ad Iuventutem aliquid bono publico, sic ut non vi, sed Sponte discant justè vivere.

LVIII.

In compendio Legum Platonicarum lib. 40. dicitur: Falsa dicere ad vera & bona civibus suis, præsertim junioribus rudioribusq; persuadenda, Legislator audeto. Quod ipsum invenias apud Agellium qq. de Rhetore lib. 1. cap. 3.

Fecit

LIX.

Fecit hoc Pythagoras, qui vetuit animalibus vesci, quòd arctissimô vitæ animæq; vinculo nobis consociata essent, non quod ita sentiret, sed ut victus tenuitatem persuaderet, Iamblich. in Vita ejus cap. 31.

LX.

Fecêre illi, qui originem suorum ad Deos referebant, ut quibus persuaderent heroicam originem, heroicam qq. vivendi rationem instillarent.

LXI.

Fecit Aristoteles in Politicis ἀπλῶς, cùm Legislatorem suum, gravidis, iter aliquod quotidianum imponere voluit, ad cultum venerationemq; Dearum, quæ gignendis præsint animantibus, non ex verô certè, aut sensu suo, sed ne fortè desides domi fœminæ minùs robustos Reip. cives pariant.

LXII.

Idem In Politicis περὶ τὰ ἤθη, verum illud neglexit, dum divisionem animæ Pythagoræam & Platonicam retinuit, quam in tertiô de animâ oppugnat.

LXIII.

Huc pertinent & fictiones Iuris Consultorum, quæ definiuntur ab Hottomanno doctissimo, Commenta Iuris Civilis, ad usum vitæ communem, contra naturam rerum, contraq; veritatem accommodata. Quæst. Illust. q. 38. Vide & Coras. de arte Iuris p. 3. c. 213. 4. & Hopperum l. 2. c. 10.

LXIV.

An in Theoreticis huc pertinent etiam Mathematicorum fictiones sive Hypotheses, quas χωρισμὸς appellant, in quibus tamen ψεῦδος esse negat Aristoteles 2. Phys. cap. 2. & 13. Metaph. cap. 3. An ad modum considerandi pertinent? ἐπέχω: fortè tamen hoc verius.

LXV.

Duo addam, quibus hanc de Veritatis naturâ disputationem concludam. Prius est: Vel notas propositionum Apodicticarum docere minùs stupidum posse, ut mendacij: ita veritatis quosdam gradus esse.

LXVI.

Quò non leviter facit locus 6. Metaph. Omnis Scientia aut est ejus quod est semper, aut ejus, quod est ut plurimùm, cum quo consentit Galenus 4. de rat. victus in morb. acut. Item Averroës & pleriq; veterum omnes.

LXVII.

Et obſervarunt artes, quæ hoc habent, ut referant ſua dogmata ad certas quasdam Regulas ſeu capita, â quibus diſcedi aut addendo aut minuendo poteſt, pro Circumſtantiarum varietate.

LXVIII.

Non enim ita certum & fixum quid eſt in rebus, quaſi in puncto, dominatur, hìc ὡς ἔπι τὸ πολύ.

LXIX.

V. g. quamdiu lactandus ſit infans, ſi quæratur Galenus, reſpondebit μεχρὶ τὸ τρίτον ἔτος. Eô enim tempore ferè dentes emicant, quibus quaſi digito oſtendit natura, quòd velit alimentum ſolidius. At ſi dentes cuiùs cadant, quis non mutet hanc regulam?

LXX.

Poſterius eſt: Vt ſe res habet in Ente: ita etiam in vero, vel ex eorum qq. Sententia, qui Ens & verum converti volunt. Entis verò tanta vis eſt, ut accidentia qq. dicantur Entia, quia ſint Entis, & privationes ſine EST *non poſſint proferri, adeoq; Ens gradus habet multiplices: Quare ergò vero adimamus?*

Hieron. Apolog. ad Pammach.

Aut proſer meliores epulas, & me convivâ utere, aut qualicunq; noſtrâ cœnula contentus eſto.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

IN artibus, ait Galenus, 2. ſunt præceptorum genera: Unum eorum, quæ perpetuam habent veritatem. Alterum eorum, quæ ut plurimùm ita ſe habent, quæ & tolerantur, non verò ea quæ rarò fiunt, ibi locum habent. At hodiè ſibi multi placent in Scribendis & obtrudendis nobis obſervationibus raris, tanquam novis artium myſterijs.

II.

Difficile eſt obtinere quod ſtatuit Ariſtotelis 7. Metaph. t. 29. Eandem eſſe Sanitatem, quæ introducatur ab arte, & quæ â naturâ.

DISPU-

DISPUTATIO XV.

MICHAELIS PICCARTI

De

CAVSSIS CORRVPTÆ PHILOSOPHIÆ.

Respondit

Georgius Fidler Norimbergensis.

Mens. Majo. cIↃ IↃ c VII.

THESIS I.

PHilosophiam & imprimis Theoreticam πλείωσιν τῆς λογικῆς εἶναι ψυχῆς, adeoq; hominis perfectionem, extra controversiam nobis est positum.

II.

Eam, ut & alias res omnes, (sunt enim omnium rerum aliarum quoque ætates certæ) senescere debilitariq; videmus & dolemus, de caussis adeò solliciti non sumus.

III.

Scilicet & hic nobis blandimur, & falsas pro veris substituimus, & dum modo aliquid dicamus, satis nos habere aut facere putamus, quale illud sit, quod dicimus, suaq; dea habemus.

IV.

Nos hic quoq; Sapientissimorum hominum ductum secuti videamus, an veriores aliquas, si non omnes, indagando diligentius, adsequi valeamus.

V.

Galenus, unus omnium dignus, qui cum Aristotele sapienti Magistro, conferatur, duabus potissimum caussis Philosophiæ imminutionem adscribit: Ambitioni & Avaritiæ, nec malè.

VI.

Naturâ enim primùm sumus animalia gloriæ, & τὴν κενοδοξίαν ὡς τελεωτάτην χλωρὰ [illegible] πέφυκεν ἀποβάλλειν ait Plato, sive, ut Tacitus: etiam

etiam, ſapientibus Cupido gloriæ noviſſima exuitur, & optimi quique altiſſima etiam cupiunt.

VII.

Ad Gloriam verò non unâ contendimus viâ, boni juxta ac mali, ſed iſti per Virtutem & Sapientiam veram non ſucatam, magno labore, graſſantur ad eam, maluntq; eſſe quam videri honore digni.

VIII.

Poſteriorîs generis homines malunt videri, ideoq; cum minimè omnium ſint digni honore, æmulantur tamen jure & merito honoratos, & ſucatâ ſpe veritati vim faciunt.

IX.

Videri autem volunt ſolùm, non eſſe, quia veritas & ſapientia in profundo demerſa jacet, & magno veſtiganda labore venit: illi autem laborum pertæſi, otium malunt, & voluptatum illecebris capiuntur.

X.

Quâ ratione ex ambitione, cauſſâ principe, prodit ſe altera ignavia, de quâ gravissimus Philoſophus & eruditiſſimus Poëta Lucretius:

Ardua dum metuunt, amittunt vera viai.

XI.

Dum enim labores fugiunt & ſtudia æquè gravia atq; moleſta videntur aliquibus atq; agricolæ foſſio vel aratio, veredarîo curſus, ſutori ſuere, textori texere, inde ſit ut crudi adhuc, ſive ut Theon loquitur: ὧδε εἰς πρόσκομον ἑαυτὸν ἐγγυμνασαμένοι ſeipſos in ſcientias & artes propellant; & in tenebris volutati ipſi, alios involvant ſecum.

XII.

Hi Ciceronianum illud meminiſſe debebant in libris de finibus: Turpis eſt quærendi defatigatio, cum pulcherrimum eſt quod quæritur.

XIII.

Neſcio tamen, an non aliqui ex ſe non adeò mali, ſtultitiâ pædagogorum ſuorum manu ducantur veluti ad hanc ignaviam, qui, ut parentibus ſpes ſuas, ambitione donantibus placeant, induum pueris adhuc naſcentibus Philoſophiam, & maximi profundi maximaq; artis intolerabili audacia protrudunt compendiariam, quos, jam diu tempus eſt, ut conſules rei literariæ eludere ludum impudentiæ jubeant.

XIV.

In alteram partem peccant ijdem ambitioſi temeritate, qui cum Philoſophicis ſtudijs aliquandiu dediti, incipiunt veluti oculos aperire ad lumen illud &

Digitized by Google

lud & jubar ſolis humani, temerè vimis philoſophantur, tollendo, ponendo, interpolando.

XV.

Tollere enim quæ non capiunt præſumunt, vel inutilia clamando, & μικρολογίαν appellando, ut ait Ariſteteles A. Min. Metaph. vel dubia adſerendo, & de quibus certi nihil ſtatui poſſit.

XVI.

Quando item penes inventores præcipuam vident eſſe gloriam, ne eâ excidant ipſi, innovant vetera, aut ijs prorſus abolitis, ſubſtituunt nova, quamquam receptis longè abſurdiora, ne videantur videlicet aliena ſolum ſapere, non ſua.

XVII.

Peccant & tertiâ ratione ambitioſuli hujuſmodi & ſcientiarum integritati vim adferunt. Dum enim ſeſe ipſos magni æſtimant, & cujusvis precij eſſe deputant, externum quoq; ſplendorem affectant, & quam animo deſperant gloriam, corporis ornatu, & majeſtate, vitaq; luxu ſibi pollicentur.

XVIII.

Ei rei cum nanus faciat, hinc numi cupidine Philoſophiam proſtituunt, & miſerè tradita, miſerius percepta, miſerrimè fingunt, refingunt, dicentes, quæ probent adoleſcentuli, ne ſoli in ſcholis relinquantur, & precia inſtitutionis ipſis pereant.

XIX.

Ita peſſima mater Ambitio tres producit nequam filias: Ignaviam, Temeritatem, Avaritiam, peſtes philoſophiæ omniumq; artium.

XX.

Eſt & quarta ejusdem filia, quam in ſenectute ſuâ gignit, conceptam ex pudore ruſtico, ea eſt Averſatio confeſſionis erroris; ſunt enim proh dolor multi, qui quæ perperam in juventute didicere, confiteri in ſenectute erubeſcunt, ut ait Petronius.

XXI.

Eleganter Horatius id eloquitur:

Iſti nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt,
Illi turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicêre, ſenes perdenda fateri.

XXII.

Elegantius Claudius Mamertus lib. 1. de ſtatu animæ: Tenellis infantiæ quondam ſuæ perſuaſionibus, in ſenectute etiam pueraſcunt.

Ex hac

XXIII.

Ex hac filiâ neptem habet Ambitio Pertinaciam, quæ ſemel ſtatuta, quamquam manifeſti erroris, non deſerit tamen, ſed præfractè tuetur, & rationibus apertis rabiosè potius oblatrat, quàm eruditè occurrit.

XXIV.

At hi meminiſſe debebant, Philoſophi virtutem eſſe φρόνημα ταπεινὸν & doctam eſſe aliquam ignorantiam, nec levem eſſe ſcientiæ partem, ſcire, te multa neſcire. Senecæ etiam illud: Multos ad ſapientiam perventuros, niſi ſe perveniſſe dudum præſidenter putarent.

XXV.

Inde fit, ut Philoſophia hodiè ſit ſchola contentionum, & qui Philoſophicas diſputationes ingrediuntur, rixentur tanquam ſi alea luderent, ut loquitur graviſſimus ſcriptor Agathiæ.

XXVI.

Si ſcribendi etiam Cacoëthes ab ambitione dicam eſſe, numquid mentiar? Qui pruritus adeò ſuperficiem corporum aut animorũ titillat, ut Satyrio, ut etiam ſalibus defricatus vix ac ne vix quidem remittat.

XXVII.

Nec pudet multos diſcenda adhuc aliis tradere: Sed videlicet:
Quo didiciſſe, niſi hoc fermentum & quæ ſemel intus
Innatæ eſt rupto jecore exierit caprificus?

Ad quorum ſenſum alius.
Item me nolo ſcire, mihi cum ſim conſcius ſolus
Ne damnum faciam. Scire eſt neſcire, niſi id me
Scire, alius ſcierit.

XXVIII.

Sed hi ſibi ipſis fortè ſupplicij ſatisdant, cum enim, ut eleganter ait Magnus Caſſiodorus in præfatione, Liber ſit Speculum mentis, produnt ſe tales libris ſuis tanquam ſorices, videmuſq; eos apud verè ſapientes nil niſi γέλωτα ὀφλισκάνειν.

XXIX.

Hactenus de Ambitionis propagine. Veniamus nunc aliò & primùm quidem modus diſcendi hodiè pervertit nobis Philoſophiam: Quærimus enim eum alieniſſimis locis & alij quidem in Theologiâ eam reſidere cenſemus, alij in hiſtoriarum libris, alij in Poëtarum carminibus, nonnulli etiam cum Anaxagorâ τὰ πᾶν ἐν πάντι μεμίχθαι ſtatuimus.

XXX.

Deinde etiam conſuetudo: Ad rationem enim eorum ſtudiorum, in quibus

Digitized by Google

bus aliquandiu fuimus Philoſophiam reliquam conformamus ineptiſſimè. In Mathematicis adulti omnia ad Mathematicam ἀνάγκην referunt, exterminantes, quæ eam non admittunt.

XXXI.

Non attendentes diverſam eſſe rerum naturam & proinde etiam diverſum tractandi modum, neq; τὴν ἀκριβολογίαν τὴν μαθηματικὴν ἐν ἅπασιν ἀπαιτητέον. Ariſtoteles. A. Min. Metaph. cap. 3. 7. Eth. cap. 3. Reprehendit in veteribus & pravam hanc conſuetudinem.

XXXII.

Alij μυθώδεσι φλυαρίαις utuntur πρὸς τὰς τῶν εἰκείων δείξεις fabellis videlicet á teneris delectati, alij neminem niſi Poëtam in rebus Philoſophicis ferre poſſunt cenſorem, quippe Poëtis dediti á teneris & carminibus ſervilem in modum emancipati.

XXXIII.

Alij verò ſtupidi & fungi in rerum cognitione non ἀνάγκην τῶν λόγων ut loquitur Philoponus ſequi, ſeu ἀληθειαν διώκειν μετ' ἀποδείξεως volunt, ſed ἁπλῶς πειθεσθαι ἐνδόξοις πρόσωπις adeoq; ſectarij eſſe.

XXXIV.

Quare autem hi ſectarij fiant, Galenus eleganter oſtendit, in lib. de ordine librorum, & proœmio libri de libris propriis. Tales primùm ſeipſos, inquit, ignorant & homines eſſe neſciunt, itaq; cum ſimilitudinem veterum Philoſophorum deſperent, in ſervitutem ſe dant voluntariam, & ab illorum toti pendent nutu, haud aliter, quam ruſtici imperiti, qui de religione & fidei capitibus idem ſe ſentire quod paſtor, dicunt.

XXXV.

Deinde ideò, quia partem laudis ad ſe redundare putant, ſi magni autoris decreta etiam ſine ratione tueantur. Placentq; illis ſectarij tituli, dum Ariſtotelici, Platonici, Averroiſtæ dicuntur.

XXXVI.

Qui deniq; manifeſti erroris convicti, palliare tamen miſeriam ſuam poſſunt, ſocietate magni viri, qui eundem ſecum errorem erraverit.

XXXVII.

Alij deniq; nimis acuti, ſæpè rationibus quibusdam ſubnixi, aut quia rationes in contrarium productas diſſolvere neſciunt, etiam ea quæ ſenſibus manifeſta, non modò negare audent, ſed & pertinaciter contraniti, ut vidimus olim Zenonem facere, qui motum negare nihil erubuit, quod ἀφροσύνην τῆς διανοίας appellat Ariſtoteles 8. Phyſ. t. 22. & t. 26. ait eſſe κακῶς κρίνειν τὸ βέλτιον καὶ τὸ χεῖρον.

XXXVIII.

Quos perſtringit Galenus libello: An ſanguis in arterijs naturâ contineatur cap. 5. ſub Eraſiſtrati perſonâ. Eraſiſtratus, inquit, non ex proprijs demonſtravit arterias ſanguine carere, ſed ex alienis, de quibus, quod ab evidentibus deſciſceret, dubitabat, perſimilis factus illis, qui motum non eſſe dicebant, qui rationes quasdam contra ſe factas ſolvere neſciebant.

XXXIX.

At pergit, melius opinor & iſti ſibi conſuluiſſent, ſi motum eſſe, ut evidens quoddam primò conceſſiſſent, tùm objectiones factas contra ſe, per otium diluere ſtatuiſſent. Et Eraſiſtratus melius egiſſet, ſi arterias ideò ſanguinem continere conceſſiſſet, quod videamus ipſas acu etiam ſubtiliſſimâ perforatas, illico ſanguinem mittere, ſeorſum poſtea diſcuſſiſſet, cur natura, quæ nihil fruſtra molitur, duo receptacula genere diſtincta, venas ſcilicet & arterias, unam rem continentia, fabricâſſet. Etſi enim obſtant ſolutu quædam difficilia, non tamen ad rerum evidentiam ſubmovendam ſatis valere debent. Hæc Galenus.

XL.

Nonnullas etiam invidia mera propellit ad vitiandum Philoſophiæ decus; cum enim alios ex ſuis meritis æſtimari, ſe ex ſuis item negligi, vident, invidiâ corripiuntur, & ut Apuleius loquitur, quorum ſimilitudinem deſperant, eorum affectant ſimultatem.

XLI.

Itaqué ad eorum lectionem accedunt ut aranei, non ut apes, non diſcendi, ſed carpendi gratiâ, & in leviculis quibusdam magnorum virorum erratis exagitandis diſerti, magni tamen audire volunt Philoſophi.

XLII.

Hæc, quæ ordinè commemoravi mala videntur delere nobis veteris Philoſophiæ ſplendorem, his accepta ferenda eſt labes tot ſeculorum, quibus accedit loco quidem hîc poſtremum, ſed vi & nocendi efficaciâ facilè primum: Neglectus doctrinæ Analyticæ ſive genuini τῆς ἀποδείξεως τρόπου.

XLIII.

Ariſtoteles ἀπαιδευσίαν τῶν ἀναλυτικῶν appellat, & in veteribus reprehendit 4. Metaph. cap. 3. & c. 4. ἀπαιδευσίαν ἁπλῶς.

XLIV.

Et Galenus lib. 2. cap. 5. de Temperamentis abſolutè ait: Principium pravorum dogmatum eſſe id unum, nihil de demonſtratione meditatum prius, res ipſas inquirere velle.

Salsè

XLV.

Salsè item nimis lib. An ſanguis in arterijs naturâ contineatur cap. 7. ait, Cum Eraſiſtratei non habeant quid opponant, ad Pyrrhonicam ruſticitatem, tanquam in Aſylum quoddam confugiunt, non æquum eſſe clamantes, medicas conſiderationes Dialecticis curioſitatibus ſubijcere. Mox autem â nobis interrogati, numquid ex aſſumptionibus conceſſis quidvis inferre liceret, an verò facultas & ars aliqua exiſtat, quæ docet ex quibusdam conceſſis, quædam inferre? nihil reſpondent, ſed ſi certamen procederet, quidnam reſpondere poſſent, (modo ſibi conſtare velint) niſi artem planè nullam exſtare colligendi, ſed ex datis aſſumptionibus quidvis ſine ullo diſcrimine inferri poſſe, vel extare quidem, non tamen eâ opus eſſe ad demonſtrationes faciendas.

XLVI.

Sed ambo hæc, inquit, vehementer abſurda ſunt. Nam primum ſi dixerint, ſicut olim quidam perfrictæ frontis auſus eſt dicere, tales deinceps â nobis interrogationes audiant, quales ille audivit: Arteriæ duas tunicas habent, ſanguis ſulvus eſt. Ergo non ſolum ſpiritum, ſed & ſanguinem continent arteriæ, ridentibus adſiſtentibus, ſtatim ſubjunxi aliud argumentum: Corvi nigri ſunt, olores albi, Ergo non ſolus ſpiritus ab arterijs continetur. Hic denuo cum viderent, tertium ſubjeci: Ignis calidus eſt, nix frigida eſt: Tu ſtupidus es. Ergo non ſolus Spiritus in arterijs continetur. Nam ſi quodcunq; ex aſſumtis conceſſis inferre per vos licet, nullaq; concluſionis deducendæ reperta eſt ars; quid me prohibet vobiſcum argumentari hoc modo?

XLVII.

Sin autem & ars ac diſciplina quadam excogita fuit, qua ſingulis in rebus diſcernere nos docet, quid ê quibus conceſſis rectè inferatur: Quinam vobis, ô Eraſiſtratei ſapere plus videtur? Num qui eam artem non novit ac proinde nec utitur? aut novit quidem, ſed uti recuſat? aut deniq; qui novit & utitur.

XLVIII.

Quo illuſtri loco hanc diſputationem de cauſſis corruptæ Philoſophiæ, propter eos, tantò lubentius obſigno, quibus Ariſtoteles ſordet prorſus & faſtidium movet, ut explorem, æquiores ne Galeno ſint futuri, qui & ſalſius & apertius perſtringit nos ipſo Ariſtotele.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

ETiam Phyſici eſt agere de primo movente.

II.

Mirus eſt Ariſtoteles, qui in primo Phyſico Democrito omiſſo contra Anaxagoram diſputat: in 1. de Generatione Anaxagorâ omiſſo Democritum refutat, Utrumq; refutat ſimul tertio de cœlo.

III.

Rectè deducit ex 1. Politico Ariſtotelis Montecatinus, carentia facultate & opere, carere etiam quidditate.

IV.

Non placet illud Ciceronis lib. 11. Ep. ad Atticum: Eos, qui mihi tam crudeliter inimici ſunt, ſi odiſſe non potes, accuſes tamen, non ut aliquid proficias, ſed ut tibi me charum eſſe ſentiant.

V.

Minimè decet aut expedit Principem eſſe ſuperſtitioſum, & rectè Plutarchus eo nomine reprehendit Alexandrum, recentiores Hiſtorici Ludovicum XI. Gallum.

VI.

Neq; populum etiam ſuperſtitionibus attineri debere putamus, aut ex uſu Principis eſſe.

VII.

Magna ſapientiæ Politicæ pars ſtultitiam in tempore ſimulare, Exemplo Ulyſſes apud Homerum, L. Jun. Brutus apud Livium. Claudius apud Xiphilinum, & Domitianus apud eundem.

VIII.

Nec in Rumores quosvis anxiè inquirere ſapientiſſimi Principes voluere.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO XVI.

MICHAELIS PICCARTI

De

NOMINIBVS, EORVM-QUE IMPOSITIONE ET USU.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Respondit

Jeremias Hoelzlin Norimb.

Mens. Octobr. cIↃ IↃ cVII.

THESIS I.

GAleni est crebra illa & vera querela, maximorum errorum causam esse eam, quòd sine vocabulis non liceat philosophari, & conferre de rebus cum altero.

II.

Cùm enim res sint infinitæ, vocabula autem finita, fieri aliter non potest, quin res diversæ ijsdem nominibus appellentur, unde facilis deceptionis ratio, cum, quod tu vocabulum à re aliâ traxisti ad aliam, ego de illâ, non de hac accipio.

III

Optat igitur Galenus res & tradi & percipi posse sine nominibus, sicut meditari possumus de rebus sine vocabulorum auxilio, idq; etiam ideò, quia multi reperiantur, qui videri malint docti, quàm esse, cumq; res non capiunt, toti in verbis exagitandis occupentur, Verùm optat hoc solum Galenus. Adsequi enim est impossibile.

IV.

De his vocabulis primùm videamus, ubi ut plurimum desint; deinde quid in defectu isto consilij capiendum sit, dispiciamus.

V.

Ac initio quidem hoc tenendum, Artes res novas invenire, Consuetudinem in veteribus hærere & vulgaribus. Itaq; consuetudo nomina imponit ijs rebus,

bus, quæ vulgi etiam notitiæ obviæ ſunt. Artes confuſam iſtam notitiam diſtinguunt accuratè, unde nec mirum ſi rebus novis inventis nomina deficiant.

VI.

Deficiunt autem primo loco in ſpecibus rerum vulgo ignotis. Vulgus enim, verbi gratia, & tertianam, & quartanam, & ardentem, & hecticam, uno nomine appellat Febrim. Vbi, antequam artes officium faciant, & Genus & ſpecies iſtæ eodem nomine appellantur.

VII.

Sic Iuſtitiæ vox, & complexum ſive catenam omnium notat Virtutum, & ſpecialiter Virtutem unam. Sic διάθεσις & generaliter accipitur pro ἕξει & διαθέσει, & rurſum ſpecialiter pro alterâ ſpecie. Sic μανία generis vox dividitur in Melancholiam & μανίαν. Polisia & generis & ſpeciei vocabulum eſt. Nomen, & de verbo, & de Nomine preſſè accepto dicitur, & talia ſunt ſexcenta alia.

VIII.

Interdum contrà ſe res habet, & ſpecies quidem ſunt nominatæ, Genus autem in quo conveniant, ἀνώνυμον eſt. Quæ res ſæpè nos facit aberrare à Καθόλου Apodictico, ut docuit Ariſtoteles 1. poſt. cap. 5. modo ſecundo. Vnde, ut occurreret, finxit ſæpe generum vocabula, ut videre eſt in libb. de partibus animalium. Et jactat ſe Galenus quòd invenerit genericam appellationem, in quæ ulcus & vulnus conveniant, nempè ſolutionem continui. In eâdem re præclariſſimam operam poſuit Eruditiſſimus Cæſalpinus, illuſtri opere de Plantis.

IX.

De hoc defectu queritur Ariſtoteles 8. Top. c. 2. ἐὰν δὲ ἐπ' ἐνίων μὲν ἐπέχωσι δυναλὸν ἐρωτῆσαι τὸ καθόλου, ἐπ' ἐνίων δὲ ῥάδιον, διὰ τὸ μὴ κεῖσθαι τοῖς ὁμοιότησιν ὄνομα πάσοις κοινὸν, & quæ ibi ſequuntur.

X.

Galenus item de ſymptom. differentijs dubitari ait, in quo conveniant genere Pandiculatio & oſcitatio, ſternutatio & tuſſis.

XI.

Deſunt etiam nomina in intermedijs ſpeciebus, quas vulgus non habet: Vt apparet in intermedijs coloribus, ſaporibus, & ſimilibus, quæ mediæ ſpecies vicinarum & extremarum ſpecierum appellationibus vulgo veniunt, quanquam ſint diverſæ.

XII.

In accidentibus quoq; cùm reperiatur aliquid quod inſtar ſit materiæ, & aliud quod inſtar formæ, utrumque ſecretam habet intellectionem, verba tamen deſunt

deſunt quibus ſeparemus. Sic acies & formam diſponendi exercitum ſignificat, tanquam formale, & ipſos milites, tanquam materiam. Eodem modo Methodus & Ordinem diſciplinæ ſignificat, & res ordine certo diſpoſitas. Sic honos, ſic hæreditas, & formale & materiale ſimul ſignificant.

XIII.

Cauſa etiam & effectus ſæpe eodem nomine appellantur, ut apud Platonem crebrò, verbi gratiâ, Vita dicitur & Anima, & quod inde emanat. Sic tonitrua, pluviæ, grandines, & cauſam notant & effectum. Vocantur enim una appellatione vulgò, tempeſtas.

XIV.

Idem nomen & ſuſcipienti & ſuſceptæ rei accommodari docuit Galenus 1. de Temperamentis, cap. 7. de calido, humido, frigido, ſicco,

XV.

In actionibus etiam continuis, adeoq; dividuis ſæpè totum & partem, eodem nomine, propter vocabulorum paupertatem denotare cogimur: motum videlicet actionis & terminum, quod creberrimè fieri videas apud Ariſtotelem & Galenum.

XVI.

Talia ſunt σῆψις ſeu putredo, quæ & viam ad putredinem notat, & id quod putridum factum eſt, ἕνωσις, quæ & motum illum ſignificat, quo ex pluribus fit unum, & rem jam unitam. Ejusdem generis ſunt μεταβολὴ, κρᾶσις, μίξις, σύνθεσις: Item ἐμπειρία, conſuetudo: Obſtructio apud Medicos, & alia, quæ collegere Fr. Bonamicus 2. de motu, cap. 14. & Antonius Montecatinus 1. Poliſ. cap. 24.

XVII.

Ratio tamen dari poteſt, quare hæ diverſæ res eodem nomine appellentur, eaq; deſumi ex 6. Phyſ. ubi ait Philoſophus, in omni motu jam aliquid motum eſſe.

XVIII.

In hiis & conſimilibus alijs nomina deficiunt & Homonymiâ laboratur ſæpè periculoſiſſimè. Cui malo quomodò à Viris Doctis occurratur, deinceps diſquiramus.

XIX.

Triplex autem video conſilium à CLL. & maximis Viris olim uſurpatum, & ab eorum diſcipulis vehementer, non voce modo, ſed & uſu exemplisque comprobatum.

Primum

XX.

Primum eſt, vocabula vulgi, & conſueta retinere, res verò eruditè diſtinguere & teſtari Homonymian, quodq; vulgus indiſcretè accipit, oſtendere quomodò diſcerni debeat. Hoc inculcavit Ariſtoteles in Top. lib. 2. cap. 2. τοῖς μὲν ὀνομασίαις τὰ πράγματα συγχορευτέον καθάπερ οἱ πολλοί. ποῖα δὲ τῶν πραγμάτων ἐστὶ τοιαῦτα, ἢ ὰ τοιαῦτα συγκλητέον τοῖς πολλοῖς..

XXI.

Et Galenus 1. Meth. c. 9. juſtè mihi videar hoc exigere, ut ſicuti nos illis permittimus, quæ velint nomina indere: ita illi invicem nos uſitatis & antiquis uti ſinant: Vide & illuſtrem Galeni locum lib. de difficult. Reſp. c. 2.

XXII.

De diſtinctionis autem uſu ait 1. de Temperam. cap. 5. Homonymias diſtinguere quamvis ſit res parva, in rerum tamen uſu non levis eſt. Et lib. 3. Simp. cap. 3. *ex nominum diſtinctione non parum adjuti ſumus ad adſequendam judicij cognitionem: idq; luculenter præſtitit in diſtinctione Homonymiæ* τοῦ πάθους *lib. 2. Meth. cap. 3. & alibi.*

XXIII.

Hinc Cicero 4. de finibus, Stoicos reprehendit, quòd Bona non Bona, ſed producta, propoſita, præcipua; mala verò rejectanea; expetere, legere, ſumere, optare, fugere, ſecernere appellarint. Et Galenus 2. de diff. febr. cap. 6. reprehendit Prodicum, ut ἀναπεπόμφον ἀπὸ τῆς θαυμασίης ἐτυμολογίας, *quod Phlegma maluerit calidiſſimum humorem vocare, quàm ſollemni nomine.*

XXIV.

Alterum conſilium Virorum magnorum eſt, detorquere aliud vocabulum ad novum, & Artis quidem ſenſum, quomodò fecit Ariſtoteles in voce Ἀναλύειν, Συλλογισμῷ, ψευδογραφήμαλος, ἀποδείξεως, ὅρου, διαγήμαλος, ἀγήμαλος, *&c. item in appellationibus trium ſocietatum domus 1. Polit. ut notavit ibi Illuſtris Montecatinus, p. 109.*

XXV.

Huc pertinent omnes Homonymiæ quas Ammonius & Simplicius ἀπὸ διανοίας *appellant, hoc eſt, quæ diligenti conſilio alijs rebus adtribuuntur.*

XXVI.

Tertium & ultimum conſilium eſt τὸ ὀνομαλοπλεῖν, *fingere nova vocabula. Quod ſumsêre ſibi olim ſcientiarum Principes, malè hodiè æmulantur inferiorum gentium Philoſophaſtri, & alij.*

XXVII.

Ad hoc conſilium non illotis, quod dicitur, pedibus accedebant, nec temere, niſi

Digitized by Google

rè, niſi cum priora duo minus ſuccederent. Galenus 2. Meth. cap. 1. Quoniam docendi munus ingredimur, neceſſe eſt alicubi rebus nomina imponamus. Progrediebantur autem in fingendis vocabulis hac methodo.

XXVIII.

Primùm omnium differentias rerum intuebantur, cum ſecundum Hippocratem proprium artium & ſcientiarum ſit, res ſimiles diſtinguere. Non verò à nominibus, ut vulgus ſolet, exordiebantur, quod putat, quæ nominibus differant, ea reipsâ quoq; differre.

XXIX.

Multa enim ſunt re eadem, nominibus diverſa, verbi gratia, Intellectus Theoreticus & Practicus: Anima & facultas animæ: Trina dimenſio & materia prima: Temperies, & facultas ventriculi: Demonſtrare & docere: Prudentia, civilis ſcientia, &c.

XXX.

II. Numerum rerum inter ſe diſtinctarum proponebant & demonſtrabant, nec plures videlicet eſſe, nec pauciores. Fecit hoc Ariſtoteles in Categoria Qualitatis; præcipit Galenus 1. Meth. cap. 5.

XXXI.

Tandem his rectè conſideratis nomen imponebant, in quo ſpectabant brevitatem, perſpicuitatem & accommodationem. Ita Galenus 2. de diff. puls cap. 2. Græcorum inſtitutum tenemus, elaboramusq;, ut clariſſimis nominibus res interpretemur, & 2. Meth. cap. 2. In nominum uſu claritas quaſi meta ſpectanda erit.

XXXII.

Fingebant etiam illa hoc modo, ut à patrio tamen & communi ſermone non eſſent aliena. Ita docuit me Galenus lib. de Morb. temporibus & ſymptomatum differentijs primo. Et diligenter hoc adtendit Ariſtoteles in voce ἐντελεχείας, quam ita finxit, ut in Græciâ natam cum ipſa Græciâ jurares.

XXXIII.

Neque tamen cum fingerent nomina, duri & rigidi erant, omnesque adtendum illis obſtringebant, neutiquam: ſed libertatem appellandi aliter concedebant, dummodò in re non diſſentirent, ut apparuit ex loco Galeni lib. 1. Meth. cap. 9. & lib. 2. cap. 1. Si Dionem aut Theonem appellare velit, eorum quodlibet (alibi ſcindapſi meminit) mea nihil refert, illud modò intelligat quod volo ego.

XXXIV.

Quod ipſum infinitis penè locis inculcat, inprimis lib. 4. de Vſu partium,

ubi Platonici præcepti jubet nos esse memores; ditiores nos sapientiâ videlicet ad senectutem perventuros, si rebus potius quàm nominibus inhæreamus.

XXXV.

Aristoteles etiam in Polit. 3. t. 2, 4. & 14. sæpè inculcat, rixas de nominibus nihil esse faciendas, dummodò conveniatur in re. Ἀλλὰ διαφερέτω μηδὲν, περὶ ὀνόματος ἢ λόγου, τί δεῖ τοῦτ' ἀμφισβητεῖν.

XXXVI.

Ipsum tamen qui nova nomina fingit, constanter & perpetuò iis uti convenit. Docet Galenus 1. Meth. cap. 8. positis pro arbitrio nominibus, dummodo clarè & ex usu legentium, nec mutet postea, nec transponat eorum usum, sed perpetuò per omnem disputationem observet, quo & quæ dicat facilè intelligamus, & redargutiones omnes ad aliquid clarum referamus.

XXXVII.

Caussas verò ἀνομαλοπάθειας in vestibulo prodere nihil attinet. Perspicuè idem Galenus lib. 1. de sympt. differentiis, cap. 1. Illud verò rectène an non rectè, propriè an impropriè nomen sit positum, per longius otium affirmare debemus, cum res ipsas jam intellexerimus.

XXXVIII.

Nota tum & hoc mihi apud veteres, non eos in fingendis vel accommodandis rei alicui nominibus elegantiam sermonis spectasse, sicut hodie tam delicatas & molles habemus auriculas, ut nullum in artibus terminum ferre velimus, nisi qui Ciceronis redoleat oleum: Nihil minus, sed proprietas potiori ipsis curæ erat, quamquam vocabula minus essent culta.

XXXIX.

In quam rem elegans est Galeni locus in lib. de ordine librorum suorum, non procul à fine. In eo, inquit, tractatu, in quo usurpata apud scriptores Aticos nomina secundum ordinem primarum inipsis literarum ex eorum scriptoribus collecta sunt, non hoc agimus, quod hoc nostro seculo multi, qui omnibus Atticè loquendi sinceritatem imponunt, sive illi Medici, sive Philosophi, sive Geometræ, sive Musici, sive ICti, aut nihil etiam horum, sed alioqui vel opulenti, vel divites sint. Verum contrarium intendo, neminem prorsus ob orationis soloecismos esse reprehendendum. Præstat enim linguâ quam vitâ soloecismos, barbarismosq; committere. Quin & libellus aliquando mihi scriptus est contra eos, qui in soloecissantes voce invehuntur, tantùm abest, ut Eruditionis partem aliquam Atticismos esse adseram. Immò disertè paulò post dicit: Atticorum vocabulorum notitia per se nihil magno studio dignum habet.

Nec

LXI.

Nec minus eleganter Arnobius lib. 1. nunquid minus id quod dicitur verum eſt, ſi in numero peccetur, aut caſu, præpoſitione, participio, conjunctione. Pompa iſta ſermonis illis detur qui voluptatum delinimenta quærentes, omne ſuum ſtudium verborum in lumina contulerunt. Cùm de rebus agitur ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amœnitate dicatur, Nec quid aures commulceat, ſed quas afferat audientibus utilitates, maximè cum ſciamus etiam quosdam ſapientiæ deditos non tantùm abjeciſſe ſermonis cultum, verum etiam cum poſſent ornatius atq; uberius eloqui, trivialem ſtudio humilitatem ſecutos, ne corrumperent ſcilicet gravitatis rigorem, & Sophiſticâ ſe potius oſtentatione jactarent. Hæc Arnobius.

XLI.

Cæterùm plurima fingit vocabula is qui accuratiſſimè de rebus tractat. Quantò quis exactius, inquit Galenus, de Doct. Hippocratis & Platonis lib. 8. cap. 4 ſubtiliusq; quamcunq; rerum naturam pertractare conatur, tantò plura nomina inveniat neceſſe eſt.

XLII.

Hanc doctrinam de nominum impoſitione in theſes has digeſtam, uno veluti pugillo complexus eſt Galenus lib. 1. Meth. cap. 5. De uſu nominum methodus hæc eſt noſtra: Nempe ut à rerum incipias differentiâ, non autem nominum. Tum oſtendas quatuor, exempli gratia, eſſe res quæ in vicino ſunt poſitæ: poſt deinde ut demonſtratione confirmes, neq; plura eſſe, neq; pauciora, quæ in propoſita diſceptatione contineantur. Poſtremò ut accommodato rerum cuiq; ſuo nomine ſic reliquum ſermonem abſolvas, nec mutans de hinc, nec transferens nomen ullum, ſed cui rei ipſe ab initio impoſueris, de eadem perpetuò uſurpans. Quippè ita & dilucida erit doctrina, & à cavillationibus, quas parit homonymia, libera, & quod fruſtra eſt additum, facilè deprehendetur, & quod deſuit citò invenietur, & quæ conſonant diſſonantquè, exactè diſcernentur.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

ALiæ ſunt artes belli, & aliæ pacis, faciliusq́; eſt bellum gerere, quàm pacem firmare.

II.

Verè Guicciardinus: Controverſias ſingulari certamine dirimere turmales magis equites, quàm Principes decet.

III.

Echo non eſt corpus.

IV.

Non credimus Balthaſari del cortegiano, qui lib. 2. ſcribit, in finibus Moſcoviæ & Sarmatarum, ſeu Poloniæ mercatores ſub tempus hyemis ad flumen Boriſthenem ex utraq́; ripà convenisſe, collocutosq́; neq́; mutuo ſe intellexisſe, quod congelata verba ob frigoris rigorem fuiſſent, poſteà autem cùm glacies ſolveretur, verborum murmur & ſonitum auditum fuisſe. Credere, inquam, non poſſumus: nam ratione repugnat.

DISPU-

DISPUTATIO XVII.

MICHAELIS PICCARTI

DISPUTATIO,

De

DEMONSTRATIONE.

Respondit

Johan. Henric. Kirchberger, Noricus.

Mens. Novembr. cIↃ IↃ cVII.

THESIS I.

DEmonstrationem cognoscendi rem, nobilissimum esse instrumentum, extra controversiam est.

II.

Siquidem & ad verum & ad falsum cognoscendum in Theoreticis scientijs, & ad bonum & malum discernendum, nullum aliud accommodatius instrumentum inveniri potest.

III.

Quamvis autem hujus instrumenti dignitas, utilitásve vix verbis explicari possit: paucis tamen multa complexus est Eustratius, dum fructum hujus instrumenti ἀπεφήνατο ψυχῆς λογικῆς τελειωτικὸν, προάγειαν ταύτῃ εἰς τὴν οἰκείαν ἀυλῆς ἐνέργειαν dixit.

IV.

Ex fructu enim dignitas organi colligitur, rectè Alexander: organorum conditiones sumuntur ab alijs, quorum sunt organa.

V.

Eam describit Aristoteles (definire enim non potest, quia vocabulum abunoest, & secundum magis & minus, prius & posterius de sibi subjectis dicitur) Συλλογισμὸν ἀποφαντικόν.

VI.

Syllogismus quid sit, non est difficilè sumere ex prior. Analyticis: esse videlicet

delicet λέγω, ἐν ᾧ πεπέρανται πᾶν, ὕστερόν τι τῶν κειμένων, ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, τῷ ταῦτα εἶναι.

VII.

Differentia, quæ ſumpta eſt ex uſu, cuiuſnus eſt forma & eſſentia organorum: eſt ἐπιστημονικὸν, *quæ ut capiatur, oportet noſſe, quid ſit ſcire.*

VIII.

Ἐπίστασθαι *autem, inquit Ariſtoteles,* οἰόμεθα ἕκαστον ἁπλῶς, ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιστικὸν τρόπον, τὸν κατὰ συμβεβηκὸς, ὅταν τὴν τ' αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν, δι' ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστὶ καὶ μὴ ἐνδέχεσθαι τοῦτ' ἄλλως ἔχειν, *hoc eſt; ſcire arbitramur unum quodq; ſimpliciter, & non ſophiſtico modo, qui eſt ſecundum accidens, quando & cauſam arbitramur nos cognoſcere, per quam res eſt, quod ipſius rei cauſa ſit, & non contingit hoc aliter ſe habere.*

IX.

Ex qua definitione apparet, tres eſſe veræ ſcientiæ conditiones: primum enim ſcire dicitur is, qui cauſam alterius rei cognitam habet: ſecundò, qui ſcit illam cauſam non ſolùm ut πρᾶγμα, ſed & applicat huic rei, & ſcit hujus, de qua agitur, rei eſſe cauſam: tertiò, qui ſcit illam cauſam, quâ poſitâ, ponatur res neceſſariò, & qua non exiſtente, non etiam exiſtat res.

X.

Talem ſcientiam ut pariat Demonſtratio, oportet conſtet ex veris, primis, immediatis, notioribus, ac deniquè concluſionis cauſis. Ἀνάγκη γὰρ, inquit Ariſtoteles capite 2. lib. 1. Analyt. poſterior. τὴν δὲ ἀποδεικτικὴν ἐξ ἀληθῶν τ' εἶναι, καὶ πρώτων, καὶ ἀμέσων, καὶ γνωριμωτέρων, καὶ προτέρων, καὶ αἰτίων τοῦ συμπεράσματος.

XI.

Ex veris quidem, quia, quod non eſt, non ſcitur, id eſt, ut Philoponus loqui ſolet, falſi non eſt ſcientia.

XII.

Debet autem Demonſtratio non ex ſimpliciter veris, ſed, ut ipſe cap. 4. lib. 1. Analyticorum poſteriorum explicat, ex neceſſariò veris conſtare.

XIII.

Quò facit & alius locus, qui eſt cap. 6. lib. 1. Anal. poſterior. ἐξ ἀληθῶν μὲν γάρ ἐστι, καὶ μὴ ἀποδεικτικῶς δὲ συλλογίσασθαι, ἐξ ἀναγκαίων δ' οὐκ ἔστιν.

XIV.

Hanc ſummam neceſſitatem faciunt tres gradus: τὸ παντός, καθ' αὑτὸ, & καθόλου πρῶτον.

Κατὰ

XV.

Κατὰ παντὸς Appellat Aristoteles ὁ ἢ μὴ ὄντι τινὸς μᾶλλον, τινὸς δὲ μή. μηδὲ πολὺ μᾶλλον, πολὺ δὲ μή.

XVI.

Secundi Necessitatis gradus καθ' αὑτὸ adferuntur ab Aristotele citato loco 4. modi.

XVII.

Primus, καθ' αὑτὰ δὲ, ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ τί ἐστιν.

XVIII.

Secundus, καθ' αὑτά ἐστι, ὅσα τῶν ἐνυπαρχόντων αὐτοῖς, αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ἐνυπάρχουσι, τῷ τί ἐστι δηλοῦντι.

XIX.

Tertius modus, καθ' αὑτὰ λέγω, ὃ μὴ καθ' ὑποκειμένου λέγεται ἄλλου τινός.

XX.

Quartus denique modus: Ἔτι δ' ἄλλον τρόπον, τὰ μὲν δι' αὐτὸ ὑπάρχειν ἐκάστῳ, καθ' αὑτό.

XXI.

Tertius necessitatis gradus est καθόλου πρῶτον, quem nobis Aristoteles hunc in modum definit, eodem in loco, καθόλου δὲ λέγω, ὃ ἂν κατὰ παντός τε ὑπάρχῃ, καὶ καθ' αὐτὸ, καὶ ᾗ αὐτό. De his gradibus prolixius alia Disputatione actum; itaque pergimus.

XXII.

Hæc de primæ veritatis conditione sufficiant: sequitur nunc altera, quæ requirit, ut illa, ex quibus Demonstratio fit, sint prima & immediata.

XXIII.

Per prima hîc intelliguntur tales propositiones, quæ sunt principia propria, & ante se nihil habentia in illa scientia, per quæ possunt à priori demonstrari.

XXIV.

Per immediata verò hîc intelliguntur eæ propositiones, quæ non habent medium aliquod, per quod demonstrentur, sed ipsæ contineant primam, proximam & immediatam causam effectus demonstrandi.

XXV.

Vnde Aristoteles ἄμεσον pronunciatum sic definit, ἄμεσος δέ ἐστι πρότασις, ἧς μὴ ἔστιν ἄλλη πρότερα: Immediata propositio est, quâ nulla alia prior est, & prima quidem atq; immediata propositio una sit ad minimum oportet.

A secun-

XXVI.

A secundâ venio ad tertiam propositionum Apodicticarum conditionem, quæ est, ut illæ sint priores & notiores.

XXVII.

Quo in loco notandum, priora & notitiora esse duplicia, vel τῇ φύσει, vel πρὸς ἡμᾶς, id est, alia naturâ, alia nobis.

XXVIII.

Priora & notiora nobis, sic definit: λέγω δὲ πρὸς ἡμᾶς μὲν πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ ἐγγύτερον τῆς αἰσθήσεως: *Notiora & priora nobis illa sunt, quæ sensibus sunt propinquiora.*

XXIX.

Priora verò & notiora simpliciter hoc modo: ἁπλῶς δὲ πρότερα καὶ γνωριμώτερα λέγω τὰ περῤῥώτερον τῆς αἰσθήσεως: *Simpliciter seu naturâ notiora & priora sunt, quæ longius à sensibus absunt, videlicet maximè universalia.*

XXX.

Aristotelem hîc naturâ seu simpliciter priora & notiora intelligere, nemo sanus Philosophus unquam negavit.

XXXI.

Verè enim Themistius: Ἀπόδειξις ἐ πρὸς τὸν ἡμέτερον γνῶσιν ἢ συγκατάθεσιν ἀφορᾷ, ἀλλὰ πρὸς ἀλήθειαν καὶ ὡς ἔχει τὸ πρᾶγμα τῇ τῶν φύσιν, *hoc est: Demonstratio ad nostri mensuram ingenij minimè se submittit, sed rectam insistit ad veritatem viam, nec quid virium sit nostrarum pensi habet, sed in solam rei naturam intuetur.*

XXXII.

Sequitur ultima, omnium penè præstantissima & præcipua conditio, quæ requirit, ut sit ἐκ τῶν τῶ συμπεράσματος καὶ πράγματος αἴτιων, quæ conditio, quòd sit necessaria ex definitione τῆ ἀποδείξεως elucet.

XXXIII.

Hactenus, ex quibus Demonstratio fiat, vidimus. videamus porrò, quæ demonstrentur: nimirum non substantiæ, non accidentia communia, non fortuita, sed quæ semper eodem modo se habent, propria accidentia.

XXXIV.

Hæc hactenus dicta Domonstratio, quæ à Philosopho τῦ ὅτι dicitur, ubi habeat locum, quæritur. Respondemus eam in philosophia Theoretica conspici, hoc est, in Mathematicis, Physicis, Metaphysicis.

De Ma-

Digitized by Google

XXXV.

De Mathematicis extra controverſiam res, ſubjectum enim earum diſciplinarum ab omni abſtrahitur materiâ, quæ, ut loquuntur Philoſophi, eſt mater contingentiæ & mutationis.

XXXVI.

In Phyſicis etſi res conſideretur ἐν πεφυκότος φυσικῆς ὕλης: tamen repetiri & ibi Demonſtrationes hujuscemodi, certum nobis eſt.

XXXVII.

In Metaphyſicis acutiſſimus Cæſalpinus Demonſtrationem eſſe negavit, quia duo ſolùm ibi ſunt termini, & quâ de primo Ente aſſentiri forté poſſimus, in ſecundarijs Entibus, & quæ à primo dependent, non item.

XXXVIII.

Hæc de Demonſtratione τοῦ διότι ſufficiant. quæ κυρίως ἀποδείξις, & abſolutè dicitur. Ab hujus dignitate abeſt Demonſtratio altera, quæ μετὰ πεφυκήκης Demonſtratio τοῦ ὅτι appellatur.

XXXIX.

Hæc eſt, cum demonſtramus effectum non per cauſam primam & immediatam, ut Demonſtratio τοῦ διότι facit, ſed per cauſam aliquam remotam, v. g. ſi interrogatus, quare imperium Romanum peſſundatum fuerit, reſpondeam, propter diſſidium Cæſaris & Pompeij, cum vera cauſa fuerit & ultima, quòd Cato ſejunxit ordinem equeſtrem à ſenatu.

XL.

Cum item ab effectu progredimur ad cauſam, à motu v. g. ad motorem.

XLI.

Philoponus, & ex eo Scaliger tertium quendam Demonſtrationis τοῦ ὅτι modum faciunt, cum videlicet neq; à cauſa remota rem concludimus, neq; ab effectu ad cauſam progredimur, ſed ex aliquo inſeparabili adjuncto rem aliquam demonſtramus, v. g. quando gallina cantat, peperit ovum. Neutrum alterius vel cauſa eſt, vel effectus, ſed adjunctum.

XLII.

Huic, ut apparet, longè recedenti à momento prioris, non negat tamen Ariſtoteles Demonſtrationis & Scientiæ nomen. In definitione tamen ἀποδείξεως ſecutus eſt modum deſcribendi vocabula ab uno, nimirum ut deſcribatur prima forma menſura cæterarum.

XLIII.

Hæc Demonſtratio paſſim in ſcientijs & artibus conſpicitur, maximè autem habitat in Philoſophia Practica, & ea Theoretica, quæ adjuncta habet materiam.

XLIV.

In purè Theoretici aliquando usurpatur modo docendi, quem Philosophi regressum appellant.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

PRopius verum videtur : Mundum Menſe Septembri conditum, non verno tempore.

II.

Unum & multum videntur privativè opponi.

III.

Rectè Ariſtoteles formas numeris comparat. Nequè tamen per omnia Numeris reſpondent.

IV.

Manibus medicamenta componere, arti Medicæ nihil derogat.

V.

Principem Chriſtianum copias auxiliares à principe infideli accerſere, easq; contra principem fidelem educere, non videtur æquum.

Digitized by Google

DISPUTATIO XVIII.

MICHAELIS PICCARTI

De

DOCTRINA ELEMENTARI VETERUM.

Respondit

Johan. Clem. Cuno Noriberg.

Mens. Augusti. cIↃ IↃ cVIII.

THESIS I.

VErsanti mihi in lectione Galeni, cujus ego aurum purpurae Aristotelicae libenter praetexere soleo, incidi non tantò in mentionem doctrinae Elementaris quam & usurpari à se scribit, & multis in locis vehementer commendat.

II.

Ea quanam esset, saepè mecum exquisivi tacitus, tum quia ad methodum res ista pertinere videretur, tum quia Galenus omnia sua, & ponderavit prius diligenter, & etudiè postea tractavit.

III.

De eâ 7. de sanitate tuenda cap. 4. ita loquitur : ἡ διὰ τὰ στοιχεῖα τῶν πραγμάτων διδασκαλία χρησιμωτέρα τῶν ἄλλων ἐστὶν : εὐσύνοπτον τε γὰρ ἐργάζεται τὸ πᾶν πρᾶγμα, καὶ τῇ μνήμῃ παρεγκείμενον εἰς ἀνάμνησιν δὲ ῥᾴδιος ἐχόμενον. ἁπάντων δὲ τῶν κατὰ μέρος ὑποδέξιον χρῆσιν ἑτοίμως δεδεγμένων, ὡς ἂν εἰς ὀλίγα καὶ ᾠσταμένα στοιχεῖα τῆς ἀναφορᾶς γινομένης αὐτῶν. *Doctrina ea quae per Elementa rerum traditur caeteris est utilior, quippe & quae sub compendium rem omnem cogit, & memoriae affigit, & reminiscentiae facilè suggerit, ac omnium quae singulatim aguntur rectum usum promtè suppeditat, ceu ad pauca & certa Elementa referens, quibus planè gemina habet cap. 8.*

IV.

Ex quo loco virtutes doctrinae Elementaris discimus, primum, quod sit

breviû, quod conducat deinde memoriæ, tum, quod rectum usum in agendo promtè suppeditet. Ad quos usus consequitur ἔμεγχΘ, sive redargutio errorum.

V.

Fuit autem doctrina Elementaris, quando summa, prima, ac simplicissima alicujus rei genera solum explicantur, & pertractantur, relictis illis quæ ex eorum complexu, sive ut Lucretius loquitur cœtu conciliog; fiunt, aut generantur.

VI.

Vnde & nomen accepit, à primis videlicet Elementis & simplicissimis corporibus, quasi doceat illa tantum prima simplicia sive Alaphabeti literas, A, B, C, & relinquat deinde nobis colligendas, ex alphabeto simplici syllabas.

VII.

Hanc doctrinæ rationem secutus est Galenus, in lib. de differentijs morborum, pulsuum, febrium, in Epidemijs, comm. in Aphor. de statibus aëris, simplices enim morborum proponit, simplices febrium, pulsuum, differentias, eodemq; modo, progreditur alibi.

VIII.

Vsurpavit etiam in libris Methodi, lib. 2. cap. 4. lib. 3. cap. 4. & alibi pluries. Illustris est locus lib. 3. cap. 4. ἡ δὲ συνήθης διδασκαλία τοῖς παλαιοῖς, ἥπερ δὴ καὶ νῦν ἠυξάμην ἀσκηθῆναι, καὶ φύσιν ὑπάρχειν, μάλιστα τῶν ἁπλῶν ἑκάστης διαθέσεως ἴδιον ἅμα λεγόντων ἀυλῶν, καὶ μάλιστα πάντων Ἱπποκράτης. ἡ γάρ τοι μέθοδος ἡ θεραπευτικὴ καὶ τοῦτον ἂν μάλιστα σῴζοι τὸν τρόπον ὑπὲρ ἑκάστου τῶν ἁπλῶν ἰδία διελθόντων ἡμῶν, ἐπειτ' ἄυθις ὅπη τοῖς συθέτοις ἑτέραν μίαν ὑπιδειξάντων μέθοδον. *id est, solemnis veteribus doctrina (quæ utinam nunc esset in usu) maximè naturalis est: Qui simplicia cujusq; affectus propriam curationem dicunt, præcipueq; omnium Hippocrates. Medendi namq; Methodus ad hunc modum bellissimè procedet, si de singulis simplicibus seorsim præceperimus, & deinde de compositis.*

IX.

Hippocratem quod ait doctrinam hanc usurpasse, confirmat & 2. de sanitate tuenda cap. 4. τὸ μὲν ὂν ὁτὶ κοινὸν ἁπάσις τρίψεως ἔργον ἐστὶν τὸ θερμαίνειν, οὐκ ἄξιον ἱπποκράτες συγγράμματος. ὁπόϊον δὲ τι πέφυκεν, ἑκάστη τρίψις ἴδιον ἀποτελεῖν, Ἱπποκράτει δὲ διδάσκειν ἀναγκαῖον ἦν ἡμῖν τε μανθάνειν χρηστὸν. Ἀναλαγὼν γὰρ ὥσπερ εἰς στοιχεῖα τίνα τὰς ἁπλᾶς διαφορὰς ἅπαντα τὸν περὶ τῆς τρίψεως λόγον ἐδίδαξεν, ὅπως ἀναθρέψεις, ἢ σφίγξεις τὸ σῶμα τούτοις δὲ εὐθέως συνεμφέρεται τά τε μέσα τῶν ἔργων, καὶ τὰ κατὰ συζυγίαν ἀποτελούμενα. *id est: Quod omnis frictionis commune opus sit calorem accendere, non est satis dignum ab Hippocrate doceri. Quid ve-*

rò

rò quaq; frictio propriè faciat, id ut Hippocrati neceſſe erat tradere; ita nobis diſcere eſt utile. Reductis enim veluti in Elementa ſimplicibus differentijs, univerſam frictionum rationem abſolvit, quemadmodum detrahas, quemadmodum corpus molias, quemadmodum conſtringas. Cum his unâ protinus promunt ſe tum media earum opera, tum ea quæ per conjugationem faciunt.

X.

Vſurpavit ergo Hippocrates: uſurpavit, ut teſtatur ipſe, & Galenus. De quo confirmant Illuſtriſſimi ejus interpretes. Thomas Rodericus de Veiga in cap. 2. lib. 1. de diff. febrium §. Quæ autem ex denſitate, &c. Oportet, inquit, in re cibaria ad conciliandas multorum auctorum ſententias, & Galeni ipſius ſecum intelligere mentem Galeni ſummopere laudantis quædam alimenta, quæ experientia monſtrat periculosè, ſapè etiam noxiè ſumi. Nam inquirit naturam alimenti in ſe, non quid operetur juxta ſumentis varietatem: ita enim evadit doctrina & ſimplicior & perfectior, quem ſcribendi modum ſequitur ſemper Galenus: perpetuo enim tradit more Hippocrateo (1. Aphoriſm. 17.) doctrinam de quovis ſimplici, citra conſiderationem aliorum aut indicantium aut contra indicantium. Vid. p. 505. l. 10. col. 2.

XI.

Audit & Hippocratem Elementari doctrina uſum. ac Galenum in Alimentis uſurpaſſe, de quibus ſimplicia tractarit, nihil dicens vel de compoſitis vel de vitandis modo.

XII.

Excipiat hunc Fabius Pacius Vicetinus qui in methodo ſua medendi pag. 533. ita ſcribit. Quanto igitur præſtabat doctrinam Galeni ſequentes à ſimplicibus ad compoſita procedere & primum ipſum ulcus ſine humorum affluxu, ſine partis intemperie, ſine alio adfectu vel causâ curationem impediente conſiderare.

XIII.

Idem lib. 4. Methodi cap. 2. ad illa Galeni verba: ubi intemperiei affectum jam ſanaveris &c. pag. 699. A. Hinc, inquit, elucet præſtantia doctrinæ Elementaris Galenicæ, per quam ſimplicium affectuum cognitâ curandi ratione, facilè ad eam ipſorum quoq; compoſitorum ratio refertur. Inquit autem curari intemperiem, quæ cum ulcere eſt æquè, atq; illam quæ ſine ulcere, &c.

XIV.

Idem Pacius præfatione in 5. Methodi: Galeni propoſitum fuit quatuor hiſce libris à tertio usq; ad ſexti finem, illud morbi genus & per indicationes curare, quod dicitur continui ſive unitatis ſolutio. Et quoniam illud eſt commune tum

partibus ſimilaribus, tum & inſtrumentarijs: Galenus doctrinæ inſiſtens Elementari, prius de illa continuo ſolutione tractavit, quæ verſatur in parte ſimilari, in carne ſc. & genere carnoſo, quod proximis duobus libris abſolvit. Reliquum erat, ut eundem morbum in diſſimilaribus ſive inſtrumentarijs partibus conſideraret, quod duobus ſequentibus libris eſt facturus.

XV.

Hiſce gemina prorſus habet lib. 6. c. 6 p. 1226 qua de fracturis cum caro in ijs produci incipit. Hoc quoq; inquit Doctrinæ Elementaris eſt quæ à ſimplicibus ad compoſita procedit.

XVI.

Addamus Franciſc. Valleſium, qui in lib. 4 de ſimplicium medicamentorum facultatibus c. 21. p. 489. ita inquit. Sed quia tractatio de ſaporibus hic jam concluditur, lubet monere, eſſe ſapores præter dictas ſpecies plures: multis enim modis miſceri contingit dictas ſaporum differentias, & ex eorum miſtione variâ naſcuntur innumeræ differentiæ compoſitæ. Sed compoſitæ differentiæ in nullo rerum genere cenſentur eſſe, præter compoſitas.

XVII.

Denique Celſus Martinengus concludat: Antiqui, inquit lib. de ſtructura artium p. 35. cognitionem ſimplium adeo conducere exiſtimabant, ut interdum ea ſola agitare contenti fuerint, velut in quibus etiam concreta dilucidè apparerent, quam doctrinam Galenus Elementarem nomine dixit.

XVIII.

Vſi ergo doctrina Elementari Hippocrates & Galenus: An præter hos nemo? immò & Plato Deus Philoſophorum, cujus locum hunc ſis ex Theæteto expende Socr. Ejus ergo ſermonem non admittamus, qui dixerit, ſyllabam quidem dici & cognoſci poſſe Elementa verò nequaquam. Theæt. Non certè, ſi huic rationi credimus. Socr. Si quis contraria dixerit, an non potius illa concederes ex his, quorum tibi ipſi in primis literarum rudimentis conſcius extitiſti. Theæt. Quænam iſta? Socr. Quod nihil aliud diſcere ſtuduiſti, quam elementa oculis auribuſq; diſcere, & ſingula ſecundum ſe ipſa notare, ne illorum poſitio, vel cum dicerentur, vel cum ſcriberentur, te turbaret. Theæt. Vera narras. Socr. Cythariſtæ vero artem didiciſſe, quid aliud eſt, quam unumquenq; tonum cujuſq; chordæ dignoſcere, hæc enim Elementa Muſicæ quisq; appellaret? Theæt. Nihil. Socr. Cum ergo elementorum & ſyllabarum periti fuerimus, velimusq; ex his ad alia conjecturam facere, aſſeremus profecto, genus Elementorum clariorem prioremq; intelligentiam continere, quam ſyllabam ad ſingulas diſciplinas abſolutè percipiendas, & ſi quis notam ſyllabam, elementum ignotum naturâ dixerit, illum ultrò; vel invitum lædere putabimus. Hæc Plato.

Plato-

ed by Google

XIX.

Platonem præceptorem secutus est Aristoteles quoq́ discipulus, qui doctrinam elementarem adhibuit primum in Analyticis, quâ de mixtione propositionum.

XX.

Secutus perspicuè admodum in Politicis qua de Rerumpublicarum formis, ubi simplices formas Rerumpublicarum tam rectarum quam pravarum pertractat, de modis mixtionum tacet, aut certè non tam accurate agit de ijs, ut de simplicibus formis.

XXI.

Non quod censuerit nullas esse mixtas Reip. formas, ut voluit Bodinus, sed quia doctrinæ elementaris fuerit admodum studiosus, ut sæpius inculcat Montecatinus.

XXII.

Eamdem doctrinam secuti sunt ICti in pœnis statuendis. simplicibus enim delictis pœnas statuere, Furto, Adulterio, Cædi, non, furto & adulterio simul, aut cædi simul & furto.

XXIII.

Eamdem Hermogenes in Ideis suis seu characteribus dicendi, qui septem orationis virtutes simplices pertractans : σαφήνειαν, μέγεθος, κάλλος, γοργότητα, ἦθος, ἀλήθειαν, δεινότητα, nihil agit de complexu earum inter se & mixtione.

XXIV.

Eumdem veteres Musicæ scribtores, qui simplicium sonorum ut supra ex Platone colligere licuit : & colorum enarratores, qui simplicium item colorum naturam contenti fuere docere, infinitam illam mixtionum varietatem, quam Cicero propriè in coloribus nasci, hinc in alienum migrare censuit, non attigêre.

XXV.

Hæc veterum Doctrina tam eruditè inventa, tam benè, à tam multis, atq́ tam magnis viris tradita, jacet hodiè & non negligitur modo, sed & prorsus ignoratur. Irrepsêre ejus loco nudius quartus natæ methodi, parvo labore præcipitantes ingenia puerorum in barathrum insciliæ, & inanes arrogantiæ temeritatiq́ bullas.

XXVI.

Dicas, fortasse causas subesse, cur neglecta fuerit hactenus illa doctrina: Rarò videlicet simplicia sese nobis offerunt, composita maximè rerum naturam obtinent.

Morbos

XXVII.

Morbos enim ſimplices non facilè deprehendas in ullo ægroto, compoſitos & connexos omnes, quicunq; penè ægrotant, præ ſe ferunt.

XXVIII.

Sicut nec facilè in purum & perfectum regnum, puram Ariſtocratiam, puram Politiam incidas, ſed in mixturam potius bonarum ac pravarum Rerumpub. Facilè enim bono lutum aliquod adnaſcitur.

XXIX.

Taceo, quod compoſitorum notitia & proclivior ſit & facilior, ſimplicium abſtruſior & recondita magis. Notiora autem commendatiora nobis eſſe debent, unde non immeritò à recentioribus doctrina iſta vel ſpreta, vel abolita fuit.

XXX.

Ad prius quod attinet, de morbis quidem reſpondeat tibi Fabius Pacius citato 5. loco ex Methodo pag. 523. cujus verba ecce tibi: Neq; Galeni doctrina diminuta eſt, quia quamvis rarò fiat, ut ulcus cavum initio tale offeratur, quale hic ſupponitur: Ordo enim Galeni doctrinæ eſt, non executionis, (quæ verba nota mihi) negari tamen non debet, devictis accedentibus ad ulcus cavum, puta humorum intemperiei inflammationis ratione, reſtare tandem ultimum ſcopum ſanandi ulceris cavi, quod licet prius ſimplex non eſſet, tamen redditum eſt tandem ſimplex, & eam recipiens ac deſiderans curationis Methodum, quam hic tradidit Galenus.

XXXI.

Simplices igitur etſi morbi non ſint initio, ad extremum tamen reddunturſimplices, accidentium vero curatio quanquam præcedit, ex ſimplicium tamen tractatione etiam illa innoteſcit. Quemadmodum nulla vox eſt quæ ſit l. vel u. vel x. ex illis tamen componitur vox Lux, & in has literas ad extremum reſolvitur.

XXII.

De formis Rerumpublicarum, doceat te Antonius Montecatinus, cujus verba ſunt tabula 7. generali Politicâ. Has quidem rectarum Reip. formarum excellentias optare potius quam invenire in terris poſſumus. Sed ponuntur tanquam meta, quibus quò propiores & à quibus quò remotiores erunt Respublicæ, quæ re ipſa exiſtunt, eò erunt meliores ac deteriores. Sicut variſſimè etiam Rerumpublicarum illa pura puta naſcuntur monſtra, Tyrannis videlicet, oligarchia & ochlocratia. Hæc ille.

XXIII.

Ad poſterius ita conſeo: compoſita quandoq; notiora eſſe ſimplicibus, ſed diverſa

Digitized by Google

verſa ratione. 1. quia compoſita una intellectione intelliguntur non ut compoſita, ſed ut ſimplicia, quæ cognitio non eſt homine Philoſopho digna, ſed de plebe media hominibus, in qua illi ſolent adquieſcere.

XXXIV.

Deinde quia non verè ſeu diſtinctè cognoſcuntur, ſed confusâ ſolum notitiâ, qua univerſale notius nobis Ariſtoteles dixit ſingularibus 1. Phyſico, cujus loci elegantiſſimam diſcuſſionem vide apud Cæſarem Cremonium, Philoſophum doctiſſimum, in proœmij Phyſici enodatione elaboratiſſimâ.

XXXV.

Diſtinctè autem cognoſci compoſitum qua compoſitum non poteſt, niſi cognitis ſimplicibus, ſicut de oratione tradi nihil poteſt, niſi de nomine & verbo traditum fuerit ante, de nomine autem & verbo nihil plenè tradi, niſi de literis tractatio præceſſerit & ſyllabis.

XXXVI.

Vigeas verò ultrà: Ergo compoſitorum notitia in totum vana & ſupervacua. At nec ab illis, quos dixti, omnibus neglectam video.

XXXVII.

Non malè tu id, quisquis es, & fateor compoſita quandoq; ab illis allata. Sed primum ſcito nec ſuperſtitioſe allata, nec omnia, ſed eam ſolum compoſitionem tractam & tractatam, quæ familiam duceret.

XXXVIII.

Deinde eam, quæ aliquid ipſa coitione ſuâ & κράσει ſimplicibus novi inferret, ut ſolet ſæpe, & Ariſtoteles noſter oſtendit 6. Topico. cap. 6. t. 39. cum in compoſitorum definitione non vult ſolum, dici eſſe compoſita, ſed & modum compoſitionis aperiri.

XXXIX.

Habeo & hoc ex Galeno, cujus ecce verba tibi lib. de Diff. morb. ult. qua de morbis inſtrumentarijs: Τοιαύτης ἂν χρώμενος μεθόδῳ πάντα ἐξευρίσκει τὰ σύνθετα νοσήματα τῶν ὅλων ὀργάνων: ἐμοὶ δὲ ἐπεξέρχεσθαί τε καὶ συλλήβδην πάντα φαῦλον ἐδόκει. μεμαθηκὼς γὰρ τὰ θ' ἁπλᾶ νοσήματα πάντα, καὶ τὸν τρόπον αὐτῶν τῆς συνθέσεως, ἱκανὸς ἂν εἴη γυμνάζειν ἑαυτὸν ἐν τοῖς κατὰ μέρος. Hac ſi quis progrediatur via, omnes inſtrumentorum morbos facilè inveniet. Mihi verè ſuperfluum viſum eſt opus omnia complecti & componere: Quoniam ſi quis omnium morborum ſimplicium fuerit ſcientiam conſecutus, & non ignoraverit, quomodo illi inter ſe componantur, facilè in ſingulis per ſeipſum poterit exerceri.

XL.

Atq; hæc de doctrina Elementari veterum. Reperis vero & aliud genus apud veteres Elementaris doctrinæ, ab hactenus allato diversum, quod paucissimis item aperiam.

XLI.

Id est: unum dicere & reliqua ejusdem generis subintelligere, aut subinuere, quæ Hippocrati familiare scribit esse Galenus.

XLII.

Ita enim 1. de Elementis tertio cap. scribit: πολλάκις τε καὶ πολλαχοῦ τῶν Ἱπποκράτες συγγραμμάτων ἐπιδείκνυμι ὡς ἐν τῶν ὁμοειδῶν εἰπών, ἡμῖν ἐπιτρέπει τὰ λοιπὰ τὰ τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ δύναμιν ἔχοντα προσλαθέναι τῷ λόγῳ καὶ δὴ καὶ νῦν οὕτω μοι δοκεῖ πεποιηκέναι. Δείξας μὲν αὐτὸς ἐξ ἐνὸς φαινομένου τὸ τῆς δόξης ἀδύνατον, ὁπλιτῶν δ' ἡμῖν ἐκ τῶν τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ δύναμιν ἐχόντων ὑποδεικνύναι πολυειδῶς, *hoc est: Hippocratis hæc est consuetudo, ut cum unum dixerit, reliqua nobis similis naturæ cogitanda relinquat. Ita etiam hic cum de Elementorum unitate vanam opinionem esse demonstrasset (propterea videlicet quod homo non doleret, si constaret ex uno) nobis commendat reliqua. Quæ in sequentibus verbis* ἐξεπίτηδες, *id est, de industria, deditâ operâ, se exposuisse scribit: Non solum dolorem eam opinionem infirmare dicens, sed eandem esse rationem Delectationis, omnium sensuum, immò totius animæ.*

XLIII.

In librum item Hippocr. de Articulis comm. 2. t. 34. ita scribit Galenus: ἔστι δὲ ἐν Ἱπποκράτει, ὅτι κοιναὶ παραγγέλματά τῶν κατὰ μέρος ἐστὶν, ἅπαξ αὐτὰ περὶ ἑνὸς εἰπόντα δηλῶσαι τοῦ πράγματος τὴν δύναμιν, ὅ τι κοινὴ πάντων τῶν ὁμοίων, ὥσπερ καὶ νῦν ἀξίως τοὺς προδιαλείποντα τὴν κάτω γένυν, οὕτω διαπλάττειν ἐπήνεγκε. ῥᾷον γὰρ εἰς τὴν φύσιν ἥξει, ἢ εἴ τις ἐγχείποιεν εἰς ἄλληλα, τὰ ὀστᾶ παραναγκάζειν πειρᾶσθαι. Αὐτὸ τὸ νῦν εἰρημένον, ὅ τι κοινὰ ἁπάντων ἐστὶ τῶν διαπλατομένων ὀστῶν ἐπεσημήνατο διὰ τῆς προκειμένης ῥήσεως, *hoc est, Hoc in omnibus his Commentarijs scitu dignum est, Hippocratis morem esse, ut quæcunq; communia sunt multis particularibus præcepta, ea ubi in uno tradidit, vim postea rei declaret, quæ similibus omnibus postea communis sit. Quemadmodum nunc quoq; posteaquam prius extendendam inferiorem maxillam monuit, atq; ita conformandam, subjungit: facilius siquidem ita in naturalem situm redibunt, quam si oppacta ossa interse compellere quisquam conetur, ita enim dicendo, commune hoc omnibus ossibus esse, quæ conformanda sunt, significavit.*

In

Digitized by Google

XLIV.

In librum etiam Hippocratis de Fracturis Comm. 2. Top. 71. Πολλὰ τῶν καινῶν καὶ γενικῶν, ἐφ' ἑνὸς τῶν καθ' εἶδος ἐσομένων εἴωθε διδάσκειν ὁ Ἱπποκράτης ὑποσημαινόμενος ἃ τί μὴ μόνα τοῦ εἴδους ἐστὶν, ἀλλὰ καὶ πάντων ἢ πλειόνων, ἢ τίνων. προστίθησι δὲ τῷ λόγῳ ποτὲ μὲν τὸ ἀεὶ, ἐνίοτε δὲ, εἰς τὸ πολλὰ χρησὸν συνιέναι τοῦτο, *hoc est*; *Licet de una aliqua ſpecie agat Hippocrates, multa tamen etiam communia & generalia docere interdum adſolet, ſic ut non ad ſolam illam ſpeciem, ſed vel ad omnes vel ad plures, vel certè ad aliquas pertinere declaret. Oratione definiens vel ſemper, vel in pluribus ejusdem ſpeciei, id, quod dixit, obtinere.*

XLV.

Hujus doctrinæ non immemorem nec inobſervantem fuiſſe Ariſtotelem duobus in locis teſtatur Montecatinus, commentario 3. Politicorum: ſemel quidem qua agit de modis exterminandi virtutem ſuſpectam è Rep. Auctor, inquit, noſter, more ſuo per doctrinam Elementarem ſummas attingit formas, reliqua nobis addenda relinquens.

XLVI.

Iterum, qua Regium principatum præ reliquis formis commendat Philoſophus: Indicat tantum hic juſtitiam naturalem hujus principatus, unde pendent profluuntq́, cætera non expreſſa à Philoſopho noſtro, Elementaris doctrinæ, brevitatisq́, maximo amatore.

XLVII.

Hanc duplicem Doctrinam Elementarem, ex veterum ſcriptis eruere hactenus mihi licuit: Utriusq́, finis maximus auctoribus ſuis fuit, ne χωρὶς μὲν λέγοντες περὶ πολλῶν *cogerentur,* πολλάκις ταὐτὰ λέγειν, *ut loquitur Ariſtoteles 1. de partibus Animal. cap. 1.*

XLVIII.

Quod cum veriſſimum ſit, cogitent qua fronte id faciant, qui ſapientiſſimis Philoſophis tam temere ταυτολογίας notam, paſſim & omnibus ferè paginis inurere præſumunt.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

MEdicus ab Aristotele rectè triplex constituitur Ἀρχιτεκτονικὸς πεπαιδευμένος καὶ δημιουργός, non tamen satis rectè inter hos discernunt Interpretes. *3. Pol. cap. 11.*

II.

Cum duplex in libb. de Animâ constituatur Finis, alter οὗ alter ᾧ, mirum quod in Phys. 2. Aristoteles solum unius mentionem facit.

III.

Malè Philoponus ex loco 12. Metaphysici Ideas Platonicas exstruit, quas passim exagitat Aristoteles.

IV.

In Politicis justum Libertatis & Nobilitatis minus claudicat, quam justum Divitum.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO XIX.

MICHAELIS PICCARTI

De

OFFICIIS DIALECTICI RESPONDENTIS.

Respondit

Johann. Pilæus Norimberg.

Mens. Aprili. cIↃ IↃ c IX.

THESIS I.

PLATO, *qui ob ſapientiæ laudem divinus fuit, dictus, oculum mentis, quem appellamus ſapientiam, tum demum hominibus aperiri dicit, cum defloreſcere incipiat corpus: & alibi beatum maximè eum prædicat, cui vel in extrema ſenecta verum pervidere liceat.*

II.

Inde colligere non eſt difficile: animum tenellum & imbecillum, non ſtatim exquiſitæ veritatis inquiſitione fatigandum, ſed dialecticis primùm velitationibus imbuendum: ſic ſc. ex nocte cupiditatum & affectuum in umbram opinionum eductus, ibiq́, ſatis diu exercitus, auguſtum veritatis jubar ferre tandem poterit.

III

Quemadmodum etiam infantuli ſolidum cibum ob Stomachi infirmitatem concoquere non poſſunt, ſed ſolo lacte materno, vel alio facili alimento nutriuntur, donec calor nativus, incrementum ſumat: ita animus tenellus non ſtatim ſolido veritatis pabulo obruendus, ſed facilimis τῶν ἐνδόξων ferculis inescandus, donec paulatim etiam τὸ ἀληθὲς ferre aſſueſcat. Quod ſimile, Apoſtolo doctiſſimo uſurpatum, libenter ab illo mutuamur.

IV.

Quo modo autem & qua ratione fieri iſtud queat & debeat, Ariſtoteles, ut omnium primus ita pulcherrimè docuit 8. lib. Top.

V.

In illis enim tradidit μέθοδον ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων.

VI.

Isti libri Topici in tres partes commodè secari possunt. Nam 1. lib. quædam utilia toti insequenti doctrinæ tradit: sequentibus verò sex intermedijs tractationem locorum idoneorum ad omnia quatuor problematum genera accommodatorum subjungit. Octavo tandem usum generalem traditæ doctrinæ monstrat, & personis quæ Dialogum absolvunt, accommodat.

VII.

De hisce omnibus quoniam uno conflictu decertare, nec temporis angustia, nec ingenij imbecillitas permittit, primam saltem octavi libri partem, videlicet περὶ τῆς ἐρωτήσεως sub veritatis incudem revocemus.

VIII.

Nec tamen eam omnem, sed, quoniam de officijs dialectici interrogantis alia disputatione actum est, in præsenti officia Respondentis brevibus pertractemus.

IX.

Hoc fiet, si quid ei in rebus & verbis, tam in genere, quàm in specie, ad suam thesin non solùm propugnandam, sed & ad adversarij refellendam observatu necessarium sit, ostenderimus.

X.

Quo loco proderit collationem instituere scoporum seu finium utriusque, tam interrogantis quàm Respondentis: hisce enim cognitis facilius Respondentem instruere poterimus, præcepta enim ad scopum illius directa esse debent.

XI.

Est igitur interrogantis finis & scopus: τὸ ἔτως μεταγαγεῖν τὸν λόγον, ὥστε ποιῆσαι τὸν ἀποκρινόμενον τὰ ἀδοξότατα λέγειν τῶν διὰ τὴν θέσιν ἀναγκαίων: hoc est, ita circum agere disputationem, ut faciat Respondentem dicere inconvenientia & planè absurda, quæ sequuntur vel ex thesi, vel ex ab ipso concessis inter disputandum. 8. Top. cap. 3.

XII.

Hinc è contrario Respondentis talis colligitur: τὸ μὴ δι' αὑτὸν φαίνεσθαι συγκαίνειν τὸ ἀδύνατον ἢ τὸ παράδοξον ἀλλὰ διὰ τὴν θέσιν: hoc est, ita se gerere, ne videatur incommodum aut absurdum ex sua sententia aut responsione sequi, sed ex quæstione ab initio proposita effici, hoc est, ex interrogantis inepta interrogatione sequi.

Hoc

gitized by Google

XIII.

Hoc Reſpondentis fine cognito, non abs re etiam erit diverſa dialogorum genera conſiderare. Ex illorum enim diverſitate, diverſa etiam naſcitur reſpondendi ratio.

XIV.

Horum igitur ſunt quatuor. Alij enim dialogi inſtituuntur γυμνασίας χάριν, id eſt, exercitij cauſſa: alij πείρας χάριν, quando alterius progreſſum tentare volumus, alij inſtituuntur inter diſcipulum & præceptorem μαθήσεως χάριν: alij denique ἀγῶνος χάριν, quando duo contentioſi de victoria inter ſe digladiantur.

XV.

Horum quatuor generum, quoniam unus idemque ſcopus non eſt, diligenter Reſpondens inter illa diſcernere debet, quod ſi enim minus fuerit circumſpectus, in duplicem errorem incidere poteſt, aut enim ponet & concedet, quæ ponenda & concedenda minimè eſſent, aut aliâs nō pro officio ſuo θέσιν tuebitur.

XVI.

In tertio genere dialogorum ſi verſabitur Reſpondens, ponere ſemper debet quæ videntur, idque ideò quia de docente iſtam debet habere opinionem, eum non niſi vera docturum, διὰ τὸ ἐπιχειρεῖν ψεῦδος οὐδεὶς διδάσκειν inquit Ariſtoteles hoc loco.

XVII.

In quarto verò ſi verſabitur ſcil: ἀγῶνος χάριν cum ſophiſta congrediens, cavere debet ne ad ullum abſurdum deducatur.

XVIII.

Verùm hæc dialogorum genera huc non pertinent, alterum enim Apodicticiſt, alterum ſophiſtæ. Nos hîc de Dialecticis generibus agemus, hoc eſt, de duobus prioribus, in quibus ſi verſabitur Reſpondens, præſertim verò in priori, triplicem ei theſin defendendam demandamus, ἔνδοξον, ἄδοξον καὶ μηδετέραν.

XIX.

Ἔνδοξος vel ἄδοξος theſis erit vel ἁπλῶς talis, hoc eſt, vel conſentiet univerſè cum hominum opinionibus, vel omnimodo ab ijsdem abludet, vel erit talis ὁμωνύμως, hoc eſt, huic ἔνδοξος alteri verò ἄδοξος.

XX.

Neutram theſin appellamus, quæ nec per ſe abſurda eſt, nec etiam ἔνδοξος aut hominum opinionibus conſentanea, ſed in utramq; partem varias admittit rationes & in utramq; partem diſceptari poteſt.

Hæc

XXI.

Hac diviſione præmiſſa generale primum Reſpondens hoc teneat præceptum: Caveto Reſpondens quamcunque theſin tueatur, ne contrarium ab interrogante concludatur. Vnicum enim interrogantis inſtitutum eſt concludere θέσεως contrarium.

XXII.

Hoc præceptum ut rectius intelligatur, per ſingulas theſium ſpecies deducendum eſt.

XXIII.

Si igitur tua theſis ſit ἔνδοξος & quidem ἁπλῶς talis, tunc interrogans Concluſionem efficere conabitur prorſus abſurdam, quod ſi ſit, tu ſolùm τὰ δοκοῦντα concedere debes, hoc eſt, quæ ſpeciem veri in animo habent, concedere, & ea quæ minus abſurda videntur, quàm Concluſio contraria theſi.

XXIV.

Quod ſi vero theſin planè abſurdam tueri velis; interrogans concludet ἐνδόξως, Concluſionemq; ſuam conabitur probare per ἐνδοξότατα. Hîc diligenter attendendum, ne concedas quicquam quod ſit magis ἔνδοξον tua theſi, ita enim ad Concluſionem progredi ille non poterit.

XXV.

Quod ſi theſis neque ſit ἔνδοξος neque ἄδοξος ſed neutra, hoc eſt, medio ſe habeat modo, liberalis debet eſſe Reſpondens ac omnia ea concedere, quæ ἔνδοξον magis ſapiunt, ſic enim tandem apparebit, in quam partem aſſenſus ſeſe inclinare debeat.

XXVI.

Denique ita Reſpondens ſuum adminiſtrare debet officium, ut ſi theſin ἁπλῶς ἔνδοξον vel ἄδοξον propugnet, etiam ἁπλῶς & ex communi ſententia de ea diſputet.

XXVII.

Alia verò ratio eſt, ſi theſis ſit definita, utpote, cum Reſpondens vel ſuum aliquod placitum, vel magni alicujus viri propugnat, tunc enim cautela opus eſt, ut ſi ſibi quod placet obtinere velit, ſolùm ea concedat, quæ contra theſin ſuam non faciunt.

XXVIII.

Quod ſi verò alterius ſententiam tueatur, perſonam illius induere debet, ſic ut nihil concedat, niſi quod ipſe concederet, nihil neget, niſi quod autor placiti illius negaret.

XXIX.

Refutantur hoc modo ſapè totæ ſcientiæ quod non conſtent ſibi. Sic apud Cicero-

Digitized by Google

Ciceronem Carneades vapulat, apud Medicos hodie Fernelius. Vtinam & in Theologia non hoc peccatum crebro peccaretur.

XXX.

Hactenus, quæ Respondens pro sua parte, id est, suæ θέσεως ratione considerare debet, nunc quid interrogantis respectu illi sit observandum porrò videbimus.

XXXI.

Hoc ut fiat rectius, initiò interrogata duobus modis dividimus: & primum quidem eadem ratione, qua supra thesin. Omne enim ἐρωτώμενον aut est ἔνδοξον aut ἄδοξον aut μηδέτερον. Altera divisio est: ἢ πρὸς τὸν λόγον, ἢ μὴ πρὸς τὸν λόγον ἐστὶ τὸ ἐρωτώμενον, id est, omne interrogatum aut directè pugnat contra thesin aut non pugnat.

XXXII.

Hanc duplicem divisionem ejusmodi sequuntur præcepta 1. Si interrogatum sit ἔνδοξον sed non πρὸς λόγον, id est, ad thesin labefactandam non faciat, Respondens concedere debet cum hac protestatione; esse quidem ἔνδοξον, sed ad præsentem controversiam nihil facere.

XXXIII.

2. Quod si verò interrogatum sit absurdum, & ad rem non pertineat, liberalis debet esse Respondens, præmonere tamen absurdum esse, cæterum se admittere in præsenti, nihil enim officere suæ thesi. Idem quoque in ἐρωτωμένοις μηδετέροις faciet.

XXXIV.

Rationem horum præceptorum si fortè requiris, dari ea multiplex potest. Primùm enim viri boni opinionem sibi conciliat Respondens, si non difficilis sit in concedendo. Deinde etiam simplicitatis opinionem devitat dum distinguit, hoc est ἔνδοξον, hoc non est; item hoc non facit ad rem, hoc facit.

XXXV.

3. Prac. Quod si verò ἐρωτώμενον sit ἔνδοξον καὶ πρὸς τὸν λόγον, id est, contra thesin faciat, dicendum, peti id quod in principio, aut non plus habere veri similitudinis, quàm proposita thesis, quæ tamen ut dubia in disputationem vocata sit.

XXXVI.

4. Si verò propria sit interrogatio & ἄδοξος repudiari debet, sed addi facere quidem contra thesin, sed nulla ratione niti.

XXXVII.

Denique si neutra sit & propria, neutram, id est, valdè dubiam esse o-

ſtendendum eſt, ac proinde nihil certi inde poſſe colligi, & ſic Reſpondens vitium omne evitabit, ſi quidem omnia ea ratione concedit, ut appareat, eum videre quid futurum ſit: interrogans autem progredi etiam, ſi velit, poteſt, cum omnia ei concedantur conſentanea magis ipſa Concluſione.

XXXVIII.

Hæc ſunt quæ in rebus potiſſimùm Reſpondenti tam pro ſua theſi defendenda, quam interrogantis quæſtione refellenda conſideratu ſunt neceſſaria. Iam ſequuntur ea, quæ in verbis multiplicem ſignificationem habentibus obſervanda veniunt.

XXXIX.

Si verbum ponatur in interrogatione, cujus ſignificatio non intelligatur à Reſpondente, tum licet dicere: in qua ſignificatione vocabulum hoc accipi velit interrogans. Hoc enim niſi fiat, difficilis ſolet error naſci, poteſtate verbi non percepta: concedetur enim ea ratione, quod concedendum minimè erat.

XL.

Quod ſi multiplex verbi poteſtas aperta eſt & intelligitur, tum interogatio ſecundum omnia ſignificata erit εὐδοξῶς, vel ſecundum omnia ἀδοξῶς: vel denique ſecundum alia ſignificata εὐδοξῶς, ſecundum alia ἀδοξῶς.

XLI.

Si ſecundum omnia εὐδοξῶς eſt, tùm ſimpliciter eſt concedenda, ſi ἀδοξῶς ſecundum omnia, neganda: ſi verò ſecundum aliqua ſignificata ſit εὐδοξῶς, ſecundum alia ἀδοξῶς diſtinguenda vocabuli multiplex eſt poteſtas, docendumque, in quibus ſignificatis concedi poſſit, quorum item reſpectu concedi nequeat.

XLII.

Quoniam verò nemo tam perſpicacis eſt ingenij, quin aliquando cæcutiat, fieri poteſt ut Reſpondens multiplicem verbi poteſtatem non ſtatim animadvertat, ſed ſimpliciter reſpondeat, num propterea captus erit? Minimè: ſed ſi interrogans alia ſignificatione vocabuli illum urgeat Reſpondens proteſtari debet, ſe ad illam vocabuli ſignificationem non reſpexiſſe, ſed aliá pro vero interrogatum admiſiſſe.

XLIII.

Quod ſi verò interrogatio ſimplex ſit & aperta, nullaq; lateat in verbis obſcuritas, Reſpondens Categoricè debet reſpondere, ita vel non, hæc enim ſecundum Agellium arcis dialecticæ lex eſt, dicere ita vel non.

Hoc

XLIV.

Hoc fiet ſi propoſitionum diviſio 8. Topico. cap. 1. ab Ariſtotele poſita, huc aſſumatur, ubi ajebat: propoſitiones alias eſſe ἀναγκαίας, id eſt, neceſſarias, & ad Concluſionem facientes: alias non neceſſarias: quæ ad neceſſarias adhibentur, confirmantq; majorem vel minorem principalis ſyllogiſmi.

XLV.

Non neceſſariæ rurſus ſunt in duplici differentia: vel enim ſunt ἐπαγωγικὰ quæ adhibentur ad confirmandam univerſalem: vel ſimilitudinem habent cum præmiſſis principalis ſyllogiſmi: ἢ γὰρ δι' ἐπαγωγὴν, ἢ δι' ὁμοιότητα, ὡς δεῖ τὸ πολὺ τὸ καθόλου λαμβάνουσι. 8. Top. cap. 8.

XLVI.

Si igitur hujusmodi propoſitiones afferantur, videndum an Conſentaneæ ſint hominum opinionibus, quod ſi ita eſt, non ſunt negandæ; poſtea verò ſi ex illis inferatur univerſale, occurrentum eſt ἐνστάσει, ſive ea ſit ὄντα, id eſt, exiſtens, quæ verè impedit, quo minus concludatur: ſive δοκοῦντα, id eſt, quæ videtur quidem ἔνστασις, revera tamen non eſt.

XLVII.

Non enim neganda ſunt ſingula ἔνδοξα, ſed contra univerſale, quod inde concluditur, operam det Reſpondens, ut ἔνστασιν habeat in promptu, ſi non ὄντα ſaltem δοκοῦντα: vitioſus namque eſt reſpondens, qui nullam habet: τὸ γὰρ ἄνευ ἐνστάσεως κωλύειν τὸν λόγον δυσκολαίνειν ἐστί.

XLVIII.

Longè autem ineptior eſt reſpondens is, qui ne quidem ἐπιχείρημα habet, hoc eſt, rationem & argumentum pro ſua theſi ſtabilienda, duplici enim vitio laborat. 1. Non poteſt ſolvere argumentum adverſarij. 2. Neque hoc poteſt, ut argumentum ſaltem pro ſua theſi afferat.

XLIX.

Quo loco tamen ſciendum, non propterea, ſi Reſpondens tam ſtupidus fuerit, ut nec ſolvere adverſarij argumenta, nec theſin ſuam confirmare ratione quadam poſſit, falſam eſſe propoſitam theſin: poteſt enim bonum propoſitum & verum vitioſè adminiſtrari.

L.

Hactenus quid utrobiq; Reſpondenti faciendum, ſi officium ſuum rectè adminiſtrare velit. Quemadmodum verò temeritatis notam nunquam effugie ris, qui pugnam inire vellet, nec belli ſimulachra prius unquam tentaſſet: ſic audacis eſt ingenij ac parum providi, ſi quis diſputatione antea non viſa,

ſtendendum eſt, ac proinde nihil certi inde poſſe colligi, & ſic Reſpondens vitium omne evitabit, ſi quidem omnia ea ratione concedit, ut appareat, eum videre quid futurum ſit: interrogans autem progredi etiam, ſi velit, poteſt, cum omnia ei concedantur conſentanea magis ipſa Concluſione.

XXXVIII.

Hæc ſunt quæ in rebus potiſſimùm Reſpondenti tam pro ſua theſi defendenda, quam interrogantis quæſtione refellenda conſideratu ſunt neceſſaria. Iam ſequuntur ea, quæ in verbis multiplicem ſignificationem habentibus obſervanda veniunt.

XXXIX.

Si verbum ponatur in interrogatione, cujus ſignificatio non intelligatur à Reſpondente, tum licet dicere: in qua ſignificatione vocabulum hoc accipi velit interrogans. Hoc enim niſi fiat, difficilis ſolet error naſci, poteſtate verbi non percepta: concedetur enim ea ratione, quod concedendum minimè erat.

XL.

Quod ſi multiplex verbi poteſtas aperta eſt & intelligitur, tum interogatio ſecundum omnia ſignificata erit ἐνδοξῶς, vel ſecundum omnia ἀδοξῶς: vel denique ſecundum alia ſignificata ἐνδοξῶς, ſecundum alia ἀδοξῶς.

XLI.

Si ſecundum omnia ἐνδοξῶς eſt, tùm ſimpliciter eſt concedenda, ſi ἀδοξῶς ſecundum omnia, neganda: ſi verò ſecundum aliqua ſignificata ſit ἐνδοξῶς, ſecundum alia ἀδοξῶς diſtinguenda vocabuli multiplex eſt poteſtas, docendumque, in quibus ſignificatis concedi poſſit, quorum item reſpectu concedi nequeat.

XLII.

Quoniam verò nemo tam perſpicacis eſt ingenij, quin aliquando cæcutiat, fieri poteſt ut Reſpondens multiplicem verbi poteſtatem non ſtatim animadvertat, ſed ſimpliciter reſpondeat, num propterea captus erit? Minimè: ſed ſi interrogans alia ſignificatione vocabuli illum urgeat Reſpondens proteſtari debet, ſe ad illam vocabuli ſignificationem non reſpexiſſe, ſed aliá pro vero interrogatum admiſiſſe.

XLIII.

Quod ſi verò interrogatio ſimplex ſit & aperta, nullaq; lateat in verbis obſcuritas, Reſpondens Categoricè debet reſpondere, ita vel non, hæc enim ſecundum Agellium arcis dialecticæ lex eſt, dicere ita vel non.

Hoc

Digitized by Google

XLIV.

Hoc fiet ſi propoſitionum diviſio 8. Topico. cap. 1. ab Ariſtotele poſita, huc aſſumatur, ubi ajebat: propoſitiones alias eſſe ἀναγκαίας, id eſt, neceſſarias, & ad Concluſionem facientes: alias non neceſſarias: quæ ad neceſſarias adhibentur, confirmantq; majorem vel minorem principalis ſyllogiſmi.

XLV.

Non neceſſariæ rurſus ſunt in duplici differentia: vel enim ſunt ἐπαγωγικὰ quæ adhibentur ad confirmandam univerſalem: vel ſimilitudinem habent cum præmiſſis principalis ſyllogiſmi: ἢ γὰρ δι' ἐπαγωγὴν, ἢ δι' ὁμοιότητα, ὡς ὅπερ τὸ πολὺ τὸ καθόλου λαμβάνουσι. 8. Top. cap. 8.

XLVI.

Si igitur hujusmodi propoſitiones afferantur, videndum an Conſentaneæ ſint hominum opinionibus, quod ſi ita eſt, non ſunt neganda; poſtea verò ſi ex illis inferatur univerſale, occurrentum eſt ἐνστάσει, ſive ea ſit ὄντως, id eſt, exiſtens, quæ verè impedit, quo minus concludatur: ſive δοκοῦσα, id eſt, quæ videtur quidem ἔνστασις, revera tamen non eſt.

XLVII.

Non enim neganda ſunt ſingula ἔνδοξα, ſed contra univerſale, quod inde concluditur, operam det Reſpondens, ut ἔνστασιν habeat in promptu, ſi non ὄντως ſaltem δοκοῦσαν: vitioſus namque eſt reſpondens, qui nullam habet: τὸ γὰρ ἄνευ ἐνστάσεως κωλύειν τὸν λόγον δυσπολαύστου ἐστί.

XLVIII.

Longè autem ineptior eſt reſpondens ille, qui ne quidem ἀντεπιχείρημα habet, hoc eſt, rationem & argumentum pro ſua theſi ſtabilienda, duplici enim vitio laborat. 1. Non poteſt ſolvere argumentum adverſarij. 2. Neque hoc poteſt, ut argumentum ſaltem pro ſua theſi afferat.

XLIX.

Quo loco tamen ſciendum, non propterea, ſi Reſpondens tam ſtupidus fuerit, ut nec ſolvere adverſarij argumenta, nec theſin ſuam confirmare ratione quadam poſſit, falſam eſſe propoſitam theſin: poteſt enim bonum propoſitum & verum vitiosè adminiſtrari.

L.

Hactenus quid utrobiq; Reſpondenti faciendum, ſi officium ſuum rectè adminiſtrare velit. Quemadmodum verò temeritatis notam nunquam effugie rit, qui pugnam inire vellet, nec belli ſimulachra prius unquam tentaſſet: ſic audacis eſt ingenij ac parum providi, ſi quis diſputatione antea non viſa,

publicè in arenam descendere non vereatur. Quare porro videndum quæ respondenti considerandæ veniant, antequam disputationis aleam experiatur.

LI.

Hîc diligenter ei attendum ad quodnam genus problematum thesis, quam in medium est projecturus pertineat, an ad generis problema, an ad definitionis, proprij aut accidentis.

LII.

Quod si indagarit, recurrere debet ad locos illius problematis, eosque ordine percurrere, videre etiam, qui contra se faciant, & quomodo illis occurri possit, & sic demum ad disputandum accedat & erit paratior.

LIII.

In seligenda verò materia, de qua disceptare cupit, hoc illi cum interrogante commune est, non prorsus absurdam defendere thesin; præsertim in qua occurrunt, ex quibus multa sequuntur inconvenientia & absurda, aut quæ bonos mores sive religionis sanitatem convellunt, aut denique quibus ipsa hominis voluntas repugnat. Nam in ejusmodi disputatores convenit illud veteris Poëtæ: Odi homines philosophâ sententia improba vita.

LIV.

Sed dicet quis? Audio quidem multa Respondenti præscribi quomodo verò objecta ab adversario argumenta diluere debeat, nondum audio: huic etiam ut satisfiat, modum quoque solvendi objecta paucis delineemus.

LV.

Quod si igitur suam thesin veram esse credas, tunc Conclusionem thesi contrariam falsam judicabis, oportet ergo ex falsis præmissis sit deducta, ex veris enim nilnisi verum sequitur, ideo præmissarum falsitatem docere debes.

LVI.

Ubi observes ut doceas falsitatem non cujusq; falsæ præmissæ, sed τὸ πρῶτον ψεῦδος, id est, primum falsi nervum incidas, & sic rectè Conclusionem evertisti, quod nisi feceris, fieri non difficulter potest, ut Conclusio tamen te urgeat.

LVII.

Denique ut multa pacis comprehendamus: in dissolutione argumentorum Respondens ad quatuor respicere debet. 1. Vel ad naturam & materiam propositionum. 2. Vel operam det ne adversarius ad Conclusionem pervenire possit. 3. Vel denique reprehendat rem propositam. 4. Vel personam proponentem.

Ex

LVIII.

Ex rerum natura quomodo ſolvere debeat argumenta jam monſtratum eſt: adverſarij verò Concluſionem impedire quatuor modis poterit. 1. Si refutet primam cauſam falſæ Concluſionis, qua de re modo. 2. Si adferatur ἐρώτησις adverſus interrogantem. 3. Si dicatur non interrogatum eſſe rectè. 4. Si aliquid interjiciatur cujus diſcuſſio ſit longiſſimi temporis, adeoque valdè procul diſputatio abducatur à ſcopo.

LIX.

Horum quatuor Concluſionem impediendi modorum primus ſaltem eſt laudabilis, quando nimirum prima cauſa falſæ Concluſionis fuerit enervata, reliqui omnes ſunt ſucceſſivè deteriores. Poſtrema duo prudentiæ Reſpondentis nunc committimus.

LX.

Hæc ſunt quæ reſpondentem informare poſſunt, quæ ſi altius memoriæ infixerit, cum laude & feliciter, munus ſuum obire poterit.

ΠΑΡΕΡΓΑ,

I.

NOn caret illud difficultate: Ariſtoteles 1. Magn. Moral. cap. 1. dicit: expoſitio τὰ πὶ ἐσὶ expoſitionem ἕ πῶς ἔχει præcedit. Idem repetit. 2. Eudem. cap. 1. Quo tamen mox loco ſubjungit: τὶ μὲν γὰρ ἑκάτερον ὅτων σὐκ ἔσμεν πρὸς μὲν τοῦτοι τὸ εἰδέναι τι ἑκάτερον αὐτῶν περὶ ἔργου τὶ ἄτως ἔχει.

II.

Ut nec hoc: Ariſtoteles 4. Meteorol. aſſerit, cap. 3. aſſas cernes elixis eſſe humidiores, idque rationibus ſatis idoneis docere videtur. Contra tamen Galenus ire videtur. 3. De alimentorum facultatibus cap. 1. Aſſa inquiunt ſiccius dant corpori alimentum, quæ in aqua coquuntur humidius, quæ in patinis intermedium.

III.

Non videtur in ijsdem Meteorologicis rectè per-

ſpexiſſe, quomodo vim comburendi frigus habeat Ariſtoteles, uti nec Galeotus Martius Ariſtotelis ea parte interpres. *l. 4. Meteor. cap. 5.*

IV.

Si verum eſt, quod Ariſtoteles. 1. Rhet. cap. 1 dicit, quosdam ne à doctiſſimis quidem doceri poſſe: quomodo ſtabit 1. Metaph. illud præliminare axioma: omnes homines natura ſcire deſiderant. Erit ergo appetitus naturalis in quibusdam irritus & fruſtraneus.

V.

Ineptè illi Politici, qui de optima ſolum Repub. circumſpiciunt, non item de ea, quæ haberi poteſt pro his hominibus hoc loco tempore, &c.

VI.

Tubæ bellorum & ſeditionum apud veteres erant Tribuni plebis, De magogi, Hiſtriones: in horum locum hodie ſucceſcere, Oratores, Judæi & Hiſtriones cucullati.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO XX.

MICHAELIS PICCARTI

De

PRAEDICAMENTO SUBSTANTIÆ.

Respondit

Johannes Reccius Herspruccensis.

Mens. Majo. cIↃ IↃ c IX.

THESIS I.

EXplicaturus Aristoteles χήματα κατηγοριῶν sive modos attribuendi, ab ea orditur divisione, qua Ens in substantiam & accidens dispescitur: & rectè quidem, hæc enim cum summa rerum genera, & ultima attributorum constituat ad prædicamentorum numerum idvestigandum, unica sufficere videtur.

II.

In horum autem generum explicatione, unicum & totum librum insumit tribus potissimum constantem partibus, antepradicamentis, ipsis prædicamentis & postpradicamentis.

III

Prioribus & posterioribus omissis, ipsa prædicamenta in manus suscipiamus, & quidem partem eam, quæ de Substantia tractat, reliquas alijs occasionibus reservaturi.

IV.

Huic substantiæ Aristoteles principem locum tribuit, cognitionis, nobilitatis vel dignitatis, & denique fundamenti ratione permotus.

V.

Antequam verò rem ipsam adgrediamur despicienda primus homonymiæ vocabuli est, quò citra ullam ambiguitatem quid res sit de qua agimus, cognoscere possimus.

VI.

Vsurpatur autem variè à Philosophis vocabulum substantiæ, primo namque

que latissimè pro quolibet ὑποκείμενῳ, quâ accidentibus quoque essendi vocabulum vel subsistendi (impropriè tamen) tribuitur: strictius verò pro qualibet natura quæ non inest subjecto alicui Physico.

VII.

Hæc rursus bifariam potest intelligi, aut enim ista substantia est simplex, aut est composita. Simplex vel est nobilior, composito, vel deterior. Nobilior inquit Ammonius est Deus, Angelus, mens, anima, deterior materia prima, & forma, quæ satiùs Philosophicè ab eo dicta fuerint ambigo.

VIII.

Nos cum Aristotele removemus substantias istas simplices, acturi solummodo de compositis; non enim propositum est Aristoteli, libello hoc, agere, vel physicum, vel Theologum, sed instruere nos, de certis sedibus ex quibus prædicata & subjecta depromere possimus, & enunciationes extruere.

IX.

In quam sententiam Ammonius eleganter de Scopo hujus Categoriæ ait, propositum esse Aristoteli ἐν ταῖς πάσης οὐσίας διδάξαι ἁπλῶς μόνης τὸ σωθῆναι ἢ καὶ τὴν γνῶσιν ἔχει ὁ πολὺς ἄνθρωπος.

X.

In hac Categoria potissimum tria agenda sunt, primo natura substantiæ indicanda est, Secundo conferenda cum aliis, Tertio ejus proprietates declarandæ.

XI.

Ad declarationem substantiæ quòd attinet, sciendum eam propriè definiri non posse, primo quia non habet verum genus per quod definiatur. Cum enim οὐσία summum sit genus, superius aliquod habere non potest, omnis autem definitio, genere, & differentia, constare debet.

XII.

Dices forsan: At genus substantia potest constitui Ens? Respondemus & hoc etiam non posse, nam Ens cujusq; rei verum genus non est, quia non est communis Entu aliqua natura, qualem vera genera habent, quæ concipiuntur sine intuitu specierum, sed quic quid Ens est, hoc habet primariò à substantia, secundariò ab accidentibus.

XIII.

Secunda quâ substantiam definiri non posse dicimus hæc est ratio, quia substantia est vocabulum, ab uno & de prima κατὰ μᾶλλον de secunda καθ' ἥττον dicitur, vocabula autem ab uno qua talia non definiuntur, sed ut plurimum enumeratione eorum describuntur, de quibus ipsa dicuntur, posteà enumeratione facta definitur id, quod primum est in illo genere ἐξ ἀφῆς ἐνός.

Sic sub-

Digitized by Google

XIV.

Sic ſubſtantia hic dividitur in primam & ſecundam: Prima, id eſt, πρώτως καὶ μάλιστα ſic dicta ἐστὶν ἥ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται μήτε ἐν ὑποκειμένῳ τινὶ ἐστίν, hoc eſt, quæ neque de ſubjecto aliquo dicitur neque in ſubjecto aliquo eſt ut quidam homo & quidam equus.

XV.

In qua definitione notandum eam eſſe negativam neque tamen vitioſam, habent enim locum aliquando hæ cum videlicet affirmans nulla dari poteſt, ut ſit in ſubſtantia prima Deo, videlicet & ultima, id eſt materia prima, aut quando ea negantur, quæ jam antea ſunt expoſita & cognita, ut hoc in loco repetitur, id quod in Antepraedicamentis traditum fuerat, de eſſe in ſubjecto, & dici de ſubjecto.

XVI.

Δεύτεραι δὴ οὐσίαι λέγονται ἐν οἷς ὡς εἴδεσιν αἱ πρώτως τινὲς οὐσίαι λεγόμεναι ὑπάρχουσιν. hoc eſt ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur ſpecies in quibus ſpeciebus inſunt, quæ primo ſubſtantiæ dicuntur, uno verbo ſecundæ ſubſtantiæ ſunt ſpecies, & genera, primæ vero individua.

XVII.

Non vero pugnat Ariſtoteles ſecum ipſo, qui in Metaphyſicis, ſpecies & genera vocat primas, individua verò ſecundas, longe enim alia conſideratio eſt, ibi enim accuratè καὶ ἀκριβῶς ſubſtantias conſiderat, hic verò ſecundum opinionem vulgi, quod diligentiſſimè exſecuti ſunt Simplicius & Ammonius. Vulgus enim ſenſilia objecta prima appellat.

XVIII.

Cæterum quoniam ſupra primam ſubſtantiam primò & maximè ſubſtantiam, ſive omnium rerum ſubjectum eſſe diximus, altius res eſt conſideranda conferendaque prima ſubſtantia cum ſecundis, & hæ cum accidentibus ſunt.

XIX.

I. *Quidem ſubſtantia prima nobiliſſima eſt, quia ipſa aliis non indiget, ſecundæ vero ſubſtantiæ & accidentia indigent, prima, ſive ratione exiſtentiæ, ſive ratione prædicationis, accidentia enim propriè non ſunt, ſed inſunt, ſpecies verò, & genera, à primis denominationem accipiunt.*

XX.

II. *Species & genera differunt ab accidentibus, quod illa ſic de ſubjecto prædicantur, ut ei & nomen & definitionem tribuant, hæc verò etſi quidem tribuunt nomen, non tamen proindè etiam definitionem tribuere dicuntur.*

XXI.

Vnde communis natura & conditio accidentium & ſubſtantiarum ſecun-

darum hæc eſt, ut primis ſubſtantijs ſublatis impoſſibile ſit aut ſecundas ſubſtantias, aut accidentia ſupereſſe, cum utraq; eſſe ſuum â primis accipiant.

XXII.

III. *Notandum ſpecies magis eſſe ſubſtantias, quam genera, cum quia propiores ſunt primis, & optimis ſubſtantijs, tum quia ſicut prima ſubſtantia, propterea dicitur magis eſſe ſubſtantia, quia ſpeciei & generi & accidentibus ſubjicitur ita & ſpecies meritò genus præcedit, cum non tantum accidentibus, ut genera verum inſuper generibus ſubjiciatur.*

XXIII.

Quarta comparatio infimarum inter ſe ſpecierum eſt, quarum unam alteram, magis ſubſtantiam eſſe negamus, hâc inducti ratione. Quæcunque uni tertio conveniunt illa inter ſe conveniunt. Species diverſæ diverſarum primarum ſubſtantiarum, ſub uno genere contentarum, de ſubſtantijs primis dicuntur, & hi æqualiter conveniunt. Ergo ſpecies diverſæ primarum ſubſtantiarum, æqualiter ſpecies, & ſubſtantiæ ſunt, v. g. Hic homo non eſt magis homo, quam hæc roſa eſt roſa.

XXIV.

Ex eadem cauſa, nec prima ſubſtantia, una magis minúsve erit ſubſtantia alterâ, quod ex eo conſtare poteſt etiam, quia dictæ ſunt maximè ſubſtantiæ. Superlativus autem ut in ſcholis loquimur nec intenditur, nec remittitur.

XXV.

Quanquam autem primæ ſubſtantiæ ſunt maximè ſubſtantiæ, ſpecies tamen, & genera, nec minus ſubſtantiæ dici debent.

XXVI.

Primo quia ſemper ad primarum ſubſtantiarum naturam declarandam & definiendam, ſecundæ neceſſariò requiruntur, præter has enim de primis nihil in quid prædicatur. Secundo quia quemadmodum prima ideo dicitur ſubſtantia quod ſecundæ & accidentia de ijs prædicantur, ita ſecundæ quoque quoniam accidentibus etiam ſubjiciuntur ſubſtantiæ nomen mereri dicuntur.

XXVII.

Pertractatis hoc modo duobus hujus Categoriæ capitibus, ad tertium, hoc eſt, ad proprietates veniamus, cum enim ſubſtantiæ natura definitione certa aperiri non poſſit, id notis quibusdam quo defectus definitionis compleatur præſtandum erit, hæ enim aliquando naturam rei evolvere atque explicare poſſunt.

XXVIII.

Primò autem commune omnibus ſubſtantijs eſt, ut non ſint in ſubjecto, de primis ex præcedentibus hoc conſtat, de ſecundis ſubſtantijs ita probatur: Si ſecundæ ſubſtantiæ eſſent in primis tanquam in ſubjecto, earum definitio primis

Digitized by Google

mis non conveniret; ſubjecti enim & quod in ſubjecto eſt, non eſt eadem definitio. At ſecundarum ſubſtantiarum definitio primis competit, hominis, v.g. definitio Petro, equi Bucephalo: Ergo in primis non inſunt ut in ſubjecto.

XXIX.

Verum enimverò non videtur hoc proprium ſolis tribui ſubſtantijs poſſe, ſi inprimis in quarto modo proprij ſignificationem accipias: inquit enim Ariſtoteles competere illud etiam differentijs, quæ ſubſtantiæ non ſunt ſed accidentia.

XXX.

Quo loco gravis bolus objicitur: de differentijs ſubſtantiarum, ſint ne ſubſtantiæ nec ne? Ariſtoteles hic negat dum inquit, non eſſe proprium ſubſtantijs, non ineſſe in ſubjecto quia ſit commune cum differentijs. Diſtinctione res ſalvari poteſt, nimirum ſi dicamus differentias logicè conſideratas non eſſe ſubſtantias phyſicè eſſe.

XXXI.

Logicè ſub eodem genere ſunt, quæ eundem habent modum ſive figuram prædicandi: Vnde differentiæ quia in quali prædicantur de ijs, quorum ſunt differentiæ non in quid, Logicè non dicuntur ſubſtantiæ, Phyſicè autem ſunt ſubſtantiæ, quia cum genere conſtituunt ſpeciem.

XXXII.

Rejiciuntur hac proprietate partes ſubſtantiarum quoque, neque enim eo modo in toto ſunt, quô accidens in ſubjecto, aperte enim excluditur in definitione, τὸ ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι modus ineſſendi ut pars.

XXXIII.

Altera proprietas ſecundarum ſubſtantiarum tantùm eſt, συνωνύμως de rebus dici. Quæ proprietas ad primas non pertinet, quippe quæ ſemper ſubjiciuntur nunquam prædicantur, de ſecundis verò ex eo patet, quia de primis & ſecundum nomen & ſecundum definitionem prædicantur.

XXXIV.

Tertia eſt quâ omnis ſubſtantia τὸ τῇ τι id eſt, hoc aliquid dicitur ſignificare, quæ ſolis competit ſubſtantijs primis, hæ enim unum ſunt & individuum.

XXXV.

Secundis non competit etſi enim σύμαστα τῆς κατηγορίας unum, & hoc aliquid videantur ſignificare, revera tamen compoſitum quid, & multiplex denotant, & ut Ammonius loquitur qualitatem quandam eſſentialem. Atque hæ ſunt internæ veluti ſubſtantiarum notæ.

XXXVI.

Prima ſubſtantiam deſcribit ratione ὑποκείσεως. Secunda Reſpectu τῆς κατηγορίας. Tertia Reſpectu τῆς ἑνώσεως ſive νοήσεως.

XXXVII.

Reſtant externæ adhuc tres, quarum prima quod ſubſtantiæ nihil ſit contrarium, cum enim omnis ſubſtantia inſit in ſubjecto, contraria verò ſubjecto ſuo definiantur, non potuerunt ſubſtantiæ contrariæ dici, quæ ipſum ſubjectum ſunt, non ſubjecto inſunt.

XXXVIII.

Quod cautè tamen intelligendum eſt, non enim ſubſtantiis hoc competit qualificatiu, hoc eſt his vel illis qualitatibus præditis, ſed ſubſtantiis, quâ ſubſtantijs, absque accidentibus conſideratis.

XXXIX.

Notandum etiam nec hanc proprietatem eſſe, in quarto modo, ſiquidē communis eſt & quantitatibus. Quemadmodum enim ſubſtantiæ non eſt contraria, ita nec bicubito, tricubito, quadrangulo, triangulo, aliquid contrariū eſſe poteſt.

XL.

Secunda externa proprietas fluens ex priore eſt, qua negatur ſubſtantias recipere magis & minus, ubi enim nulla contrarietas, ibi nulla intenſio aut remiſſio.

XLI.

Quod rurſus cum grano ſalis capiendum eſt, ſcilicet de eodem ordine ſubſtantiarum, non verò de diverſis, ſupra enim diximus primam magis eſſe ſubſtantiam, quam ſecundam, ſpecies item quam genera.

XLII.

Vltima proprietas eſt & maximè propria ſubſtantiarum, dum capaces contrariorum eſſe dicuntur, idem namque homo, & albus & niger, & improbus & probus, diverſo tempore fieri poteſt.

XLIII.

Nec obſtat oratio vel opinio, quâ Petrum, v. g. modò ſedentem, verè dica ſedere, quæ oratio tamen vel opinio cum ſurgit, eſt falſa. Dupliciter enim hoc refelli poteſt: primo contrarij aliquid capax eſt, vel cum ſui mutatione & alteratione vel ſine ea.

XLIV.

Subſtantia recipit contraria ſed eō modō, ut ſimul alteretur vel mutetur: contra in oratione aut in opinione ſe res habet, utrumque enim fluxum aliquid & evaneſcens eſt nec partium habet Theſin.

XLV.

Quod ſi minus reſponſio hæc arridet, poſſumus negare orationem & opinionem recipere contraria, ſed contrarietas illa rei accidit, de qua opinio eſt. Vel oratio fit, vel verſatur in mutuo rei & orationis reſpovſu.

XLVI.

Si lineam objicias, quæ eadem manens quoq; modò recta modò curva fieri videtur.

Digitized by Go

videtur. Respondemus lineam non esse eandem numero, sed differre specie, re- Ratio enim & cur vitij formæ sunt lineæ, quæ forma speciei differentiam constituunt, non autem unitas ad materiam est restringenda, quæ res non denominat, sed ad formam quæ dat esse rei. Atque hæc de Substantiæ prædicamento ὡς ἐν τύπῳ dicta sufficiant.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

Consentienter philosophiæ sinceriori loquitur Galenus cum ait ὑγιεινῶν α: Ἀφθαρτον ποιῆσαι τὸ γεννητὸν οὐκ ἔστι τε. Sed quomodo cum his consentiunt illa lib. περὶ μαρασμοῦ: τὸ γὰρ ὅπῃ τὸ γεννητὸν πᾶν φθαρήσεται πάντως, οὐ τοῦτο σημαινόμενόν ἐστι διαγκαῖον ἐχεῖ τῷ ἀναλυθῆναι, ἀλλ' ἄχει δ' ἐπὶ πλεῖστον χρόνον.

II.

Sæpe inculcat Aristoteles puta 6. Phys. t. 92. 8. phys. t. 75. & 1. de Cœlo cap. de Infinito: Naturam non aggredi id, quod se consecuturam non speret. Alibi tamen adserit illis inter quæ si ordo, si posterius fieri nequeat, non idcirco, non fieri posse antecedens.

III.

Non rectè reprehendi philosophum nostrum censemus quod in 5. de Historia Animalium cap. 19. scripserit, quædam animalia in nive & igne generari.

IV.

Quomodo dicit Aristoteles sect. 23. Problem. 15. Cur ἡ μὲν θάλαττα καίεται, τὸ δὲ ὕδωρ οὐ. An Mare non est aqua? an aqua item ferro ignito inspersa non comburitur?

V.

Curando fieri quædam peiora videmus vulnera, quæ melius non tetigisse fuit: Sic in politicis hodiè pessimo publico errata gravioribus erratis curamus, quod nolebat olim Periander: μὴ dicebat ἓν κακὸν κακῷ.

VI.

Magnum est Aristocraticæ dominationis arcanum, cavere, ne patricij cum plebeis matrimonia ineant, neve item familiæ deficiant patriciæ, sed sublegantur aliæ.

(o)

DISPUTATIO XXI.

MICHAELIS PICCARTI

DE OPPOSITIS.

Respondit

Johannes Leopoldus Norimb.

Mens. Maij. cIↃ IↃ c IX.

THESIS I.

GRaci Interpretes libellum Categoriarum dividere soliti fuerunt in tres partes. Prima erat in τὰ περὶ τῶν καθηγοριῶν. 2. in τὰς καθηγορίας. 3. in τὰ μετὰ τὰς καθηγορίας.

II.

De his tribus autem partibus una Disputatione agere non est animus, neq; materiæ ubertas ac difficultas patitur, neq; tempus concedit. Igitur tertiam saltem partem hac Disputatione tractabimus, non quidem totam, sed saltem nobilissimam illam doctrinam περὶ τῶν ἀντικειμένων.

III.

Quoniam primò nullius rei crebrior fit mentio in toto opere Logico quam oppositorum, & prædicamenta sine illorum cognitione vix intelligi possunt. Nam substantia recipit contraria: in Relatis secundum dici, in Qualitate, in Actione, & in Passione contrarietatem posuit Aristoteles.

IV.

Deinde hæc doctrina eò commendatio nobis debet esse, qui Novi Philosophi ex agro Logico illam exterminant, & ad Methaphysicum ablegant.

V.

Hujusmodi etiam cognitio ad omnes scientias, in quibus passim harum dictionum usus est, maximè utilis est & consentanea.

VI.

Notandum autem Aristotelem non de quavis Oppositione hîc agere, sed de simplicium saltem terminorum oppositione. Siquidem de Oppositione eorum terminorum in postprædicamentis agere oportebat, qui termini in veris prædicamentis locum habent.

Non

Digitized by Google

VII.

Non ponit autem Aristoteles generalem Oppositorum definitionem duplici de causa. Primùm quia est vocabulum ἀφ' ἑνὸς, hoc est, non æqualiter, sed secundum magis & minus de suis speciebus dicitur. Hæc autem commodè definiri non posse notum est. Deinde quia æquè ex membris divisionis Oppositorum natura elucet, atq; si definitio allata fuisset.

VIII.

Affertur autem ab Interpretibus qualiscunq; descriptio. Oppositio est duorum terminorum simplicium inter sese pugna, ita ut nec unus alteri, nec uterq; tertio possit secundum idem eodemq; modò convenire.

IX.

Hæc enim est verè oppositorum natura, ut nec conveniant τῷ αὐτῷ, nec κατὰ τὸ αὐτὸ, nec πρὸς τὸ αὐτὸ, nec denique ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ.

X.

Τῷ αὐτῷ non convenire dicuntur, quando non conveniunt uni & eidem rei, sed ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ; nec κατὰ τὸ αὐτὸ: sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο; non etiam πρὸς τὸ αὐτὸ. Sed πρός ἄλλο καὶ ἄλλο; nec denique ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, sed ἐν ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ χρόνῳ.

XI.

Quadrupliciter autem dicuntur τὰ ἀντικείμενα. ἢ ὡς τὰ πρός τι, ἢ ὡς τὰ ἐναντία, ἢ ὡς στέρησις καὶ ἕξις, ἢ ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις.

XII.

Neque hæc est divisio generis in species, sed analogi in sua analogata.

XIII.

Mirè autem sese torquent Interpretes in probando & demonstrando numero harum quatuor specierum, conantur verò hunc numerum duplici modo probare.

XIV.

Primus modus est: Opposita opponuntur inter se, aut ut Ens & Ens, aut ut Ens & non Ens. Si opponuntur ut Ens & Ens, tum vel mutuo sese expellunt ex eodem subjecto, & sunt contraria. Vel non expellunt sese, sed mutuò sese inferunt, & sic Relata sunt. Si verò opponuntur ut Ens & non Ens, tum vel simpliciter opponuntur sine circumstantia, & ea Oppositio dicitur Contradictio. Vel opponuntur ut Ens & non Ens cum circumstantia, hoc est, non Ens in tali subjecto, & ea est privativa oppositio.

XV.

Altera modus est: Opposita vel referuntur vel non referuntur. Si referuntur

Digitized by Google

runtur ſunt Relata; ſi non : vel continentur ſub eodem genere vel non continentur. Si continentur ſunt Contraria. Si non continentur ſub eodem genere aut dividunt veritatem abſolutè à mendacio, ſine circumſtantia loci, temporis aut ſubjecti, & ea dicuntur Contradicentia : aut cum circumſtantia rerum dictarum dividunt, & ea ſunt privativa.

XVI.

Progreditur autem Ariſtoteles in his ſpeciebus recenſendis, ut loquitur Ammonius, ἀπὸ τῶν μᾶλλον καὶ ἧττον τὴν θέσιν ἐχόντων, hoc eſt, ab infirmiorem poſitionem habentibus ad ea quæ habent firmiorem.

XVII.

Nam relatè Oppoſita non modo ſe non mutuò corrumpunt, ſed & invicem ſeſe ſuaviter ſuſtinent, imò uno ſublato alterum ſupereſſe non vult. Firmior paulò Oppoſitio contrariorum eſt, quia iſta ſeſe mutuò expellunt. Superat hanc Oppoſitio habitus & privationis, nam in contrarijs fieri poteſt per ſucceſſionem mutatio, verbi gratia, aqua quæ jam calida eſt poteſt fieri frigida, & quæ jam frigida eſt poteſt fieri calida. At à privatione ad habitum regreſſus non datur, quippe qui cæcus eſt viſum τῇ φύσει recipere non poteſt. Omnium tamen maximè pugnat affirmatio & negatio, quæ vulgò Contradictio appellatur, hæc enim inter Ens & non Ens, verum & falſum perpetuò diſcernit.

XVIII.

Singulas autem Ariſtoteles oppoſitionum ſpecies ὡς τύπῳ exemplis illuſtrat, deinde ad ſingulos eorum modos deſcendit, & primum à relativè Oppoſitis incipit.

XIX.

Ea vocat ὅσα ἔστιν εἰπεῖν, τῶν ἀντικειμένων, ἢ ὅπως δήποτε πρὸς ἄλληλα λέγεται.

XX.

Notandum Ariſtotelem non dixiſſe, quæ aliorum ſint & eſſe dicantur, quod ſupra in definitione τῶν πρὸς τί factum. Nam ibi Ariſtoteles rationem formalem explicabat, quæ in correlato ſita erat, hic autem rationem opponendi tantum conſiderat. De his ſatis dictum in Categoria τῶν πρὸς τι.

XXI.

Contraria verò ſunt quæ ſub eodem genere poſita (niſi ipſa ſumma ſint genera) à ſe invicem maximè diſtant, & eidem ſuſceptibili viciſſim inſunt, à quo ſe mutuò expellunt, niſi alterum inſit à naturâ.

XXII.

Hæc definitio ut eò melius intelligatur, operæ pretium eſt ſingula illius meni-

Digitized by Google

membra perpendere & conſiderare. Primum igitur Contraria ambo neceſſe eſt poni ſub eodem genere, ſive immediatè, ut albedo & nigredo ponuntur ſub colore, ſive mediatè ut liberalitas & prodigalitas.

XXIII.

Per hanc igitur particulam excluduntur ab iſta contrariorum definitione privativè Oppoſita & contradictoriè. Hæc enim non ponuntur ſub eodem genere, cum eorum alterum ſemper ſit privatio vel negatio quæ ſub nullo genere ponuntur: propterea quod rem veram & poſitivam non ſignificent, ſed rei tantum privationem.

XXIV.

Deinde Contraria maximè à ſe invicem diſtare debent. Quod capiendum eſt de diſtantia & pugnantia ex parte naturæ. In cujus defectu qualitates non dicuntur contrariæ, neq; una qualitas extrema, & altera media, ut rubedo & pallor, vel albedo & rubedo. Hæc enim non maximè diſtant: cum plus ab invicem diſtent duo extrema, albedo & nigredo.

XXV.

Additur etiam hoc ad contrariorum naturam intelligendam, quod eidem ſubjecto ſuſceptibili viciſſim poſſint ineſſe, quodq; ſe invicem pellant à ſubjecto. Licet enim contrariæ eidem ſimul ineſſe non poſſint, ut nec Oppoſita, ſucceſſivè tamen ineſſe poſſunt: & ideò dicuntur ſe invicem pellere à ſubjecto, quoniam adveniente uno cedit & abit alterum.

XXVI.

Calor verbi gratia & frigus, albedo & nigredo viciſſim inſunt eidem: quoniam id quod nunc eſt album vel calidum, poteſt fieri nigrum vel frigidum, non tamen ſimul ſunt, ſed invicem ſe pellunt, quoniam adveniente frigore & nigredine fugit calor & albedo.

XXVII.

Signanter in fine adjungitur particula illa: niſi alterum inſit à natura. Videlicet ad inſinuandum, quod in illis ſubjectis, quibus à natura determinatum eſt alterum contrariorum, ita ut neceſſariò inſit hoc, vel neceſſariò illud, non ſit requirenda vicaria illa ſucceſſio.

XXVIII.

Quemadmodum verbi gratia in igne, calor eſt qualitas à natura determinata, ita ut ſecundum naturam ei inſit neceſſariò, nec poſſit aliter eſſe ſecundum naturam. Ita nivi determinata eſt albedo. Sic melli ex natura ſua dulcis ſapor, lapidi ex natura ſua duricies competit. Et ſic in alijs multis.

XXIX.

Naturam contrariorum sequitur Διαίρεσις. *Dividit autem Aristoteles contraria in* ἄμεσα *καὶ* ἐμμεσα.

XXX.

Immediata contraria vocat, quorum alterutrum in subjecto idoneo esse debet, nec ullum dari medium potest, verbi gratia, par & impar sunt contraria immediata, quia posito numero aliquo, qui est subjectum paritatis vel imparilitatis, necessum est, ut vel ille numerus sit par vel impar.

XXXI.

Semper autem sumendum est subjectum proprium contrariorum: id autem proprium subjectum vocat Aristoteles, circa quod apta sint, contraria ut versentur, & ei insint.

XXXII.

Mediata contraria dicuntur, quorum alterutrum ineſſe non est necesse, sed tertium quoq; potest intervenire. Verbi gratia non necesse est aquam vel calidam esse vel frigidam; potest enim esse tepida. Non necesse est corpus vel album vel nigrum esse; potest esse rubrum aut pallidum, aut alio colore medio coloratum.

XXXIII.

Subdividit quoq; Arist. hujusmodi Contraria mediata. Quædam dicit esse quorum medijs nomina sint imposita, quemadmodum inter album & nigrum media nominibus usitatis dicuntur, pallidum, rubrum, viride, fuscum &c.

XXXIV.

Alia verò sunt quorum medijs nomina non sunt imposita, sed necesse est ea circum loqui vel per participationem, vel per abnegationem utriusq; extremorum. Exempla affert bonum & malum, justum & injustum. Datur enim inter hæc medium.

XXXV.

Boëtius aliam quoq; divisionem Contrariorum mediatorum ponit. Quædam dividit in ea quæ plura habent media, ut albedo & nigredo multos habent colores medios. Et ea quæ tantum unum, ut calor & frigus solum teporem. Atq; hæc deinde dividit in ea quorum media nomen habent, & ea quorum media nominibus carent.

XXXVI.

Contrariorum proprietates affert Aristoteles quatuor: Prima est: ἐναντίον ἐστὶν ἀγαθῷ ἐξ ἀνάγκης κακὸν. ὁμοίως δὲ καὶ ὅπῃ τῶν ἄλλων, κακῷ ἢ ὁ τὲ μᾶλλον ἀγαθὸν ἐναντίον, ὁτὲ ἢ κακόν. *Bono semper malum est contrarium, malo autem tam bonum quam malum.*

Ratio

Digitized by Google

XXXVII.

Ratio eſt: quia bonum in mediocritate conſiſtit, ſi deflectamus ab ea paulum, non manet amplius bonum, ſed fit malum, malo autem non ſolum opponitur bonum, ſed quandoq; malum, ut dictum.

XXXVIII.

Quia vitij ratio non eſt una ſimplex, poſſumus enim peccare & ὑπερβολῇ & ἐλλείψει. ἔλλειψις autem ὑπερβολῇ ſemper contrariatur, & utrumq; hoc vitium bono opponitur.

XXXIX.

Hinc Ammonius pulcerrimè dixit: omne malum bono opponitur tanquam ἀσυμμετρία τῇ συμμετρίᾳ.

XL.

Bonum verò repugnat duobus malis, uni tanquam τῷ ὑπερέχοντι, alteri tanquam τῷ ὑπερεχομένῳ. Duo verò mala inter ſe opponuntur ὡς ἐνδεια τῇ ὑπερβολῇ.

XLI.

Secunda proprietas eſt: τῶν ἐναντίων οὐκ ἀναγκαῖον ἐξ ἐὰν θάτερον ᾖ, καὶ τὸ λοιπὸν εἶναι. Non eſt neceſſe uno contrario poſito, ſtatim ſubinferatur alterum, poteſt enim unum abſque altero ineſſe: poſſunt enim omnia bene ſe habere, poſſunt preterea omnia colorata eſſe alba.

XLII.

Si tamen unum Contrarium fuerit naturale, neceſſe erit alterum quoque eſſe naturale. 2. de Cœlo t. 18.

XLIII.

Tertia proprietas. μὴ ἐνδέχεται ἅμα ἀμφότερα τῷ αὐτῷ ὑπάρχειν, οὐκ ἂν ἐνδέχοιτο δ' ἑτέρῳ τῶν ἐναντίων ὄντων, καὶ τὸ λοιπὸν εἶναι. Contraria ſimul & ſemel in eodem ſubjecto in gradibus excellentibus conſiſtere non poſſunt, à quo ſeſe naturaliter mutuò expellunt.

XLIV.

Vnde dicunt Scholaſtici: ſummus gradus unius Contrarij nihil relinquit de altero. Item cum ſummo non ſtat gradus oppoſiti. Sic ſummè calidum aut fervidum nihil habet de frigore.

XLV.

Quarta proprietas eaq; bimembris. Prima membrum eſt: καὶ περὶ αὐτὸ ἢ γένει ἢ εἴδει γίνεσθαι τὰ ἐναντία. Contraria verſari circa idem ſubjectum vel ſpecie vel genere, verbi gratia, morbus & ſanitas circa idem ſubjectum ſemper verſantur, nempè corpus animalis. Albedo & nigredo circa idem ſubjectum genere, nempè corpus abſolutè.

XLVI.

Posterius membrum est: ἀναγκαῖον πάντα τὰ ἐναντία ἢ ἐν τῷ αὐτῷ γένει εἶναι, ἢ ἐν τοῖς ἐναντίοις γένεσιν, ἢ αὐτὰ γένει εἶναι. Omnia contraria aut idem habent genus, ut albedo & nigredo colorem, aut habent genera contraria, ut justitia virtutem, injustitia vitium. Aut denique nullum habent genus, sed ipsamet sunt genera, ut bonum & malum.

XLVII.

Per genus autem hoc loco non intelligitur genus subjectum, repugnaret enim priori membro, sed genus prædicatum de speciebus.

XLVIII.

Tertiam speciem Oppositorum nominat Aristoteles στέρησιν καὶ ἕξιν. Quæ duo vocabula tam στέρησιν quam ἕξιν paucis verbis Ammonius illustrat. Φησὶ, inquit, ὅτι μὲν ἕξεις πράγματά εἰσιν εἰδοποιημένα καὶ ὑφεστῶτα ἡ δὲ στέρησις οὐδὲν ἕτερον ἐστὶ ἡ ἀπουσία τῆς ἕξεως, hoc est, habitum dico rem formæ insignitam & cohærentem. Privatio verò nihil est aliud quam habitus, hoc est, rei formâ insignitæ absentia.

XLIX.

Ne autem vocis ὁμωνυμία & ambiguitas cuipiam imponat, diligentissimè distinguit doctissimus Scaynus habitum hunc, ab eo qui ponebatur in prima specie Qualitatis: huic enim hujusmodi conditiones sunt assignatæ, ut difficile ab eo auferri possit cujus est habitus. Deinde in dicta specie Qualitatis habitus habitui opponitur tanquam contraria sint inter se, quemadmodum Temperantia est contraria intemperantiæ, virtus vitio.

L.

Præterea non est impossibile, ut homo qui ex gravi aliquo accidenti alicujus scientiæ habitum amiserit, illam rursus consequi non posset. At habitus de quo hîc est sermo, est ejusmodi, ut facilè removeri possit à re, cui inest. Sicut facilè homo cæcus fit, si oculi ei exsculpantur.

LI.

Habitus insuper in prima specie Qualitatis propriè consideratur, quatenus continet animæ vel corporis virtutes ex διαθέσει quadam acquisitas. Hîc autem accipitur habitus propriè pro forma rei, quæ à natura obtinetur, ut auditus in auribus, visus in oculis.

LII.

Privatio etiam duplex est, alia antecedit formam, quæ ab Aristotele 1. Phys. constituitur principium rerum naturalium, & ab hoc semper datur transmutatio ad formam. Alia verò privatio consequitur formam.

Et hæc

Digitized by Google

LIII.

Et hæc rursus duplex est: alia enim solum formæ actum privat, ut somnus actum vigilandi privat, & ab hac privatione datur regressus ad formam, quam Aristoteles hîc non intelligit. Alia verò privat subjectum non solum formæ actione, sed etiam facultate, & vi innata, à qua forma & ejusdem fluit operatio. De hac privatione hîc agit Aristoteles.

LIV.

Hinc rectè Ammonius dicit στέρησιν *hîc significare* παντελῆ τὸ εἶδος φθορὰν καὶ αὐτῆς τῆς δυνάμεως, *non solum* τῆς ἐνεργείας τὴν ἀπουσίαν.

LV.

Est & privatio alia naturalis, alia adventitia.

LVI.

Naturalis dicitur, cum id abest, quod subjecto naturaliter debebat adesse, sive sit accidens, quod subjecto debebatur; sive pars quæ requiritur ad constitutionem totius. Vt cæcitas, quæ est privatio accidentis naturalis, mutilatio, quæ est privatio partis.

LVII.

Adventitia privatio vocatur rei extrinsecus adhærentis & circumstantis. Sic adventitia privatio est, vacuum esse, pauperem esse, quia divitiæ non inhærent sed circumstant. Huc referri potest cœlibatus, viduitas, quia maritum aut conjugem esse non est naturale, sed adventitium.

LVIII.

στέρησις καὶ ἕξις λέγεται περὶ ταυτόν τι. *Privatio & habitus circa idem aliquid sunt, ut cæcitas & visus circa oculum. Vbi advertendum contraria quidem circa idem subjectum versari, sed non semper circa idem subjectum specie vel numero. Vt album & nigrum circa idem subjectum sunt, nempè circa corpus, non tamen in eadem corporis specie, nec in eodem numero.*

LIX.

At habitus & privatio nata sunt fieri circa idem subjectum numero & specie, ut cæcitas & visus semper circa oculum & in oculo, in quo visus est, ibi nata est cæcitas inesse. Hinc dicit Aristoteles, non debere solum circa idem, sed circa idem aliquid, περὶ ταυτόν τι *inquit, non enim simul sunt in eodem, sed uno adveniente alterum recedit, & non æqualiter: nam post habitum potest semper advenire privatio, at non contra.*

LX.

Vt autem eò melius sciatur quid sit vera privatio, affert Aristoteles tres veræ privationis conditiones. Primò enim requiritur aliquod subjectum ido-

neum circa quod & habitus & privatio versetur. Nec enim lapis dicitur doctus aut indoctus, cum non sit ejus natura capax doctrinæ.

LXI.

Altera conditio est: privatio ei parti subjecti tribui debet, in qua habitus potest esse. Sic manus non dicitur cæca, quanquam figuratè oculatæ manus à Comico illorum dicantur, qui non ita facilè verbis & promissionibus fidem habeant.

LXII.

Tertia conditio est: Privatio tum rectè inducitur, si habitus tunc temporis absit, cum natura debebat inesse. Sic catulus ante nonum diem cæcus non dicitur, nec puer primis mensibus edentulus, sed adulti.

LXIII.

His ita constitutis pergit Philosophus & discrimen monstrat inter privationem & privatum esse, & habitum ac habere. Differunt enim sicut albedo & album esse, cum unum subjectum includat, alterum verò minimè. Nam cæcum esse & cæcitas idem non sunt, & similiter visum habere & visus: At cæcum esse & visum habere sunt privari & habere, cæcitas autem & visus privatio & habitus.

LXIV.

Præterea cæcum esse & visum habere prædicantur de aliquo: Cæcitas & visio non item. Nam homo dicitur privatus & cæcus, non tamen cæcitas vel privatio. Conveniunt tamen τόπῳ τῆς ἀναθέσεως.

LXV.

Quartam speciem facit contradictoriè oppositorum, quæ dicit esse, quorum unum simplex sit negatio alterius, ut sedet, non sedet.

LXVI.

Ad extremum species Oppositorum inter se committit, & primum distinguit inter Relatè & privativè Opposita, & duplici ratione ea differre ait.

LXVII.

Nam primò privativè Opposita idipsum quod sunt non dicuntur Oppositorum esse, cum Relativè Opposita dicantur Oppositorum esse. Visus enim non est cæcitatis visus, nec cæcitas est visus cæcitas, sicut duplum dimidij, & dimidium dupli dimidium est.

LXVIII.

Præterea πρός τι πάντα πρὸς ἀναστρέφοντα λέγεται. *Privantia non reciprocantur.*

LXIX.

Secundò privativè Opposita distinguit à Contrarijs dupliciter. Primò re-

sumtâ

Digitized by Google

ſumtâ diviſione contrariorum. Privativè, inquit, Oppoſita neq; ut immediata contraria, neq; ut mediata opponuntur.

LXX.

Non opponuntur ut immediata contraria: quia alterutrum horum ex neceſſitate ſemper ineſt. Privativè Oppoſitorum neutrum neceſſariò ineſt, ante tempus videlicet definitum, catulus neq; viſum habet neq; cæcus eſt ex neceſſitate.

LXXI.

Non opponuntur ut contraria mediata, quia neutrum contrariorum mediatorum ex neceſſitate ineſt, verbi gratia, non neceſſe eſt hanc tabulam aut hunc parietem eſſe album aut nigrum, poteſt enim eſſe viridis vel ruber. Sed privativè Oppoſitorum datur aliquando tempus, cum alterum ex neceſſitate ineſt, verbi gratia, poſt tempus à natura definitum, id eſt, poſt nonum diem canem aut videre aut cæcum eſſe oportet.

LXXII.

De contrarijs tamen mediatis hoc loco Ariſtoteles dubitat. Dicit enim contrariorum mediatorum ita quadam affecta eſſe, ut alterum ex neceſſitate inſit, verbi gratia, naturâ ineſt igni urere, & non poteſt non ignis urere. Solvens dubitationem hanc Ariſtoteles, reſpondet ad antecedens, quod nimirum alterum quidem talium mediatorum contrariorum neceſſariò inſit, ita tamen ut alterum nullo modo ineſſe poſſit ullo tempore. Sic ignis urit ut non poſſit non urere, & nix alba eſt & ſic, ut prorſus non poſſit eſſe nigra.

LXXIII.

Quovis igitur modo hæc ad privativè Oppoſita referas, tamen diſcrimen apparebit. Neque enim, verbi gratia, viſus animali tam determinatè ineſt, ut cæcitas ineſſe non poſſit.

LXXIV.

Secundò, inquit, in contrarijs mutua datur transmutatio, verbi gratia, in aqua à calore ad frigus, à frigore ad calorem. In privativè verò oppoſitis non datur mutua transmutatio, non enim à privatione ad habitum datur regreſſus, nec qui cæcus eſt, videre poterit unquam, ut ſæpè jam dictum.

LXXV.

Contradicentia verò à reliquis omnibus Oppoſitorum ſpeciebus diſtinguuntur. Nam contradicentium ſemper unum eſt verum alterum falſum. Reliquæ autem tres Oppoſitorum ſpecies hoc non habent.

Nam

LXXVI.

Nam quæ sine complexione dicuntur, nec verum nec falsum significant. Reliquæ autem tres sine complexione dicuntur. Atq; hac hactenus de Oppositis.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

VAldè nobis arridet illud 1. Ethic. 1. πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος, ὁμοίως δὲ πρᾶξίς τε καὶ προαίρεσις, ἀγαθοῦ τινος ἐφίεσθαι δοκεῖ.

II.

DEUM esse infinitum plus probabilitatis quibusdam habere videtur quam veritatis. Τὸ γὰρ ἄπειρον ἐν τῷ ποσῷ. 1. Phys. t. 15.

III.

Hominem non institutum, aut improbum, cæteris animantibus crudeliorem esse dicimus.

IV.

Etsi illud magnas difficultates apud Philosophum 1. Metaphys. pati videtur, quo dicitur Hominem naturà appetere scire, tamen nunc quidem tueri nobis placet.

V.

Non absolutè reprehendi debent veteres, qui sensu rerum præstantiam dignoscendam censuerunt apud Aristotelem lib. 1. de ortu & interitu cap. 3.

VI.

Non est impotentiæ quædam non posse: Potentia enim æstimatur ex eo cujus est potentia: si qua igitur posse aliquid dicamus, quæ contra ejus sunt naturam, impotentiæ id arguimus, non potentiam extollimus.

VII.

Malè igitur sentiunt, qui DEO Opt. Max. absolutam tribuunt omnium potentiam, cum nihil ille, quod seipsum destruat, possit, aut si posse dicatur, impotentiæ arguatur. Sicut hominem non extollimus, si dicamus illum posse latrare, sed deprimimus: ita verè hominem fatemur, si negemus illum latrare posse,

DISPU-

DISPUTATIO XXII.

MICHAELIS PICCARTI

De

PROBLEMATE ET PROPOSITIONE DIALECTICA IN GENERE.

Respondit

Vitus Ludovicus Norimb.

Mens. Febr. cIↃ IↃ cX.

THESIS I.

Dialecticam suam, γυμναστικὴν futuram, sive παιδευτικὴν ad Philosophiam, traditurus Aristoteles primùm definitione illustrat: Δύναμιν se traditurum dicens περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος συλλογιστικὴν ἐξ ἐνδόξων.

II.

Utilitates deinde affert hujus sui instituti cap. 2. solent enim, qui materiam aliquam tractare aggrediuntur, ne temere id facere videantur, eam multiplici & magnâ commendare utilitate, quod ambitiosius tanto facere solent Sophistæ, quanto minor est commendandi instituti causa.

III

Tertio demum capite aperire aggreditur materiam Dialecticæ, Circa quam illa versetur, quam appellat Problemata, & materiam Ex quâ, quam vocat Propositiones.

IV.

De utrâq; materiâ pauca quædam delibabimus. Atque initio quidem vocabula consideranda veniunt: Utrumque enim & Problematis & Propositionis proprium hujus doctrinæ non est, sed tralatitium, & ex aliâ in hanc doctrinam assumtum, adeoq; jure civitatis Dialecticæ donatum.

V.

Utrumque igitur vocabulum habitat in Γυμναστικῇ quæ παιδευτικὴ

eſt ad rem militarem: ſicut hæc doctrina per ſimilitudinem Γυμναϛικὴ *quoque dicitur, adeoq; præludit decretoriæ illi pugnæ, cujus ratio docetur in libris de Demonſtratione.*

VI.

Ita appellat Alexander hanc facultatem (ſi modò is eſt interprès) lib. 1. Topico pag. 46. b. χείρας τὰ ἤθη τὰς λέγοντας καὶ τὰς ἀκούοντας ποιεῖν εὐανλιώτατον ἐϛι τῇ γυμναϛικῇ ταύτῃ, εἴγε πραγματικὴ πρὸς φιλοσοφίαν ἐϛίν.

VII.

Rationem reddit alio loco: ὡς γὰρ, *inquit,* τὸ τοῦ σώματος γυμνάσια γινόμενα τέχνην εὐεξίαν ποιεῖ τῷ σώματι, οὕτω καὶ τὸ τῆς ψυχῆς ἐν λόγοις γυμνάσια καὶ μέθοδον γινόμενα τὴν οἰκείαν εὐεξίαν τῇ ψυχῇ περιποιεῖ.

VIII.

Πρόβλημα *igitur in arte Gymnaſtica ſive militari ſignificat omne quod muniendi noſtri cauſſa hoſti obſicimus.* πρότασις *autem à τὸ* προτείνειν *eſt, & prætendere ſignificat ac prætenſionem: v. g. haſtam prætendere.*

IX.

Hinc Sophiſtæ dicti deinde προβάλλειν *ſive projicere quæſtiones in medium, oſtentandæ peritiæ ſuæ, in quibus ſe tutos & exercitatos putabant, adeo quidem, ut extra periculum conſtituti viderentur.*

X.

Contra hos qui inſurgebant προτείνειν *aut* προτάσεσι *uti dicebantur, ipſa propoſitiones contra Problemata directæ,* προτάσεις *nuncupabantur.*

XI.

Hinc non erit difficile videre, quid in Genere ſint Problemata, nimirum erudita quæſtiones, quarum tamen deciſio vel adhuc ignota eſt & veſtigatur, vel examinanda proponitur.

XII.

Quid item ſint propoſitiones: Nimirum quibus Problemata dicta vel confirmare vel refutare proponimus & conamur.

XIII.

Verum generali de illis doctrinâ nunc omiſſâ, quæ alterius eſt loci, de Dialectico ſolùm Problemate & Propoſitione Dialectica agemus.

XIV.

Problema igitur Dialecticum definit Philoſophus Ἠρώτημα τὸ συντεῖνον ἢ πρὸς αἵρεσιν καὶ φυγὴν, ἢ πρὸς ἀλήθειαν καὶ γνῶσιν, ἢ αὐτὸ, ἢ ὡς συνεργὸν πρός τι ἕτερον τῶν τοιούτων.

In qua

XV.

In qua definitione notat Alexander Θεώρημα *ἀντὶ τοῦ* ζητήματος *dici, καὶ* πῶς *inquit τὸ* θεωρεῖν *ἀντὶ τοῦ* ζητεῖν *ἐθος ἐστὶν αὐτοῖς λέγειν.*

XVI.

Differentiæ definitionis sumuntur ex materiâ: Desumi nimirum Problemata ex scientijs & disciplinis. Problemata enim alia directa esse ad appetitionem vel fugam, quibus verbis Philosophiam intelligit Practicam, adeoq; desumpta vel ex Ethicis, vel ex Politicis, vel ex Oeconomicis: Alia directa esse ad γνῶσιν καὶ ἀλήθειαν, hoc est, tendere ad cognitionem & veritatem, desumpta ex scientijs Theoreticis. Alia denique ad neutrum horum directa esse, hoc est, nec ex Philosophia Practica desumpta esse, nec ex Theoretica, sed ex Logicis quæ adjumentum utriq; Philosophiæ tanquam Organon cœlo delapsum adserre solet.

XVII.

Propositionis Dialecticæ definitionem triplicem apud Aristotelem habemus, prima est: Πρότασις Διαλεκτικὴ ἐστὶν ἐρώτησις ἐνδοξος ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείοσις, ἢ τοῖς σοφοῖς: καὶ τούτοις ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείοσις ἢ τοῖς μάλισα γνωρίμοις, μὴ παράδοξος.

XVIII.

In qua definitione Propositionis Genus etiam est ἐρώτησις: *Neque enim veteres Syllogismis, sicut nos hodiè, Problemata excutiebant, sed puris interrogationibus, quæ tamen fundamento Syllogistico inter se connexæ nitebantur: quæ res mirè Respondentes exercebat, ut acutissimè prospicerent, quò res tandem cæsura esset. Vnde apparet quanto melior sit disputantium hodiè ratio, qui interrogationes omnes tanquam captiosas desugiunt, & syllogisticè secum agi volunt.*

XIX.

Hinc Plato in Cratylo Dialecticum definit scientem interrogare & respondere, & Seneca Syllogismos vocat Interrogationes. Lucianus etiam falsè quendam irridens tractatorem seu Philosophastrum, qui historiam scribere aggressus omnia Syllogismis intexuerat, apertè voce Syllogismi utitur pro interrogatione. Aristotele deniq; & Interpretibus Dialectica est ars Ἐρωτηματικὴ.

XX.

Differentia sumitur ex naturâ ἐνδόξων *de quibus propria disputatione à nobis actum est. Additum ad extremum:* μὴ παράδοξος, *quod additamentum videri poterat peccare in leges Definitionis,* καὶ διὰ τὸ πωλὸ λέγειν. *Verùm responderi debet, non protsum idem esse* ἐνδοξον *&* μὴ παράδοξον. *Quod sic patebit.*

XXI.

In definitione ἐνδόξων dictum fuit, Quod uni alicui nobili Philoſopho ſive celebri placeat, id quoq; ἔνδοξον eſſe & dici poſſe: Id reſtringitur additamento: μὴ παράδοξον. Sunt enim quidam adeo fatui, ut abſurditate opinionum ſuarum celebres quoque facti ſint. Sic Antiſthenes negando Contradictionem: Anaxagoras ſtatuendo nivem eſſe nigram: Horum autoritate ſi Problema aliquod oppugnare annitaris, fruſtra eris. Debet enim propoſitio Dialectica ἔνδοξον ita eſſe, ut tamen non ſit prorſus παράδοξον, id eſt, ab aliorum hominum omnium opinione nimis remota.

XXII.

Altera definitio Propoſitionis Dialecticæ quæ legitur apud Ariſtotelem 8. Top. cap. 2. eſt πρότασις διαλεκτικὴ ἐστὶ πρὸς ἣν ἀποκρίνεσθαι ἐστὶ ναὶ ἢ οὔ. Propoſitio Dialectica eſt, ad quam reſponderi poteſt ita vel non. Quam definitionem attingit Agell. lib. 16. Noct. Att. c. 2. Legem eſſe, ajunt, diſciplinæ Dialecticæ, ſi de quapiam re quæratur diſputeturq;, atque ibi quid rogetur ut reſpondeas, tum ne amplius quid dicas, quam id ſolum, quod es rogatus, ut ajas, aut neges: eamque legem qui non ſervent, exiſtimantur indocti eſſe, diſputandique morem aut rationem non tenere.

XXIII.

Hac definitione excluduntur Quæſtio quid eſt & quæſtio propter quid eſt. Ad has enim duas quæſtiones non reſponderi poteſt Ita vel non. Et ſunt illæ propriè Apodictici.

XXIV.

Vnde rectè Alexander. τὸ τί ἐστι καὶ τὸ διὰ τί ἐστι οὐκ ἐστι τῶν διαλεγομένων ἀλλὰ τῶν μαθεῖν βουλομένων. Quæſtio quid eſt & quæſtio propter Quid eſt, non eſt eorum qui Dialecticorum more diſputant, ſed diſcere volentium, quibus ſatisfit in ſcholis Apodicticis.

XXV.

Tertia definitio eſt 8. Top. c. 2. διαλεκτικὴ πρότασίς ἐστι, πρὸς ἣν ὅτου ὁποτιοῦν ἐχόντων μὴ ἐστὶν ἔνστασις. Propoſitio Dialectica eſt, cui cum in multis ita ſe habeat, difficile eſt â Reſpondente ἔνστασιν opponi.

XXVI.

Quas tres definitiones ideo adſerre volui, ut videretis nullâ harum Contingentiam ullam contineri. Adeoque erroneam eſſe ſententiam eorum qui Propoſitionem dividunt in Neceſſariam & Contingentem, quarum hanc propriam Dialectici faciunt, illam Apodictici.

XXVII.

Errant, inquam, nam & Dialecticus Neceſſariam non averſatur ſi ſit ἔν-

δοξον.

δοξα. Et apodicticus quandoq; contingentem tractat, dummodò sint ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ Contingentia. Illud patet, quia Dialecticus ventilat Axiomata ut ἔνδοξα, quæ tamen sunt necessaria. Istud, quia sola fortuita & rarius fientia á Demonstratione excluduntur, quæ vel semper vel ut plurimum fiunt, Apodixi relinquuntur. 1. post. cap. 24.

XXVIII.

Quod agnovit alter quoque Methodi pater Galenus, qui de Ratione victus in morb. acut. Omnis doctrina, inquit, ex universalibus recipit incrementum, quæ si perpetua fuerint, Primam habent dignitatem, utilitatemq; : si magnâ ex parte, secundam ; Quod si anceps quidpiam vel rarum fuerit, id ad doctrinam inutile censendum est.

XXIX.

Quod dogma didicerat ex magno doctore 6. Metaph. cap. 2. ita enim ibi: ἐπιστήμη πᾶσα ἢ τοῦ ἀεί, ἢ τοῦ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. τὸ δε συμβεβηκὸς ἐστι τοιοῦτον.

XXX.

Atque hæc dictæ quoque sint in turgidos illos Regulæ veritatis præcones, qui κατ' ἀλήθειαν illud suum perpetuo crepant, & ubique requirere non cessant. Quos vel Averroes, quem unum, si modo ullum ferre possunt, minus exagitant, monere debuerit: duplex esse verum scientiarum: unum, cui opponatur Falsum, quod impossibile est aliter se habere. Alterum, cui opponatur item falsum, sed quod non sit impossibile aliter se habere.

XXXI.

Definitionibus Problematis & Propositionis Dialecticæ allatis atq; examinatis, restat ut videamus quomodo conveniant, quomodo differant, quæ altera erit hujus disputationis cura.

XXXII.

Convenire aliquatenus vel Genus arguat. Et Problema enim & Propositio Dialectica genus sortita sunt ἐρωτήσεως : Utrumque ergo proponitur interrogando, ad utrumq; item respondetur, Ita vel Non. Deinde ex Problemate potest fieri propositio, & ex Propositione Problema.

XXXIII.

Si enim dicas : Est ne rex beatus nec ne ? adeoq; utramq; partem contradictionis explicitè interroges, problema est : sin verò dicas Estne rex beatus ? alterâ contradictionis parte omissâ, Propositio est, quæ est prima inter hæc duo differentia.

XXXIV.

Alteram differentiam facit Aristoteles ex Phrasi & modo proponendi : In-

terrogatio si sit per ἀποφατικὴν Propositio est, si per στερητικὸν Problema. Quam differentiam Alexander vocat διαφορὰν καὶ μόνον τῆς ἀποφάσεως τόπον.

XXXV.

III. Differunt τῇ δόξῃ. Propositio enim Dialectica oportet sit ἔνδοξος, ut ex definitione patebat, μὴ παράδοξος in quo Essentia Propositionis consistit. At Problema etiam de ijs potest esse, de quibus homines sunt ἀδόξαστοι.

XXXVI.

Alexander attingit hanc differentiam hic verbis: Κυρίως δ' ἂν εἴη ἀν διαλεκτικὸν πρόβλημα καὶ κυρίως διαλεκτικὴ πρότασις ὅταν ἔχῃ τὸ μὲν τὸ ἀμφίδοξον καὶ ἀπορούμενον, ἡ δὲ τὸ εἶναι ἔνδοξον.

XXXVII.

Et alibi: Δείξις καὶ ζητήσις περὶ ἀπορουμένων τινῶν ἢ ἀπορουμένων. Tale est Axioma an stellæ numero sint pares an impares.

XXXVIII.

IV. Problemata debent esse ζητήσεως ἄξια, qualia sunt 1. ea, de quibus in neutram partem certi aliqui statutum est, rationes tamen in contrarium dari possunt.

XXXIX.

II. Ea de quibus non convenit inter Doctos & indoctos, qui ut plurimum à se invicem sententijs dissident, v. g. utrum εὐβουλία sit præstantior fortuna secunda.

XL.

III. Ea, de quibus ipsi docti inter se convenire non possunt, qualia sunt Problemata de fato, Infinito, vacuo, animæ immortalitate. Aut de quibus plebs non unum sentit, aliqui enim ex populo opes sanitati anteponunt, alij contra sanitatem opibus.

XLI.

IV. Ea quæ propter obscuritatem aut difficultatem Apodictice tractari non possunt, ventilantur itaq; & examinantur per λόγους κοινούς, quomodo multa doctissimus Fracastorius explicuisse scribitur. Hodieq; Theologi multa de DEO ἀνθρωποπαθῶς explicant.

XLII.

V. Denig; Theses hoc est opiniones & Placita magnorum Philosophorum, qualia per se quidem inquisitione digna vix viderentur, nisi acciperent dignitatem à fama & nobilitate auctoris, aliena videlicet alioqui à communi hominum opinione. In quarum thesium numerum tamen venire nolumus eas quæ bonos offendunt mo-

res,

Digitized by Google

res, aut quæ ſenſibus revincuntur & ſimilia, de quibus copioſè Ariſtoteles.

XLIII.

Propoſitiones verò Dialectica ad hoc examen non revocantur : Dummodo enim faciant ad oppugnandum Problema controverſum, non anxie alia ponderantur.

XLIV.

Differunt deniq; ſede materiarum, ut ita dicam : Problemata enim ex certo aliquo ſcientiarum vel diſciplinarum genere petuntur : Propoſitiones variè accipiuntur, nec neceſſe eſt ex eodem fonte hauriri, unde hauſtum eſt Problema.

XLV.

Reſtat ultima quæſtio nobis decidenda, quomodo Problemata Dialectica & Propoſitiones Dialecticæ differant á Problemate Apodictico & Propoſitione neceſſaria ſive Appodictica. Qua de re magna inter Philoſophos diſceptatio. Nos hac de re quantum poſſumus, non quantum debemus.

XLVI.

Ac primum quidem Problemata ab invicem ſeparabimus. Averroes referente Zabarella in 11. Poſter textu com. 3. diſcrimen facit hoc, quod Problemata Dialectica ſint intentionalia, hoc eſt, fiant de notionib. ſecundis, an & quomodo inſint primis ? Problemata autem Apodictica ſint realia, hoc eſt, notiones ſecundas examinent ad res rectè ne rebus applicentur.

XLVII.

Verum hæc ſententia quamquam mirificè arrideat. Illuſtri Zabarellæ, probata etiam alicui Doctori noſtro, mihi tamen ſatisfacere nondum potuit. Nam ut dem de Problematib. Generis Definitionis & Proprij, de Problemate tamen Accidentis numquam largior. Ibi enim nulla notio ſecunda quæritur ſed ſimplex ὕπαρξις, an hoc illi inſit nec ne, id quod alias ex Alexandro demonſtravimus; ſine adjectione, an ut genus, aut ut definitio, aut denique ut proprium.

XLVIII.

Melius videtur reſponderi poſſe ex diſtinctione ἐρωτήσεων *ab Eudemo propoſitâ, & ab Alexandro relatâ, quæ hujusmodi eſt :* Εὔδημος, *inquit,* ἐν τοῖς περὶ λέξεως τὴν ἐρώτησιν τριχῶς διῄρηκεν· Οἱ ἐρωτῶντες, φησὶ, ἢ περὶ συμβεβηκότος ἐρωτῶσιν· ἢ γὰρ προσθέντες τι καὶ ὁρίσαντες πυνθάνονται τὸ τούτων συμβεβηκὸς, ὡς οἱ ἐρωτῶντες, τίς τῶν πυρὸς ἢ χιόνος φύσιν κίνησις· ἢ ἀμφοῖν τὸ μὴ συμβεβηκὸς ὁρίζουσί τε καὶ λαμβάνουσιν ἐν τῇ ἐρωτήσει· ὧν δὲ τοῦτο συμβέβηκε, ἀξιοῦσιν μαθεῖν ὡς ὁ ἐρωτῶν, τι τῶν ἀγαθῶν δι' αὐτὸ αἱρετὸν, hoc eſt, Eudemus inde variis Propoſitionum generæ conſtituit ; Quidam inquit interro-

ganies

gantes ſubjectum habent conſtitutum, ſed ejus quærunt accidens, quod prædicati locum obtinere debet: v.g. Quæ motio igni inſit per naturam, vel contrà accidens & prædicatum habent, ſed quærunt ſubjectum, cui inſit illud accidens ſive πάθος, v.g. Convulſionis πάθος certum eſt & confeſſum apud Medicos, quæritur autem ejus ſubjectum, an videlicet inſit nervis, venis &c.

XLIX.

Alterum Genus ἐρωτήσεων eſt, inquit Eudemus περὶ οὐσίαν, quando quærimus quid ſit aliquod ſubjectum, non an aliquid ei inſit: ὡς ὁ ἐρωτῶν τί ἐστιν ἄνθρωπος· ὁ γὰρ ὅτως ἐρωτῶν τὴν οὐσίαν τοῦ πράγματος ἀξιοῖ, ἀλλ' οὐχὶ ὑπάρχειν αὐτῷ μαθεῖν.

L.

Τρίτον, pergit, εἶδος ἐρωτήσεως ἐστὶν ὅταν περὶ πρόσεως τῶν τινὶ ἐρώτησιν ποιῇ, οἷον, πότερον ὁ κόσμος σφαιροειδὴς ἢ οὔ. καὶ ὅτου τοῦτο εἶδος ἐστὶ ἡ Διαλεκτικὴ πρότασις. Tertium Genus interrogationis eſt, quando interrogatur tota propoſitio & integra, actu jam habens ſubjectum & prædicatum: v.g. cum quæro an mundus ſit orbicularis. Et ſub hoc tertium genus referri debet Problema & propoſitio Dialectica.

LI.

Ex hac diviſione Interrogationum Eudemi: Problema Dialecticum à Problemate Analytico diſtinguo. Quod Dialecticum Problema neceſſariò ſit integra propoſitio, actu habens ſubjectum & Prædicatum: Analyticum Problema non ſemper, ſed vel illud vel hoc demum veſtiget.

LII.

Dicas; quod ſi vero Problema Analyticum etiam habeat Actu ſubjectum & prædicatum, quomodo differt à Problemate Dialectico? Reſpondeo, Quia nihil prohibet eamdem quæſtionem tractari Dialecticè & Apodicticè, nihil miri ſi problemata quandoq; ſint eadem. Sufficit monſtraſſe qua in re quandoque differant.

LIII.

Notate obiter locum hunc & titulum libri Eudemici: Moroſophi quidam hodiè velificantur in exagitandis Peripateticis, quod curam verborum ſuorum ad ſe revocent, & ſine ratione volunt nos ſolà rationi deditos eſſe. At vett. & quidem tantos Philoſophos, qualem fuiſſe ſcimus Eudemum, non puduit περὶ λέξεως ſcribere, & evolve mihi Diogenem Laertium, multosq; περὶ λέξεως ſcripſiſſe reperies.

LIV.

Afferunt & hoc diſcrimen inter Problema Dialecticum & Apodicticum, quod

quod Problema Dialecticum permittit libertatem reſpondendi utram contradictionis partem velis : Apodicticum Problema, non item, ſed cogere te vult ad aſſenſum. Vnde ἐρωτήματα Analytica voce quoque à Dialecticis ſejunguntur, dicunturq; Λήμματα vel αἰτήματα ſumtiones vel poſtulata.

LV.

Propoſitiones Dialecticæ ab Analyticis differunt primùm ἀκριβείᾳ. Apodictica enim ſunt ἐκ τῶν οἰκείων καὶ ἀπαραχόντων τῷ πράγματι. Dialecticæ verò ἐξ ἐνδόξων & communibus quibusdam locis deſumtæ, qui loci nihil ſunt aliud quam συλλογαὶ Opinionum humanarum.

LVI.

Hinc fit ut Propoſitiones Apodictica (quæ altera eſt differentia) rebus accommodatæ, pro earum diſcrimine varient & nomen mutent : Phyſico enim Problemati adhibitæ Phyſicæ dicuntur, Ethico Ethicæ, & ſic in alijs. At propoſitiones Dialecticæ, cuicunque accommodentur Problemati, nomen tamen retinent & dicuntur λόγοι λογικοὶ κενοὶ, ἀπόρησιοι, πλασματώδεις, λίαν καθόλου &c.

LVII.

III. Ab Apodicticarum Propoſitionum numero excluditur omne falſum, recipitur ſolum verum, At non á Dialecticarum, Ariſt. 8. Top. c. 5. εἰ μὲν γὰρ ἐκ ψευδῶν λόγος, ἐνδόξων δὲ; λογικὸς. εἰσὶ δ' ἐξ ὄντων μὲν ἀδόξων δὲ φαῦλος. Atque hæc hactenus.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

ARiſtoteles 1. de Cœlo t. 114. Inter modos τοῦ ἀφθάρτου etiam hunc collocat : τὸ μὴ ἐσόμενόν ποτε νῦν δὲ ὄν. Incorruptibile eſt, quod aliquando non erit, nunc verò eſt, At quod aliquando non erit, eſt corruptibile ; Ergò, Incorruptibile aliquod eſt corruptibile, quod implicat contradictionem ? An diſtinctione reſponderi poteſt ?

II.

Si ἐπιπόνον eſt τὸ συνεχὲς τῆς νοήσεως 12. Metaph. t. 51. ſi item ἄμοχθον ἐνία ἀγροικίᾳ teſte Alex. 1. Prior. Procem. Vel

 pror-

prorſus felicitas hominis in Theoriâ collocanda non videtur, vel certè non in quavis.

III.

Nec ratio ſemper Experientiæ, nec Experientia rationi ſemper anteferenda.

IV.

Ariſtot. 2. Magn. Moral. cap. 11. ubi dixiſſet, videri quibusdam, Amicitiam ſimilitudine coire ſubjungit: Φασὶ δὲ ἡ, κυνὸς πρὸς αἰεὶ κάθηυδούσης ὅτι τῆς αὐτῆς κεφαλίδος ἐρωτηθέντα τὴν ἐμπεδοκλέα, Διὰ τί ποτε ἡ κύων ὅτι τῆς αὐτῆς κεφαλίδος καθεύδει? εἰπεῖν, ὅτι ἔχει ἡ κεφαλὶς ὅμοιον, ἡ κύων, ὡς Διὰ τὸ ὅμοιον τὴν κύνα φιλῶσαν. Quid cani ſimile cum tegula?

V.

Rectè ne Plancus & Brutus ap. Cic. gratiarum actionem in ſummâ amicitiâ & neceſſitudine non requiri putarint, quæritur? penè adducimur ut affirmemus.

VI.

Sicut & Ciceroni adſentimur peti nihil ab amicis debere, ſed tantum ſignificari quid fieri velimus.



DISPU-

DISPUTATIO XXIII.

MICHAELIS PICCARTI

De

SOPHISTICIS ELENCHIS MALE EXTERMINATIS.

Respondit

Christophorus Schaitlius Gallopolitanus Helvetius.

Mens. Majo. cIↃ IↃ c X.

THESIS I.

QVod Galenus lib. 1. de Elementis cap. 6. de sui temporis Sophistis dixit: Neminem, inquit, vidi, qui Veterum Medicinam exquisitè tractaverit, aut totam elaboraverit, aut traditas nobis ab illis methodos absolverit. At si verum dicere oportet, multa quæ rectè dicta fuere sustulere: Id ipsum de nostri seculi novis Logicis non malè usurpari posse censeo.

II.

Quos ingeniosè & verè Doctor quondam noster perstrinxit, cum Aristotelem cum Glauco marino conferre non dubitavit, de cujus naufragio Plato scribit, ei tum partes quasdam fuisse contusas, quasdam fractas, quasdam penitus amissas & undis dissipatas, contra adhæsisse illi conchilia, algam, & lapides.

III

Nam & Aristotelis, virtute atq; ingenio illorum, sors & fatum geminum fuit: Ἀποδεικτικὴ Methodus explosa pene omnis, mansit imago & nudum sine corpore nomen, Διαλεκτικὴ caput amisit & pedes, supereſt de ventre pusillum, idq; exsangue etiam: Ῥητορικὴ castrata est miserabiliter; Sophistici Elenchi non circumcisi sed funditus excisi sunt.

IV.

Pro his prodijt inventio quadam communis ex omnibus hisce Methodis,

monſtrum ut incerto & vario confuſum ſemine, ita incerti ſexus nec uniforme. Cujus vitia alibi oſtendimus: Nunc paucis diſpiciamus juſtas ne cauſas habuerint exterminandorum Sophiſticorum Elenchorum, quamq; id ſapienter ab illis factum.

V.

Quod ut planius à nobis fiat, videamus primo loco, Quid duobus his libris agat Ariſtoteles, & quo conſilio? ſic enim jus eorum in Logicâ provinciâ pateſiet.

VI.

Ariſtoteles igitur (ut docet initio Operis) ut in omnibus rebus aliquid vere tale eſſe vidit, aliud quod ſpecie ſolum imponeret & fucatum eſſet, ita repetit duo quoq; genera eſſe hominum.

VII.

Unum eorum quod verè ſapere cuperet & honeſtâ viâ ad ſapientiam graſſaretur; Quos homines nec laboris taderet nec moleſtiæ, dum modo proficere diſcendo queant.

VIII.

Aliud eorum, qui ſapientiam commendabilem videntes, ſed laborum pertaſi, fingunt inanem ſapientiam, & fraudibus quibusdam vel technis incautos circumveniunt, ſtrophas quasdam & argumentatiunculas nectendo, à veritate tamen longè alienas.

IX.

Ad quam turpitudinem adiguntur duplici veluti ſtimulo, Ambitione & Avaritiâ. Ambitio non patitur ipſos gradus in artibus facere, ſed propellit crudos adhuc ad diſputationes illas Agoniſticas vel Eriſticas, ad vanas item illas jactantias & δοκησισοφίαν ut apud imperitos obtineant πρωτοθρονον καὶ θεατροκρατίαν.

X.

Ab Avaritia dicuntur, Ariſtoteli χρηματισταὶ ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐκ ὄντος, quæſtum captantes ex eâ quæ videtur eſſe ſapientia, non tamen eſt.

XI.

Quia igitur tales dantur homines, & ipſem teſte Ariſtotele 4. Metaph. cap. 2. & Rhet. lib. 1. cap. 2. à Dialectico non differunt δυνάμει ſed ſolum τῷ βίου προαιρέσει, non facultate aut potentiâ ſed conſilio, Quemadmodum Medicus & Veneficus, certè eorum quoq; ratio hic habenda fuit.

XII.

Medicus, verbi gratiâ, æquè ſcit, quomodo venena rectè miſceantur, quæ

cito,

igitized by Googl

cito, quæ lento abſumant tractu, ſed nulli præbet, quia vitæ conſilio impediuntur, vult enim viri boni nomen tueri. Veneficus non ſolum ſcit eadem, ſed & facit, jam enim pudorem & honeſtatem devoravit: Ita prorſus Dialecticus debet omnia noſſe, quæ Sophiſtæ exercet, quanquam ipſe non exerceat.

XIII.

At quomodo nôrit Dialecticus ſtrophas iſtas & fraudes ſophiſtarum, niſi monſtrentur? Debuit igitur omnino Philoſophus eas proponere, niſi mancus eſſe in doctrinâ præoptârit, quod, injurius eſt in eum, qui credit.

XIV.

Faciunt ergo Sophiſtici Elenchi ad perfectionem primùm Δυνάμει & Dialectici, ut conſtet veritas dicto Ariſtotelico d. 4. Metaph. & 1. Rhet. c. 2.

XV.

Faciunt & ad Δύναμιν Dialectici, quâ Dialecticus eſt, hi libri. Neq; enim ſola traduntur ſophiſmata, quibus ſophiſtæ utuntur, ſed & ratio monſtratur, quâ ijsdem occurratur, ut ſic Dialecticus & Theſin ſuam Διαφυλάττῃ, & inſultus adverſariorum repellere poſſit.

XVI.

Huc facit Alexander, cum inquit: Διδάσκει ἡμᾶς πρὸς τούτων οὐχ ὡς χρῆσθαι αὐτοῖς, ἀλλ' ἵνα μὴ παρὰ τῶν χρωμένων ἐλεγχώμεθα· εἰδότες γὰρ αὐτῶν τοὺς τρόπους, καθ' οὓς οἱ σοφισταὶ τὰ οἰκεῖα παραβάλλουσι σοφίσματα, ἐλεγχθησόμεθα μᾶλλον περὶ αὐτῶν ἀδικοῦντες, ἐλέγξομεν ἢ μᾶλλον αὐτούς. Λύοντες τὰ παραβαλλόμενα σοφίσματα παρ' αὐτῶν, οἷς καὶ τὸν τρόπον εἰδότες τῆς συνθέσεως. ὡς γάρ τις ἄλλος (3. Metaph. cap. 1.) αὐτὸς εἶπεν, ὁ τὸν τρόπον εἰδὼς τοῦ δεσμοῦ, οὗτος λύσει τὸ συνθεθέν.

XVII.

Hoc eſt: Docet nos de Sophiſticis, Elenchis Philoſophus, non ut utamur illis, ſed uti ne ab utentibus decipiamur: ubi enim noverimus modos, quibus cavillationes ſuas ſophiſtæ involvunt & proponunt, ipſi quidem capi nunquam poterimus, ſed ſuo ipſorum veluti gladio detectâ compoſitionis fraude jugulabimus ipſos: Nam ut alibi loquitur, qui novit modum vinculi ſeu nodi, is & modum enodandi novit.

XVIII.

Quo in loco tamen illa verba οὐχ ὡς χρῆσθαι αὐτοῖς, *id eſt, non ut illis utamur, nolim ſimpliciter accipi, ſed reſtrictè ad cauſas impellentes Sophiſtas ad Sophiſticam, ſenſu tali: non ut utamur illis ad ambitionem, vel ad quæſtum, aut ut alios in fraudem vel errorem conjiciamus.*

XIX.

Nam joci liberalis cauſsâ quandoq; licet inter amicos argutari, ut manifeſtè innuit Philoſophus, 1. Top. extremo. Et deinde cum Dialecticus Piraſtam agit, & experiri vult diſcipuli profectum, utitur Sophiſmatis hiſce, ut videat recténe ſciat illa diſſolvere & extricare.

XX.

Quin & contra Sophiſtas licet nobis ſophiſticari rurſum, cum vulpe enim & vulpinari licet; quo argumento uſus eſt Philoſophus lib. 2. Elench. cap. 2. ὥσπερ συλλογίζεσθαι φάμενον εὐδόξως ποτὲ ἢ μᾶλλον ἀληθῶς προαιρεῖσθαι δεῖν, οὕτω καὶ λύσιον εὐδόξως ποτὲ μᾶλλον ἢ τῇ τ' ἀληθεῖ. ὅλως γὰρ περὶς τοὺς ἐριστικοὺς μαχητέον, οὐχ' ὡς ἐλέγχοντας ἀλλ' ὡς φαινομένους ἐλέγχειν.

XXI.

Ideo nec ſimplicem & veram ſolùm occurrendi ſophiſmatis rationem docet, ſed & inſtruit, ſicut priimo libro interrogantem ſophiſtam: ita libro ſecundo Sophiſtam Reſpondentem, rationem addens, quia interdum res poſtulet ſubitaneam reſponſionem & famæ conſulendum quandoq; ſit.

XXII.

***Exceptis his caſibus facilè ferimus quod monuit Alexander; eſſe videlicet hos libros** Ἀλυσιτελῶς φέρεσθαι εἰς τὸ ἀποφεύγειν τὰς ζοφιστικὰς ἐνοχλήσεις καὶ ἐμποδισμούς.*

XXIII.

Ex quibus dictis apparet Neceſſitas & Vtilitas hujus doctrinæ. Neceſſitas, quia ſine ea mancus foret Dialecticus. Vtilitas, quia tutos nos præſtat ab inſidijs.

XXIV.

Vidit inſignem hujus doctrinæ utilitatem aliam, Romanæ facundiæ Princeps M. T. Cicero, cujus hæc ſunt verba. 2. Academicarum Quæſtionum. Multi, inquit, fallacibus & captioſis interrogationibus circumſcripti atq; decepti, cum eas diſſolvere non poſſunt, deſciſcunt à veritate. Oportet igitur & ea, quæ pro vero reſponderi poſſunt, in promtu habere, & eſſe armatos, ut occurrere poſſimus interrogationibus eorum, captionesq; diſcutere.

XXV.

***Præterea teſtatur manifeſtè Philoſophus initio 1. Rhetorici.** Διαλεκτικῷ ἀντίστροφον εἶναι τὴν Ῥητορικήν. Id eſt, è regione eidem reſpondere, & valdè vicinam.*

XXVI.

Teſtatur idem: ſicut Rhetorica verſetur circa τὸ πιθανὸν: ita verſari Dialecticam circa τὸ ἔνδοξον conſentaneum hominum opinionibus.

Teſta-

Digitized by Google

XXVII.

Teſtatur porrò in Rhetoricis ejusdem eſſe facultatis videre quid ſit verum, & quid ſit ſimile vero. Ergo ejusdem quoq; facultatis erit videre quid ſit ἀληθῶς ἔνδοξον, & quid ſit Φαινόμενον. Dialectici autem eſt conſiderare quomodo tractetur ἀληθῶς ἔνδοξον, ergo ejusdem erit, quomodo & Φαινόμενον ἔνδοξον quo utuntur Sophiſtæ. Verba Philoſophi ſunt 1. Rhetor. cap. 1. τὸ αὐτὸ γάρ τε πιθανὸν καὶ τὸ Φαινόμενον ἰδεῖν πιθανὸν, ὥσπερ καὶ ὅλως τὸ Διαλεκτικῆς συλλογισμόν τε καὶ Φαινόμενον συλλογισμὸν ὁ μὲν γὰρ σοφιστικὸς οὐκ ἐν τῇ δυνάμει ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει.

XXVIII.

Idem Dialecticus è regione quoq; ponitur Analytico: At in Analyticis explicantur quoq; ψευδογραφήματα, quæ in ſcientijs nobis imponunt. Igitur in Dialecticis quoque Sophiſmata πρὸς τῶν Διαλεκτικῶν examinari debent:

XXIX.

Verùm tempus eſt, ut audiamus, quibus de cauſis exterminata ſit hæc doctrina, potiorésne ſint eæ noſtris hactenus allatis, an ſolus innovandi & immutandi veterum rectè tradita pruritus ipſis hoc ſuaſerit.

XXX.

Ac primum quidem negam hanc doctrinam eſſe neceſſariam, quia nihil faciat ad artis perfectionem: Poſſe enim Dialecticam munere ſuo perfungi ſine Sophiſtices ope: Benè inquiunt, diſſeruit is, qui veritatem inveſtigavit, etiamſi Sophiſtica nulla refutaverit.

XXXI.

II. Sophiſmata per accidens irruere, & arti veritatis eſſe contraria. Malè igitur partem artis conſtitui, quibus expugnandis ars deſtinata ſit, & ad quæ non niſi per accidens deveniatur.

XXXII.

III. Non poſſe ſophiſmata redigi ad certa & perpetua præcepta, & proinde nec in artis formam: Quanquam enim veritas ſit una & ſimplex, falſitatem tamen variam & multiformem eſſe, cujus innumeræ ſint omnibus ſeculis inventa technæ, & inveniantur hodiéq; & in momenta plures.

XXXIII.

Deniq; ſi maximè cognoſci debeant, ſufficere cognitionem illam, quæ ex doctrina veritatis hauriatur, quæq; poteſtate contineatur in 8. lib. Topi. Veritatis enim regula cognita, cognoſci id omne falſum eſſe, quod ad illam non congruat amuſſim. Hæc & his ſimilia, nec alia, illi.

XXXIV.

Hercules tuam fidem, exclamare me juvet hoc loco: neque enim ego hic machi-

machinis demoliendù idoneus, quas fulcit Ovidianum primum Chaos illud, circumſtæt ſatura quædam rerum ineptiſſimè confuſarum. Verum Augiæ ſtabulum illud, erit, qui expurget alius, machinas aggrediar, quo eventu, judicent, qui poſſunt, & quia vi judicatrice mentis valent, & quia animum nullo præjudicio vitiatum poſſident.

XXXV.

Nihil ajunt ad perfectionem artis valere doctrinam Elenchorum. Contrarium aſſero, ipſius primùm Ariſtotelis teſtimonio 1. Elench. cap. 2. ἐπὶ δὴ, ὡς ἐν ἀρχῇ ἐν εἰπεῖν ἔχον πρὸς ἕκαστον τῶν εἰδότων, ἀψεύδεσθαι μὲν ἄνιον πρὸς ὧν οἶδε, τὸ δὲ ψεύδεσθαι ἐμφανίζειν δυνάσθαι.

XXXVI.

Verum hic inviſus ipſis teſtis, producatur igitur Galenus: Veritas quidem, inquit, paucissimis eſt contenta doceri, creſcit tamen fides, quando non ſolum veritatem cognovimus, ſed & Paralogiſmorum cauſas.

XXXVII.

Nolo repetere, facere ad perfectionem δυνάμεως Dialecticæ ſupra oſtenſam. Quæ quoniam veriſſima ſunt, apparet quoq; falſitas ſecundi objecti: Accidentaria eſſe Sophiſmata, & proinde eſſentialem artis partem conſtituere non poſſe.

XXXVIII.

Quomodo enim quod eſt officium & complementum artificis accidat arti? Nos à ſaniori Philoſophiâ ſic inſtituti doctiq; ſumus: Perfectiones rerum, rebus non accidere ſed eſſentiales eſſe.

XXXIX.

II. Contrariorum eandem eſſe ſcientiam docuit ſæpe Philoſophus. Hoc eſt, in eadem ſcientiâ utrumq; tradi debere, Motum & quietem in Philoſophia Naturali: ſalubre & inſalubre in Medicina. Quomodo igitur illi negant ἔνδοξον ἀληθοῦς & φαινόμενον in eadem arte tractari debere.

XL.

III. Quod Dialecticam faciunt artem Veritatis vel confuſe docent vel falſo. Confusè, ſi de toto ſentiunt, quod parti tribuendum erat, Non enim Dialectica ars veritatis eſt, ſive ut Alexander loquitur, ζητητικὴ ἀληθοῦς ἀλλ' ἐξ ἐνδόξων συλλογιστική.

XLI.

Falsò etiam, ſi Falſum ab arte excludant ἐν διδασκαλίας μέρει ut loquitur Clemens Alexandrinus & Plato: Docere quidem falſum nemo præſumitur, qui vir ſit bonus. 8. Topic. Præmonere autem ne quis falſo ſeducatur, idq; pro vero acceptet, & viri boni eſt, & ab arte minimè alienum.

Tertium

XLII.

Tertium objectum: non posse sophismata propter ἀοριστίαν suam in certa & perpetua præcepta redigi, adeoq; arte tradi; ex parte verum concedo, sed quod inferunt, sequi pernego. Variant quidem singularia, sed species numerari possunt, nec eum habent ambitum, quem singulares captiones.

XLIII.

Hinc dispescit Philosophus Sophismata omnia in duo genera: vel in rebus ea hærere dicens, vel in verbis, cujus divisionis causam adfert Alexander hanc: ἐπεὶ δὲ ἡ τῶν ὄντων ἀναλύτη διαίρεσις εἰς φωνὰς ἐστὶ καὶ πράγματα, καὶ ἡ τῶν σοφιστικῶν ἐλέγχων διαίρεσις τὴν πρώτην ἔχει διαίρεσιν.

XLIV.

Verumq; divisionis membrum subdividit, & sufficiens esse doceri posse, ait, Syllogismo & inductione, duobus probandi dubia quaq; modis. Idq; conati sunt facere Galenus & Alexander. Valeat igitur & hoc.

XLV.

Venio ad ultimum, quo quanto libentius utuntur, tanto magis aut stuporem miror, aut studium in secta suæ Principem servile intueor: Potestate, ajunt, contineri Sophismata omnia in libris Dialecticis, itaq; supervacaneam esse doctrinam. Et hic quidem Aristoteles contra seipsum robustissimo vincendi genere producitur: Rectum, inquit, index est obliqui.

XLVI.

Ad auctoritatem primo loco, postea ad rationem. Rectum, inquit, index est, non explicat plenè perfectéq; rem, digito solum innuit. Sicut statua Mercurialis non exhibet tibi urbem quo tendis, nec est ipsa urbs: ita Rectum manu ducit te ad Obliquum tuâ industriâ accuratius dispiciendum.

XLVII.

Regero deinde Adversariis Objectum suum secundum. Dicebant Sophismata in artem redigi non posse propter varietatem. Veritas ergo quæ una est & simplex, quomodo potest varietatem illam nobis exhibere, ut ipsius notitiâ omnia illa nobis innotescant.

XLVIII.

Regero 3. Scientiarum finem, qui est teste Aristot. 2. Post. ut cesset omnis quæstio: At si Sophistica doctrina aut, ut ipsi loqui amant, falsitas negligatur in doctrinâ Veritatis, quomodo cessabit omnis quæstio, cum obvio Sophismate necessariò inquirendum veniat, quo modo vel gradu à veritate deficiat.

XLIX.

Regero 4. Officium scientiarum, quo tenentur ἀφισμένους omnia tra-

 dare,

ctare, & vitare omnem ἀοριστίαν, rem actu docere, non poteſtate. Actus enim objectum eſt intellectus. At quid magis poteſt ἀόριστον aut confuſum eſſe, quam docere ſaltem rectum, omnem aberrationis doctrinam negligere,

L.

Perinde mihi facere videntur ſanè, dum Sophiſticarum perplexitatum doctrinam hanc rejiciunt, quod vi contineantur in dialectices præceptis, ac ſi quis in tela rectam poſitionem filorum aut transverſam tenens, profiteatur quoq; ſe omnes omnino nodorum modos tenere. Aut ſi quis conſtitutionis naturalis gnarus, omnes inde modos præter naturam ſcire ſe jactet.

LI.

Repello deniq; illos & profligo Exemplo omnium omnis temporis Philoſophorum, qui facto & exemplo eos refutarunt, non negligentes doctrinam Exerrationis in ſcientijs à recto. Hinc Medici quoq; non ſolum de ſanitate, ſed & de morbis agunt. Iuriſconſulti non ſolum de Teſtamentis legitimis, ſed & de vitioſis Teſtamentis. Theologi non ſolum de vera & ſana fide, ſed & de Hæreticorum præſtigijs docent.

LII.

Sed huc videlicet deduxit Brevitas illa delicatiſſima Novæ Philoſophiæ filiola, napello faſtuoſæ ambitionis paſta, quæ mellitos verborum globulos; & omnia dicta papavere & ſeſamo ſparſa pueris inſtillat, ijſq; adhuc naſcentibus Philoſophiam induere paucis etiam menſibus pollicetur. Idq; tanto magis dolendum eſt quod ſtultorum parentum, qui filios ſevera lege proficere nolunt, accedit conſenſus, & conſenſu ſtultior applauſus etiam.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

Μᾶλλον ἀρχὴ τὸ ἀπλούστερον ἢ μὴ τοιόνδε inquit Philoſoph. XI. Metaph. c. 1. Id niſi diſtinctione fulciatur ſtare nequit.

II.

Stante verò etiam, argumentabor. Ergo maximè ſimplex maximè principium. At τὸ ἁπλοῦν duplex τὸ κατ' εἶδος, καὶ τὸ κατὰ ποσὸν ἀδιαίρετον. Nihil autem ente ſimplicius, nihil uno minus. Quid ni ergo prima hæc duo rerum omnium dicantur principia? Ens quidem, qua ſunt; Unum, qua quantæ.

Non

III.

Non videtur Galenus injuriâ reprehendisse Aristotelem lib. 1. de Usu partium cap. 8. quod unguium doctrinam 3. de Partibus Animal. cap. 10. tam frigidè tractaverit.

IV.

Errat Theodorus qui περὶ Ἀγγειολογίας ἐν τῇ Ἀνατομαῖς extremo 1. de Hist. Animalium & 2. de ortu Animalium confundit cum Historiâ Animalium.

V.

Contrariorum definitio: Contraria sunt quæ sub eodem genere posita maximè à se invicem distant, non videtur magni pretij.

VI.

Gravis est disputatio quid in Demonstratione convertendâ in definitionem, majoris extremi locum obtinere debeat, Genus ne ἐξ οὗ πάθος, an ipsum πάθος: Nobis hoc placet, illud non item.

VII.

Antiquitùs jus sacrum & cura Religionis ad Magistratum Politicum pertinuit, maleq; hodiè ab eodem quorumdam partim vi, partim fraude avulsum.

VIII.

Superbè trecenti Fabij bellum contra Veientes sibi solis postularunt, consensere parum prudenter Romani. Idem dictum esto de trecentis Lacedæmonijs duce Leonida ad Thermopylas.

DISPUTATIO XXIV.

MICHAELIS PICCARTI

DE INDVCTIONE.

Respondit

Johannes Jacobus Rüd. Ratispo;

Mens. Junio. cIↃ IↃ c X.

Præfatio

Senatui Ratisponensi.

SALUTEM PERENNEM, OBSERVANTIAM ET OFFICIA.

REctissimè Magnus ille Scaliger: Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Longoq; rerum usu Præstantissimi Viri: Rectè inquam, acutissimus ille Scaliger inquit: Nil beatius quàm scire: Nil divinius quàm docere: Nil propius veræ felicitati, quàm discere, Exercit. 26. Sect. 1. At ὁ βίος βραχὺς ἡ δὲ τέχνη μακρή. Hipp. 1. aphor. 1. Vana igitur vanis relinquamus: futilia & inutilia exulatum ire jubeamus. Ἔυηθες γὰρ, τὸ σὸν ἐυήθως ἢ λόγων λίαν ἐξετάζειν, haut enim officium sapientis est, stultas pertinacias insectari. Aristot. lib. 3. de part. animal: cap. 4. 1. Top. 9. Scal. Exercit. 324. Scitu quæ sunt maximè necessaria & inquiramus & discamus: & quidem instrumentis certis: in primis disputationibus & literato certamine: ad quod non tanquam arenarijs vel precio adductis, vel supplicio coactis nobis est descendendum, sed animi gratia cujus pabulum veritas est Scal. Exer. 148. Sect. 4. Neq; enim tacitis meditationibus magis proficere nos, quam altercationibus verum est: Idem Exer. 308.

Priusquam autem penetralia ædium ingrediatur quis, primum de ja-

de janua ſolicitus ſit neceſſe eſt, ab hac enim qui aberrat, interiores ædium receſſus penetrare fruſtra deſiderat. Id quod, Magnifici, Nobiliſs. Ampliſs. Viri, Patroni & Fautores ſummæ obſervantiæ cultu proſequendi, facere, & priusquam ædium penetralia invadam & altiora progrediar, de janua ſolicitus eſſe, Logiceq́; diſputando exercere me volui.

Siquidem illa eſt janua omnis ſcientiæ, ars artium omniũ maxima, rationis excultrix, veri dijudicatrix. Scire qui expedit, experimur autem omnes quotquot homines ſumus, Logicam pandat, hanc qui ignorat, inani eruditionem obtinendi ſpe ſe lactat. *Ariſtot. 1. Metaph. 1.*

Quæ cum ita ſe habeant, & perfecta Logices cognitione, nil prius ac antiquius, nil utilius & optatius, excogitari poſſit, maximè impellor & trahor, ut Logicam, ſub M. Michaël Piccarto, Profeſſore Organico, Præceptore meo colendo, cum doctiſs. Philoſophiæ ſtudioſis, in collegio Philoſophico exerceam, & materiam de inductione ex illa depromptam, pro ingenij mei viribus defendendam ſuſcipiam. Theſibus itaq; conſcriptis, easdem vobis, Viri Magnifici, Nobiliſs. Ampliſs. ut dedicarem, cauſa permovebar duplici: Prior: quod cum omni doctrinæ ac virtutum laude, tum rerum graviſſimarum uſu ita eſtis conſpicui, ut vix ſecundos habere videamini: Poſterior: quod credebam omninò Patrib. Patriæ deberi primitias ſtudiorum meorum, quorum patricinio gaudere fruiq́; ſemper liceret. Quibus ex cauſis, vos Viri Magnif. Nobiliſs. Ampliſs. prudentiſs. ut hoc qualecunq́; munuſculum, hilari acceptare vultu dignemini, ſubmiſsè rogo. Valete & ſtudijs meis, quod facitis, favete, eaque fovete. Ita vobis faveat, ita vos foveat, ſupremus ille Fautor, ſupremum illud Numen Deus benedictus in ſecula.

VV. M. N. A. &. P.

Obedientiſſimus

Johannes Jacobus Rüd,
Ratispo: φιλομαθὴς.

THESIS I.

Verba sunt Aristotelis 2. Priorum cap. 23. Ἅπαντα πίστωμαι ἢ διὰ συλλογισμοῦ, ἢ ἐξ ἐπαγωγῆς. & 1. Post. cap. 15. Μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ ἢ ἀποδείξει. Eadem verba habet 1. Rhetor. & 6. Eth. cap. 3. aliisq; locis pluribus.

II.

Quibus perspicuè testatur duo esse cognoscendi instrumenta: Syllogismum & inductionem. De Syllogismo jam multa à Doctore nostro dicta & à nobis sæpius repetita: De inductione hac disputatione dispiciemus.

III.

Prima consideratio de vocabulo erit, quod militare esse norunt, quotquot Græcæ linguæ gnari sunt: Significat enim continuatam quandam ordinum seriem ac consecutionem, ut sic dixerim, qualis in exercitibus in aciem productis, cum agmen compositum procedit, & ordines alij post alios sequuntur, conspici solet. Budæus in Comment. de linguâ Græcâ.

IV.

Hinc Inductio, quæ multarum propositionum ex singularium enumeratione factarum quendam quasi exercitum inducit: Quamquam aliqui malint ideo hanc colligendi formam ἐπαγωγὴν & inductionem ductam, ab impellendo homines ad assensum: irrepit enim in animos hominum sensim & eum etiam invitis extorquet, qua significatione Plato usus 2. de Repub. Quo respexisse videtur Galenus quoq; cum ait: βίαιός ἐστιν καὶ παθητὸς ζῆλος ἡ πάντων διὰ τὴν ἐμπειρίας γινωσκομένων ἐπαγωγήν, id est, violenta est & vehementer suadet ea inductio, quæ ex omnibus constat per experientiam cognitis.

V.

Verum de vocabulo satis, quod manuducit nos ad rem: Est igitur, si Aristotelem audias, Ἐπαγωγὴ ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος: Progressus à rebus singulis ad universas.

VI.

Reperias & alias inductionis definitiones tum apud Aristotelem, tum apud Socratem & Ciceronem, quæ tamen morari te nihil debent.

VII.

Aristoteles enim 2. Priorum ita dicit: ἐπαγωγὴ καὶ ὁ ἐξ ἐπαγωγῆς συλλογισμὸς ἐστὶ διὰ τοῦ ἑτέρου ἄκρου τὸ μέσον συλλογίσασθαι τῷ, hoc est, Inductio, atq; adeo Syllogismus ex inductione tum fit, cum alterum extremum de medio concluditur per alterum.

Quâ

VIII.

Quâ deſcriptione neutiquam tollit definitionem Inductionis primo Dialectico allatam, ſed eam aliâ κέσει aliove reſpectu conſiderat, id quod ita innoteſcet: 1. Top. cap. 10.

IX.

Egerat Philoſophus libris illis priorum Analyticorum de Syllogiſmo, tradiderat ejusdem γένεσιν, Ευπορίαν & Ανάλυσιν; Idq; cognoſcendi Organon in tantum jure merito evexerat, ut ſi quæ eſſent alia aut fingerentur ab hominib. ea omnia, quod eſſent aut quod hominibus ad cognitionem afferrent, id primario huic inſtrumento ejusq; neceſſitati acceptum ferrent.

X.

Id inter alia de inductione docere quoq; omnino debuit, quippe communiſſimo docendi inſtrumento, præſertim apud vulgum, ne fidei verborúmve prodigus credi poſſet.

XI.

Monſtrat igitur eo loco Philoſophus, quomodo cum Syllogiſmo inductioni conveniat, & quam cum eo cognationem habeat.

XII.

Ea conſiſtit in his I. Et Syllogiſmus & inductio eſt inſtrumentum Logicum, & utrumq; requirit diſcurſum ſeu agitationem mentis.

XIII.

II. Syllogiſmus & inductio tribus conſtant terminis. Et ſicut omnis ſyllogiſmus ad certam figuram reduci poteſt: ita & omnis inductio, inprimis & præcipuè ad tertiam reduci poteſt, per converſionem autem minoris ad primam.

XIV.

III. Vtrumq; inſtrumentum à notioribus progreditur, quæ optima eſt ubiq; viſa Ariſtotelis docendi ratio. Vt enim nihil fit actu niſi ab eo, quod eſt actu: ita nihil actu quoq; cognitum fit, niſi per id quod actu jam cognitum eſt.

XV.

Quia verò id quod dependet ab altero non eſt prorſus idem cum eo, à quo dependet, ideo ibidem, quomodo Syllogiſmus ab inductione differat, oſtendit itidem.

XVI.

Ac primum quidem eo ſeparari dicit, quod Syllogiſmo probentur ea tantum

sum, quæ medium habent & problemata dicuntur: immediata Syllogismo non doceri possunt: Inductio autem illustrandis etiam principijs servit, atque ea lucem principia, quanquam per se nota sint, majorem tamen acquirunt.

XVII.

Ita enim Philosophus; ὧν μὲν γὰρ ἐστὶ μέσον, λόγῳ ἢ μέσου ὁ συλλογισμὸς, ὧν δ' μὴ ἐστὶ, δι' ἐπαγωγῆς: Quibus verbis consentiunt ea quæ leguntur 6. Eth. cap. 3. ἡ μὲν δὴ ἐπαγωγὴ ἀρχῆς ἐστὶ καὶ τοῦ καθόλου.

XVIII.

II. Etsi tam in Syllogismo quam in Inductione tres conspiciantur termini, tamen eorumdem ratione differentia quoq; apparet: In Syllogismo enim majus extremum de minori per medium demonstratur: In Inductione majus de medio demonstratur per minus.

XIX.

Per singularia enim inducta quæ faciunt minus extremum, δεῖ δεικνύναι τὸ ἐξ ἁπάντων τῶν καθέκαστον συγκείμενον inquit Philos. Syllogismi majus de medio docetur; Syllogismus talis est:

Omne Animal carens bile est longævum.
Omnis Homo Equus & mulus carent bile:
Ergo omnis Homo Equus & mulus sunt longævi.

XX.

In quo Syllogismo apparet majus extremum esse Longævum. Minus, Hominem Equum & Mulum. Medium, carere bile.

XXI.

Inductio autem hunc in modum formatur Syllogistice:

Homo Equus & Mulus sunt longævi
Homo Equus & Mulus carent bile:
Ergo Omne Animal carens bile est longævum.

Hæc inductio Syllogistice formata quanquam in tertia figura concludat universè præter naturam illius figuræ, rectè tamen concludit ex alio fundamento, quod proposuit 5. Theoremate cap. præced. Aristoteles.

XXII.

Id est: Si duo attributa dicantur de toto aliquo subjecto, secundum autem attributum reciprocetur cum eo subjecto, tunc necesse est primum attributum dici de toto secundo quoq;.

XXIII.

Fit autem illud hic: Longævum enim esse & carere bile sunt duo attributa, quæ dicuntur de homine, Equo & mulo, paucis item alijs animalibus: Carere autem

autem bile convertitur ſive converſim dicitur cum bis animalibus : Ideo longævum eſſe de omni animali carente bile dicetur.

XXIV.

111 Dictum eſt & Syllogiſmum & inductionem à notioribus progredi : quod ipſum quoq; diverſimode ab ipſis fit : Syllogiſmus enim â notioribus naturâ progreditur : Inductio à notioribus nobis.

XXV.

Ratio eſt, quia Syllogiſmus â magis univerſali ad minus univerſali procedit : Inductio contra à ſingularibus ad univerſale, quæ 4. poteſt conſtitui differentia. Univerſalia autem notiora ſunt natura ſingularia nobis. 1. Metaph. c. 2. 6. Top. c. 1. 1. Poſt. 1. 12. Hæc igitur in prioribus de inductione Ariſtoteles & eo quo diximus ſenſo. Unde patet inductionem 1. Dialectico deſcriptam nobis ſalvam eſſe pertractationem ſecundi Priorum.

XXVI.

Veniamus ad Socratis definitionem, quæ affertur à Diogene Laërtio talis : ἐπαγωγὴ ἐστι λόγος δι' ἄλλων τινῶν ἀληθῶν, τὸ ὅμοιον ἑαυτῷ ἀληθὲς οἰκείως ἐπιφέρων, hoc eſt, Inductio eſt Oratio ex veris quibusdam ſimile ſibi verum propriè colligens atq; inferens.

XXVII.

Cui reſpondet illa Ciceronis in Topicis, ubi inductionem definit quæ ex pluribus ſimilibus perveniat quo vult. Quæ duæ poſteriores definitiones cum noſtra primi Dialectici pugnare omnino videntur.

XXVIII.

Noſtra enim vult ex ſingularibus univerſale inferri : Hæ ex ſingularibus aliud ſingulare : Noſtra vult omnium ſingularium enumerationem fieri, Hæ ſolum aliquorum.

XXIX.

Quid hic dicendum : An ut Alexander imitatus Magnum illum ſibi cognominem gladio nodum diſſolvit, ita nobis quoq; faciendum : Ita autem ille : οὐχ ὑγιῶς λέγουσιν οἱ λέγοντες τὴν ἐπαγωγὴν λόγον εἶναι ἐξ ὅλου ἐπὶ ὅμοιον : Οὐ γὰρ ὁμοίου τὸ καθόλου τοῖς ὑπ' αὐτό.

XXX.

Non videtur : Malim diviſione & Socrati & Alexandro ſubvenire : Diviſione autem non mei cerebri, ſed è ſummorum virorum monumentis ſumta. Suidas triq; facit inductionum genera Dialecticum, Oratorium & Socraticum Rectius fortaſſe Laërtius qui duo facit in vita Platonis. Dialecticum & Oratorium.

XXXI.

Aristoteles igitur 1. Dialectico definit inductionem Dialecticam (generali vocis significatione) Socrates Stoici Chrysippus & Zeno, eorumq; sectarius Cicero, Oratoriam sive Rhetoricam.

XXXII.

Et erraverunt quidem hi, si nullum aliud inductionis genus agnoverunt, sin in alienam provinciam immiscere sese noluerunt, reprehensione carent.

XXXIII.

Rhetoricam Aristoteles initio primi libri Rhetorici cap. 1. vocat ἀντίστροφον τῇ Διαλεκτικῇ, eandem cap. 2. dicit συμφυές τι τῆς Διαλεκτικῆς εἶναι: igitur in organis quoq; disputandi convenientia quædam sit oportet.

XXXIV.

Ut igitur duo sunt εἴδη τῶν Διαλεκτικῶν λόγων: Syllogismus & inductio: ita Syllogismo in Rhetoricis respondet Enthymema, quod est Syllogismus Oratorius, inductioni vero Exemplum: Perspicue docet Aristoteles 1. Rhet. c. 2. Καθάπερ ἐν τοῖς Διαλεκτικοῖς τὸ μὲν ἐπαγωγὴ ἐστὶ τὸ δὲ συλλογισμός, καὶ ἐνθύμημα ὁμοίως ἔχει: ἐστὶ γὰρ τὸ μὲν παράδειγμα ἐπαγωγή, τὸ δ' ἐνθύμημα συλλογισμός, Καλῶ δ' ἐνθύμημα μὲν ῥητορικὸν συλλογισμόν, παράδειγμα δὲ ἐπαγωγὴν ῥητορικήν.

XXXV.

Verum de Rhetoricâ inductione nostri instituti non est agere: de Dialecticâ pauca nobis considerandæ restant, quæ videamus: Primum quod attinet Genus ἔφοδον, explicat id, quale instrumentum cognoscendi sit inductio, non videlicet αἰσθητικὸν aut νοητικὸν sed Διανοητικόν. Progressus enim arguit Διάνοιαν discursum, sive ut supra locuti sumus, agitationem mentis.

XXXVI.

Progressum deinde vocat à singularibus ad universale. Vbi quæritur quid per τὰ καθέκαστα intelligat Philosophus. Sunt qui persuadere sese nobis postulent intelligi purè singularia, quæ propriè & presse dicantur ἄτομα sive individua.

XXXVII.

Ratione nituntur ipsius Aristotelis 1. Top. cap. 10. Distinguit ibi Philosophus inter Syllogismum & inductionem: Syllogismus inquit & βιαιότερος καὶ πρὸς τοὺς ἀντιλογικοὺς ἐπιτηδειότερος: ἡ δὲ ἐπαγωγὴ πιθανωτέρα: quibus verbis docet Syllogismum cogere ad assensum quod & 8. cap. 1. Post. adscruit: inductionem verò solum suadere.

Quod

XXXVIII.

Quod πιθανὸν *eidem tribuit Alexander Comm: primi Topicì rebus locùt 1. in definitione Syllogiſmi ad particulam illam* ἐξ ἀνάγκης : τὸ ἢ ἐξ ἀνάγκης τεθειμένον ἐν τῷ ὅρῳ τ ἐπαγωγῆς χωρίζει τ συλλογισμόν : ἐστὶ μὲν γὰρ καὶ ἐπαγωγὴ λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἑτερόν τι κειμένων συμβαίνει διὰ τῶν ἐξ ἀνάγκης.

XXXIX.

Et turſum ad cap. X. ubi de Conſilio tractationis de inductione : περὶ ἢ ἐπαγωγῆς ἐρεῖ, ἐπεὶ δὴ τοῖς Διαλεκτικοῖς οἰκεῖα καὶ ἡ δι' ἐπαγωγῆς πίστις : τὸ γὰρ πιθανὸν ἔχει, ὃ μάλιστα ὁ Διαλεκτικὸς ζητεῖται.

XL.

Ex qua cauſa inductio & Exemplum Græcè παραδείγματα dicta, quaſi tu admonitiones dicas, quia moneant ſolum homines aſſentiri, non cogant.

XLI.

Hoc autem fieri exiſtimant ijdem, qua ſingularium propriè dictorum ſit inductio, quæ nec enumerari poſſint omnia nec ſcientiâ comprahendi (ἄπειρον γὰρ τὸ καθέκαστον καὶ οὐκ ἐπιστητόν) 1. Rhet. cap. 2. & 2. Metaph. cap. 4. & quia non enumerari poſſunt omnia ideo ſemper effugium patet & elabendi rima.

XLII.

Attigit hanc rationem Alexander dicto commentario ad definitionem Syllogiſmi : ὅτι ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει συμπέρασμα ἢ ἐπιστικοῦ λόγου : ἀναγκαῖον γὰρ τὸ δεικνύμενον ἐν ταῖς ἐπαγωγαῖς, τῷ μήτε πάντα, δ' ὧν ἡ δεῖξις ἢ περαίνεται, δύνασθαι ληφθῆναι, μήτ' εἰ μὴ πάντα ληφθείη, ἐξ ἀνάγκης ἀεὶ οὕτως ἔχειν, ὡς ἕκαστον ἦν τ εἰλημμένων, καὶ τὸ καθόλου.

XLIII.

Quid nos ad hæc : an ſeorſum ab hac ſententia & ratione & auctoritate forti nixâ ibimus ? ibimus & non ibimus. Diſtinctione turſus utemur, inductionem facientes duplicem : Apodicticam aliam, aliam Dialecticam : Quæ igitur hactenus dicta competere in Dialecticam (propriè & preſsè vocabulo utentes) inductionem aſſeveramus.

XLIV.

Qua ratione Ariſtoteles 8. Topic. cap. 2. inductionem vocat organon accommodatum vulgo, quoq; Dialecticus ad vulgum uti debeat cui nota ſint ſingularia utpote in ſenſus incurrentia : Syllogiſmum vero pro eruditis facere ait: ἰσχυρὸν ἢ, αἱρεῖται ἐν τῷ διαλέγεσθαι τῷ μὲν συλλογισμῷ πρὸς αὐτὸν διαλεκτικῶς μᾶλλον, ἢ πρὸς τοὺς πολλούς, τῇ ἢ ἐπαγωγῇ τυραννικὸν πρὸς τοὺς πολλοὺς μᾶλλον.

LXV.

Aliud judicium de inductione Analyticâ faciendum, quam rectè videor mihi constituere posse ex Philosophiâ Aristotelis, quæ cogat aquè, ut Syllogismus: Datis enim præmissis sive inductione singularium concessa necessario inferri conclusionem censeo.

XLVI.

In eâ tamen locum non habent singularia propriè dicta: sed species, ex quarum inductione infertur postea genus. Quæ species cum infinitæ numero non sint, aut certè non omnium generum species, & enumerari possunt omnes & rectè inferri postea genus.

XLVII.

Neq; hoc insolens Aristoteli, ut per τὰ καθ' ἕκαστα species quoq; notet, non illa propriè dicta singularia. 1. de partibus Animal. c. 2. Λαμβάνουσι δ' ἔνιοι τὸ καθ' ἕκαστον, διαιρούμενοι τὸ γένος εἰς δύο διαφορὰς, *hoc est, Sunt vero, qui genus in duas secando differentias accipiant singulare. Et 12. Metaph. t. 4.* Οἱ δ' πάλαι τὰ καθ' ἕκαστα, οἷον πῦρ καὶ γῆν, μᾶλλον οὐσίας ὑπέλαβον, *hoc est, Antiquiores singularia ut ignem & terram magis substantias ponebant. Quam observationem debere nos profitemur Fr. Bonamico lib. 1. de Motu. p. 36.*

XLVIII.

Et quid dubitamus? Usus ipse nos docet. Aristoteles enim secundo, Prior, ubi de inductione, qua ad Syllogismum revocatur, loco singularium in Exemplo species enumerat Hominem, Equum & mulum, non Socratem, Bucephalum &c.

XLIX.

Confirmat inductio, qua Philosophus 1. Post. c. 1. ex artium generibus inductis probat omnem doctrinam fieri ex antecedente cognitione. Atque hujusmodi inductio mihi Analytica esto.

L.

At, liceat quæso per Philosophos, latius animo circumferri: Videor mihi & aliud inductionis genus animadvertisse, quo ab una singulari specie rectè tamen infertur universale aut genus verum non formæ ratione, sed τῇ ἀνάγκῃ sive necessitate materiæ.

LI.

Talis inductio est apud Aristotelem lib. 2. de Cœlo c. 11. Probat ibi Philosophus astra esse Sphæricæ figuræ, quia unum astrum Luna sit Sphæricæ figuræ, quod probat per incrementum & decrementum Lunæ in orbem: ubi concludit: ὥς τ' εἰπεῖν ἐξὶν ἐν πᾶσιν, δηλονότι, καὶ τἆλλα ἂν εἴη σεληροειδῆ.

Consi-

Digitized by Google

LII.

Consimilis argumentatio est Bonamici lib. de Motu pag. 24. Cum inquit commune sit pluribus animalibus habere cor, & in avibus observemus ipsum primo produci, eodem modo de cæteris judicabimus. Natura enim simplex est & uniformis, ut ita de ejusdem generibus idem judicium non absurde fiat.

LIII.

Qui posterior colligendi modus convenit cum Socratica inductione, quia uno alterove singulari contenta est, differt, quia non colligit aliud simile sed universale. Atque hæc de Inductionis natura hactenus.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

SI Meteororum nullus est finis, si nullus eclypseos 8. Metaph. c. 4. t. 12. Si infinitum ita est potentia, ut numquam tamen sit actu 9. Metaph. c. 6. t. 11. Si ita Cœlum habet potentiam ad quietem, quamvis numquam quiescat, quomodo non Natura frustra quædam fecit, cum Simplicius, ad 2. de Anima, ubi explicat quemadmodum Anima esset actus primus expresse dicat omnem facultatem feriantem frustra esse.

II.

Nescio quomodo Gentilius magisve profanè de Deo loqui potuerit Aristoteles quam loquitur 12. Metaph. c. 8. t. 50. Παραδέδοται δὴ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων καὶ παλαιῶν ἐν μύθου σχήματι καταλελειμμένα τοῖς ὑστέροις, ὅτι θεοί τε εἶσιν ὅτι καὶ περιέχει τὸ θεῖον τὴν ὅλην φύσιν. Τὰ δὲ λοιπὰ μυθικῶς ἤδη πρόσκειται πρὸς τὴν πίθανότητα τῶν πολλῶν, καὶ πρὸς τὴν εἰς τοὺς νόμους καὶ τὸ συμφέρον χρῆσιν. hoc est, Tradita autem sunt quædam à majoribus nostris & admodum antiquis ac in fabulæ figura posteris relicta, quod hi dij sint, universamq; naturam divinum aliquod contineat. Cætera fabulosé ad multitudinis persuasionem, & ad legum, ac ejus quod conferat in publicum oportunitatem illata sunt.

III.

Scilicet Athei & Epicurei relligionem volebant vigere interiores aliquam, ut vulgus in officio contineretur & improbitas metu coërceretur. Vid. Livium de Natura l. 1. quem scribit rem ad multitudinem imperitam & illis seculis rudem, efficacissimam DEORUM

metum injiciendum putasse, Quo pertinet & Curti illud l. 4. Plebs, inquit, ubi vana religione capta est, melius suis sacerdotibus paret, quam ducibus Regibusq;.

IV.

Hactenus Gentiles & Athei, nec ferè ultra de Religione: vinculum videlicet esse disciplinæ & societatis civilis, & avocamentum à peccando. Quid igitur judicij faciendum de Religione tali, quæ propositis indulgentijs ad peccandum suos etiam invitat.

V.

Aut qua fronte nostris objicit vitæ sanctimoniam & operum bonitatem ab ijs floccifieri.

VI.

Si, ut Ammianus Marcellinus loquitur lib. 27. Historiam producere per ignobiles minutias non decet, & qui id faciunt, merito λεπτολόγοι Capitolino dicuntur: Quomodo stabit illud Diodori Siculi initio lib. 5. Hist. qui Historicum μάλιστα τὴν κατὰ σύγκρισιν ἀπαγγελίαν rationem vult habere? Quomodo item illud Plin. lib. 5. Ep. 8. Ubi orationem & historiam hoc commune habere ait, quod utraq; narret: differre autem quod historia pleraq; humilia & sordida atque ex medio petita narret, Oratio omnia recondita splendida & excelsa?

VII.

Negat illustris Scaliger cap. 6. lib. 3. Comm: Theophrastum de causis Plantarum, Accidentis esse accidens, sed utrumq; unius esse subjecti accidens: Eodem tamen capite ait, lævoris affectum esse nitorem: an oblitus sui? an certe ratione? quod vero propius.

VIII.

Vtinam illud Augustini Enchirid. ad Laurent. cap. 59. Quid opus est ea cum discrimine definire, quæ sine discrimine nesciuntur: omnes hodiè sibi dictum putarent, faxim omnes scientiæ multis carerent φιλεριστοις, & ambitiosis illis quæstiunculis, in quibus parum cautè arcem sapientiæ sæpe collocamus.

(o)

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO XXV.

MICHAELIS PICCARTI

De

DISCRIMINE PROBLEMATUM DIALECTICORUM ET ANALYTICORUM.

Respondit

Henricus Lesner, Variſc.

Menſ. Decem. cIↃ IↃ cX.

THESIS I.

ARiſtoteles noſter 1. Top. 4. ait eſſe *Quæſtionum Dialecticarum genera, ad quorum aliquod neceſſe ſit omnem Quæſtionem reduci. Quæſtionem videlicet Generis, Definitionis, Proprij & Accidentis.*

II.

Quod ipſum 7. cap. ejusdem libri comprobat, duplici oſtendendi quæq; modo, Inductione & Syllogiſmo.

III

Idem Philoſophus 2. Poſteriorum Alia quatuor proponit c. 1. Quæſtionum genera: Quæſtionem τῦ ὅτι: Quæſtionem τῦ διότι: Quæſtionem εἰ ἐϛι & Quæſtionem τι ἐϛι: addens ibidem nullam dari Quæſtionem aliam præterdictas: Λ' μὲν ὖν ζητᾶμεν καὶ ἃ ἐυρόντες ἴσμεν, ταῦτ' ἐϛι καὶ τοσαῦτα ἐϛιν.

IV.

Ex hoc gemino loco Philoſophi aperit ſe latiſſimus diſputandi campus, in quo deſudare quis non perfunctorie poteſt. Aut enim convenire inter ſedas Quæſtiones debent, aut veritas dictis Ariſtotelicis non conſtabit.

V.

Si enim diverſæ Quæſtiones ſunt quæ in Topicis allatæ ſunt, ab ijs, quæ in Analyticis, neq; hic neque illic ſufficiens facta eſt enumeratio: Nam aut Analyticis Dialecticæ addi debebunt, aut Dialecticis Analyticæ.

Huic

VI.

Huic nodo placet hac disputatione insistere, &, quid ab alijs dicatur, quid item videatur nobis, exponere, non ut decidamus, sed ut aliorum judicia, exquiramus, & ingenia, ad proponendum meliora, excitemus.

VII.

Fuêre igitur initio, è quibus Felicem Accorombonium Eugubinum nominare lubet, qui Problemata Dialectica eadem dicerent cum Analyticis, & ostendere conarentur, Quæstionem an sit res, Quæstionem Generis volebant esse, quia quando quæratur, An sit res quæratur Genus rei, An sit Ens.

VIII.

Quæstionem Quid sit Definitionis Problema constituebant: Quæstionem ὅτι Quæstionem Accidentis. Quæstionem denique Propter quid Quæstionem Proprij, quia videlicet Quæstio Propter quid causam inquirat, quare πάθος aliquod insit subjecto, ut proprium & non ut Accidens.

IX.

Verum hæc opinio errorum fœcunda est: Primum Ens illi rerum genus constituunt præter mentem, imò contra mentem Philosophi.

X.

Deinde si maximè Ens genus summum foret, tamen hic locum habere non posset. Lib. enim 4. Top. ubi tradit locos adserendi vel destruendi generis semper ratio habetur generis proximi: Expressus locus est: si remotum genus allatum fuerit, vitium in asserendo genere commissum est.

XI.

Quæstio Quid est solius definitionis Quæstio esse non potest, cum Aristoteles expresse dicat, non uno loco: ad Quæstionem, quid est responderi aliquando per partem definitionis, hoc est genus, aliquando per totum hoc est integram definitionem.

XII.

Quo pertinet evidens locus 4. Phys. c. 1. t. 8. Ἀλλ' ἔχει μὲ ἀπορίαν, εἰ ἔστι τόπος, τί ἐστι πότερον ὄγκος τις ζώματος, ἢ τις ἑτέρα φύσις: ζητητέον δὲ τὸ γένος αὐτοῦ πρῶτον. *Vbi manifestè vides Aristotelem Quæstionem Generis ad Quæstionem εἰ τί ἐστι referre.*

XIII.

Falsum porro & id est, quod tertio loco asseritur, Quæstionem εἰ ὅτι, Accidentis esse Quæstionem. Nam in Dialecticis Quæstio an Homo sit Animal. Quæstio accidentis est: In Analyticis Quæstio τοῦ τί ἐστι.

XIV.

Docet Alexand. 1. Top. his verbis. Δεῖ δὲ ἐντοῖς ἀπὸ τοῦ γένους προβλήμασι

μασι

μασι προσκεῖθαι τὸ ἴδιον : οἷον πότερον τὸ ζῷον τοῦ ἀνθρώπου ἴδιόν ἐστι, τὰ δὲ χωρὶς τῶν γενῶν τῶν προσθηκῶν προβλήματα, ὡς συμβεβηκότα προβλήματα.

XV.

Quod eodem loco, non multis interjectis lineis, reliqua tria Problematum Dialecticorum genera ab Accidentis problemate secernit his verbis: ζήτησις *inquit* λέγω δὲ συμβεβηκότος ἁπλῆς ζήτησις ἐστὶ πρὸς ἁπλῆς ὑπάρξεως. αἱ δὲ ἑτέραι ζητήσεις πρὸς τέτταρα τῆς ὑπάρξεως : *Vbi vides, si problemati Generis, definitionis, Proprij modum adimas, transire in problemata Accidentis.*

XVI.

Adeoq; τὸ κοινῶδη quoq; apud Dialecticos ad Problema Accidentis revocari. At Quæstio τοῦ ὅτι apud Analyticum saltem pertinet ad τὸ ἐπουσιῶδη : An rei, suis partibus essentialibus absolutæ jam aut constitutæ, aliquid insit deinde.

XVII.

Quæstionem causæ esse Quæstionem proprij, ne quid aliud dicam, nimis coactum est. Qualis enim connexio : In Quæstione propter quid causa quæritur proprij πάθους cur insit subjecto : E Quæstio est Proprij ? immò causæ Quæstio est, cur id proprium sit subjecto : In Dialecticis autem proprium aliquid alterius esse dicitur etiam sine causa.

XVIII.

Missâ igitur hac tanquam nihili opinione accedamus ad aliam : Græci igitur negant easdem esse Quæstiones Dialecticas & Analyticas, itaq; recte utrobiq; locutum Aristotelem in Topicis & Analyticis : In Topicis quidem : quia non sint plura aliave Dialecticarum Quæstionum genera quam illa quatuor. In Analyticis item, quia non sint plura Quæstionum Analyticarum genera.

XIX.

Quia verò non sufficit dicere, sed probare decet Philosophum quæ dicit : ideo & illi discrimen monstrare nituntur inter Quæstiones Dialecticas & Apodicticas, & dicunt Quæstiones Dialecticas omnes complexas esse & quærere de prædicatis inhærentibus subjectis, an insint ut Genus, ut proprium, ut Definitio, ut Accidens.

XX.

Omnes præterea Quæstiones Dialecticas posse per ἀναγωγὴν reduci ad unum quæsitum Analyticum nempè ad τὸ ὅτι : Reliqua omnia separata esse.

XXI.

Atq; ecce tibi auctores hujus sententiæ : Themistius in Paraphrasi 2. Post : μὴ θορυβείτω δ' ἡμᾶς, εἰ ἑτέρωθι ἐν τοῖς τοπικοῖς τῶν προβλημάτων τὴν διαίρεσιν πεποιήμεθα : μόνον γὰρ ἐκεῖ τῶν διαλεκτικῶν προβλημάτων ἐρρήθησαν αἱ διαφοραί, ἅπαντα δὲ ταῦτα ἐν τοπικοῖς ἐστιν ἐν συνθέσει.

XXII.

Magis perspicuè Eustratius: Καλῶς δὲ ἐνταῦθα τῇ τῶν ζητημάτων διαιρέσει ἐπέσχον ὁ Θεμίστιος καὶ τὴν διαφορὰν οὐδαμοῦ τὰ προβλήματα διαιροῦντες ἀπὸ τῶν προκειμένων διδασκαλίας, καὶ τὰ ἐν τοῖς τοπικοῖς: ἐκεῖ μὲν γὰρ περὶ τῶν διαλεκτικῶν μόνων προβλημάτων ἐποιοῦντο τὴν διδαχήν: ὧν οὐδὲν ἁπλοῦν, ἀλλ' ἐν συνθέσει ἅπαντα.

XXIII.

Problemata autem Dialectica omnia esse composita, nullum simplex, uterq; & Themistius & Eustratius probant: quia dicat Arist. Problema & propositiones Dialecticas μόνῳ τῷ τόπῳ differre. Omnis propositio, inquiunt, est in συνθέσει, nulla simplex. Omne Problema, mutato solum modo, potest fieri propositio: Oportet igitur ipsum quoq; problema sit ἐν συνθέσει καὶ μὴ ἁπλοῦν.

XXIV.

Iam de Reductione ad ὅτι perspicuè idem Eustratius, nisi quod addit & εἰ ἐστὶ, omissum à Zabarellâ, in hujus sententiæ expositione: Verba Eustratij sunt: Ἅπαν πρόβλημα διαλεκτικὸν προβλημα: ἢ εἰ ὑπάρχει, ζητεῖ αὐτό τι καθ' αὑτό: ὡς ὅτι ἢ εἰ ἐστὶ θεὸς, εἰ ἐστὶ κενὸν: ἢ εἰ ἐν ἑτέρῳ ὑπάρχει, καὶ ἔστι διττὸν ἐστί: ἢ εἰ ἁπλῶς, ὥσπερ ὅτι τὸ συμβεβηκὸς (*quæ verba nota mihi, ad Thesin 15. hujus disputationis nimirè facientia*) ἢ πῶς, οἷον ἢ ὡς γένος, ἢ ὡς ἴδιον, ἢ ὡς ὅρος: τὸ μὲν οὖν πρῶτον ὑπὸ τὸ εἰ ἐστὶν ἁπλῶς: τὰ δὲ μετ' ἐκεῖνο πάντα ὑπὸ τὸ ὅτι ἐστὶ ἀνάγει).

XXV.

Verum nec huic sententiæ tuto quis insistat. Primum enim, quare reducunt Quæstiones Dialecticas ad unam alteramve Analyticam, si diversas ab Analyticis esse volunt? Hoc enim est docere cum quibusdam Quæstionib. Analyticis easdem esse, non differre.

XXVI.

Deinde nunquam mihi persuaserint istam suam ἀναγωγὴν: sive reductionem. Solum enim Accidentis Problema ad τὸ ὅτι ἐστὶ reduci posse ajo, reliqua non item.

XXVII.

Doceo ex ipso Arist. 8 Top. c 3. ubi ita inquit: Ὑπάρχειν δὲ καὶ θέσιν καὶ ὁρισμὸν αὐτὸν ἀνάγκη διορίσασθαι ἐξ ὧν γὰρ ἀναιροῦσιν οἱ πυνθανόμενοι, δῆλον ὅτι τούτοις ἐναντίωσόν.

XXVIII.

Quo loco dispescit Problemata Dialectica in duo genera, in θέσιν & ὁρισμὸν. Per θέσιν, intelligit Problema Accidentis, per ὁρισμὸν reliqua tria genera Problematum. Ὁρισμὸς *autem ad quod quæsitū Analyticum pertineat quis dubitet?*

An igi-

gitized by Google

XXIX.

An igitur supereſt alia ſententia: ſupereſt ſane & quidem Arabum, quorum Princeps Averroes. Dicunt illi: Rectè quidem priores ſentire, quod Dialectica Problemata diverſa ſint à Quæſtiis Analyticis, diſcrimen autem verum non adferre.

XXX.

Id verò eſſe: Quod Problemata Dialectica non ſint eorum aut de ijs quæ ſunt extra animum (verba hæc ſunt Averroïs in Com: ad 2 Poſteriorum) ſed de ijs quæ ſint intra animum. Analytica autem quæſita inſtituantur de ijs, quæ ſunt extra animum, non de ijs quæ ſunt intra.

XXXI.

Quæ verba, quia nubem habent, Zabarella ita illuſtrare nititur: Analytica, inquit, quæſita inſtituuntur de rebus, ut ſunt & conſiſtuntunt extra animum, adeoq; ſunt realia. Dialectica autem Problemata inſtituuntur de notionibus animi ſecundis, non de rebus ipſis, ſed ut eas intellectus concipit.

XXXII.

Deducit hoc ex Themiſtio, qui eleganter Analytici & Dialectici contrarium vidit, notavitq; proceſſum.

XXXIII.

Analyticus, inquit, inveſtigat primas notiones, à ſecundis incipiens, tanquam ab eis admonitus, quæritq; an notioni ſecundæ mente comprahenſæ, in rerum naturâ, aliquid foris reſpondeat.

XXXIV.

Contra Dialecticus à primis incipiens, ad ſecundas notiones totum ſe convertit. Poſtquam enim primæ notiones ab alijs adlatæ ſunt, examinat an ſecundæ notiones illis tribui poſſint, uſus eò Dialecticis ſuis locis v. g. An animal, qnod homini tribuitur, poſſit genus hominis dici? An riſibile Hominis proprium?

XXXV.

Sic Zabarella difficultatem omnem ſublatam putat, & adſentientem ſibi habet Virum Magnum, quemq; ego, jure meritoq; ſuo veneror, in Philoſophiâ, Franciſcum Bonamicum: cujus verba ſunt lib 3. de Motu. c. 22. Ita enim Dialectica quæſtio diſtinguitur à Demonſtrativâ: cum Dialectica ſit de his, quæ mens noſtra reb. attribuit: veluti ſunt accidere cuipiam, eſſe genus & definitionem illius, & denig; de ſecundis, ut ajunt, intentionib. Quæſtio verò Demonſtrativa de rebus, ut ſunt extra animum.

XXXVI.

Ignoſcant autem mihi manes doctorum ſummorum virorum, non poſſum hic quoq; acquieſcere. Cui rei dabo, niſi piget audire, rationes.

XXXVII.

Quæsita Dialecticæ omnia esse de secundis notionibus nondum capere possum: Neq; enim quærunt, Quod sit genus, quod proprium, quod definitio, sed an res, aut verbum, aut oratio cōstans ex vocabulis primi instituti, quæ pro genere, pro proprio, pro definitione allata sunt, sit genus, sit proprium, sit definitio.

XXXVIII.

Dem deinde Problemata Generis, Proprij, definitionis esse intentionalia: De Accidente pernego: Quod problema jam ante audivimus esse περὶ ἀπλῆς ὑπάρξεως de simplici rei inexistentia, non de τρόπῳ aliquo intentionali.

XXXIX.

Quo pertinet quod Aristoteles noster Exempla Problematum Dialecticorum hæc facit: An mundus sit æternus? An Voluptas sit bona? Quæ certè problemata aut non sunt intentionalia, aut ego nihil prorsus video in Logicis

XL.

Verum quid moror? Averroem liceat ex se ipso refutare. Cujus verba ecce tibi in 1. Topicum comment. ad definitionem Accidentis: Vnumquodq; Problematum illorum, scilicet Definitio Genus & proprium largiuntur de subjecto notionis crementum. Accidentis autem non est ullum crementum notionis, quod verò de eo quæritur, est quod insit, & ideo subintrat numerum quæsitorum essendi. Constituit idem in Paraphrasi lib. 1. de Cœlo tria propositionum genera: Essentiales, Logicas & Dialecticas.

XLI.

Essentiales vocat proprias & cuiq; Methodo suas, quales Apodicticas esse, nemo, credo, in dubium vocaverit.

XLII.

Dialecticas & Logicas communes ait esse, hoc tamen discrimine, quod Logicæ omnes sint veræ omnino: Dialecticæ magnam partem veræ, non tamen semper, aut saltim non per se veræ.

XLIII.

Hic tu mihi dic quæ Logicæ illæ sint? quæ Dialecticæ? Tergiversaberis credo, & forte Axiomata primaq; principia, pro Logicis obtrudes, quæ & veræ omnino sunt & communia tamen.

XLIV.

Cave autem ne fumum devitans ignem incurras, nec priva Analyticum bonis suis, quæ sibi adserit toto 1. posteriorum libro & quomodo sibi applicet in demonstrationibus monet.

Deinde

Digitized by Google

XLV.

Deinde hoc perpende quid Logicen appellet ubiq; Averroes ? Logica videlicet apud eum eſt de ſecundis notionibus applicatis primis : hoc eſt libri Topici de Genere, Proprio, Definitione.

XLVI.

Quæ Problemata quando tractantur, tractantur per propoſitiones omninò veras, hoc eſt deductas ex proprijs affectionibus vocabulorum ſecundi inſtituti : Neq; Diſputatio de talibus haberi poteſt, niſi inter eos, qui guſtum habent naturæ vocabulorum ſecundi inſtituti.

XLVII.

Sicut enim ignarus Grammaticarum regularum non diſputat, an ſolox ſit ſubſtantivum an adjectivum : Aqualiculus generis maſculini an fœminini : Ita qui ignorat naturam generis, proprij, definitionis, in hanc arenam deſcendere nunquam poterit.

XLVIII.

Dialecticæ verò Propoſitiones ſunt, quarum loci & firmamenta traduntur lib. 2. & 3. ex quibus diſputare quivis poteſt etiam ê mediâ tonſtrinâ prodiens : Quia ibi non de vocabulis artis aut ſecundi inſtituti diſceptatur, ſed quæritur vel ſimplex vel comparatum ineſſe.

XLIX.

Nec latuit hæc res Ariſtotelem, cujus verba ſunt : initio 4. Top. πρὸς τὰ γένους καὶ τῶν ἰδίων καὶ τῶν ὁρισμῶν ὀλιγάκις αἱ σκέψεις γίνονται τοῖς λεγομένοις.

L.

Ad quæ verba ita Alexander : Τὰ γὰρ πλεῖστα τῶν διαλεκτικῶν προβλημάτων τοιαῦτα : οἷον εἰ αἱρετὸν τὸ γαμεῖν, ἢ τὸ πολιτεύεσθαι : ἢ ἀγαθὸν ὁ πλοῦτος, ἢ ἡ ὑγίεια ; ταῦτα πρὸς τῶν γενῶν τε καὶ τῶν ἰδίων, καὶ τῶν ὁρισμῶν προβλήματα, ἀκριβεστέρας ἢ κατὰ διαλεκτικὴν μεθόδου χρήζει καὶ ὑπομνηματέρας.

LI.

Quibus verbis prorſus ut Averroes, Methodum de Genere Proprio & Definitione ſejungit, â Methodo Dialecticâ propriè ſic dicta.

LII.

Minimè igitur Intentionalia omnia ſunt Problemata : ſed vel Accidentia Problema ſolum repugnat Arabum interpretationi.

LIII.

Quo facit & alius locus Alexandri, qui item initio 4. Topici viſitur : ſepa-

 rat ibi

rat ibi Quæſtiones Analyticas à Dialecticis, non vero omnes quatuor, ſed ſolum duas, τὸ διόλη καὶ τὸ λὶ ἐϛὶ. verba ſunt: το Δλ λὶ ἐϛὶ λ, ζήτημα μὲν ἐϛὶν, οὐ μὴν Δλλεκλικὸν: ἀπϛημονικωλέρα γὰρ ἡ ζήτησις τῆς αἰτίας. Ὁμοίϖ δ ἤδει τὸ ζητεῖν, τὶ ἐϛὶ Δλλεκλικὸν.

LIV.

Rationem ſubjungit, cur hæ duæ quæſtiones non ſint Dialecticæ his verbis: Ἐρώτησις ἡ Δλλεκλικὴ ἀνλιφάσεως ἐρώτησις ἐϛὶν: τὸ δ τὶ ἐϛὶν ἡ Δλ λὶ ἐϛὶν ὅτι ἀνλίφασις, ὅτι ὥλως ἀσυφαλικὸς λόγ.

LV.

Hoc eſt: Quæſtio quid & Quæſtio propter quid non ſunt Problemata Dialectica, quia non ſunt propoſitiones: Dialectica autem Problemata & Propoſitiones numero ſunt æquales. Quòd ergò non eſt propoſitio, non poteſt fieri & proinde nec dici Problema Dialecticum.

LVI.

Hinc colligo, quia duo ſaltem Quæſita Analytica ſemoventur à Dialecticis Problematibus, reliqua duo cum ijsdem convenire τὸ εἰ ἐϛὶ & τὸ ὅτι ἐϛὶ. Quod ſuadet mihi credere etiam illud quia toties lego apud Ariſtotelem duplicem res examinandi modum: ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, πρὸς ἀλήθειαν καὶ ἀναλυλικῶς σκοπεῖν & rurſus, λογικῶς, Δλεκλικῶς κ δόξαν exquirere. Vnde idem Problema & Dialectici & Analytici quandoq; ſit oportet.

LVII.

Quid ſtatuendum igitur tandem, poſtquam nihil dum vidimus, in quo conſiſtere liceat? Dicam Iuriconſultorum verbo, & ſimplici confeſſione utar: Mihi non liquere. Vnum tamen, quod notatum jam diu incidit, id afferam: Videri mihi in Analyticis afferri formulas quærendi de rebus: in Dialecticis materiam illarum formalarum.

LVIII.

Quam ſententiam mihi ſuaſerunt illa verba Ariſtotelis 1. Top. cap. 3. μηδεὶς ϔ ἡμᾶς ὑπολάβῃ λέγειν ὡς ἕκαϛον τούτων καθ' αὐτὸ λεγόμενον πρόϐλημά ϵ ἐϛὶν: Ἀλλ' ὅτι ἀπὸ τούτων καὶ τὰ προϐλήματα καὶ αἱ πραγμάτειαι γίνονται.

LIX.

Vbi manifeſtè materiam Problematum quatuor iſta facit: Genus, Proprium, Definitionem, Accidens. Quare & ibi Problemata appellat. In Analyticis autem vocat non Problemata ſed Quæſita: quia formulas ſolum tradit interrogandi de rebus.

LX.

Neq; tamen hic quoq; ſoldatur animus: Prodeant igitur viri docti & ex do-

ex doctrinæ ſuæ profundo ſolidius quid promant, me certè & docilem & gratum habebunt diſcipulum.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

VErba ſunt Ariſt. 1. Phyſ. c. 8. t. 75. ἡμεῖς δὴ καὶ αὐτοὶ φάμεν γίνεσθαι μὲν ἁπλῶς ἐκ μὴ ὄντος, ὅμως μέντοι γίνεσθαι ἐκ μὴ ὄντος οἷον κατὰ συμβεβηκός. ἐκ γὰρ τῆς στέρησης, ὃ ἐστὶ καθ' αὑτὸ μὴ ὄν, τοῦτ' ἐνυπάρχοντος γίγνεταί τι. Hinc naſcitur quæſtio: An quod per ſe eſt, non ens per accidens, ſit ens aliquod? Ariſt. hoc loco affirmare videtur. Nobis non videntur cauſæ deeſſe, cur ab hac ſententia recedamus.

II.

Idem 2. de Cœlo cap. 6. t. 38. Negat motum intendi aut remitti perpetuò, rationem addit hanc: Ἄπειρος γὰρ ἂν εἴη καὶ ἄῤῥυθμος ἡ κίνησις, ἅπασαν δὲ φάμεν ἐκ τινὸς εἰς τι εἶναι καὶ ἐῤῥυθμίσθαι: Quæ ratio pugnare videtur cum decreto Ariſtotelis de æternitate motus cœleſtis.

III.

Mirum eſt cur Ariſtoteles 3. Phyſ. cap. 5. t. 40. Argumentum à definitione corporis ſumtum vocet Logicum.

IV.

Non rectè Socrates apud Platonem in Philebo, ex cupiditatum magnitudine voluptates æſtimat, quamquam magis ibi jocari credo eum, quam ſeriò diſputare.

V.

Philoſophia hominis naturam & perfectionem procurat & inſtaurat.

VI.

Officium à fine differt.

DISPUTATIO XXVI.

MICHAELIS PICCARTI

DECADIS

QVÆSTIONVM LOGICARUM.

Respondit

Michael Ursinus, Norimb.

Mens. Jan. cIↃ IↃ cXI.

QUÆSTIO I.

Utrum Logica Arist. rectè dividatur in Dialecticam sive Topicam & Analyticam sive Didascalicam?

IN omni verâ divisione δεῖ πρῶτον τὸ τ Φωνῆς σημαινόμενον ἐξετάζειν εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν: *quod nisi fiat, oritur ambiguitas, omnis erroris & obscuritatis mater. Quare antequam ipsam aggrediamur divisionem, paucula de vocabulo Logices moneamus oportet. Etsi verò libenter fatemur Aristotelem vocabulum Logices specialius ac pro certâ doctrinæ Organicæ parte usurpasse: attamen cum hodiè in scholis usus ita obtinuerit, ut Logica dicatur omne id, quod ab Aristotele in Organo philosophiæ traditum est, nobis quoq; concedi petimus, ut idem vocabulum in generaliori significatione sumamus. Et hoc de vocabulo Logices, nunc ad ipsam divisionem accedamus. Dividitur autem Logica à varijs variè, à paucis verè. Nos ei divisioni, quâ dividitur in Topicam & Analyticam suffragamur hic potissimum suffulti rationibus. 1. Divisio tum rectè facta dicitur, quando partes seu membra totum divisum adimplent. At hæ partes totam Logices essentiam ita exhauriunt, ut nihil sit in eâ quod non ad alterutram harum partium commodè referri possit. 2. In omni divisione partes debent esse ἀντιδιημμένα ac longissimè à se invicem disjunctæ: At hæ partes vel maximè dissentiunt, & nunquam inter se confunduntur: diversissima enim habent objecta, diversissimos fines. Id quod naturam Logicæ paulo penitius considerantibus tam est manifestum, ut longâ ἀποδείξει non indigeat.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Logica ſit pars Philoſophiæ?

Et hujus quæſtionis conſideratio diverſos in diverſas trahit opiniones; alij enim pro parte ejus affirmante, alij pro ejusdem negante ſtrenuè dimicant. Nos ad negantium partes noſtras auxiliares ducimus copias, Sic inferentes : Omnis philoſophiæ pars agit de re aliqua ſubſtantiali, At Logica de nulla tali agit. Ergo: Majoris veritas cum per ſe ſit manifeſta, ulteriori explicatione non indiget. Aſſumptum inde patet, quia res & modus rei realiter differunt, quin imò juxta Ariſtotelis pronunciatum 2. Metaph. cap. 3. Ἄτοπον ἐστὶ ἅμα ζητεῖν τὸν ὄπτην μὲν καὶ τέχνην ὄπτην. *Deinde ad rejiciendam adverſæ partis opinionem magnum adferunt adjumentum appellationes, quæ huic Organo tum ab Ariſtotel. tum ab interpretibus tribuuntur. Modo enim* χεὶρ Φιλοσοφίας, *modo anſa Philoſophiæ, modo* παιδεία, *modo* παρασκευὴ *ad philoſophiam, modò* τρόπος ὄπτης *appellatur. Denique pro nobis pugnare videtur philoſophorum Coryphæus Ariſtot. qui 1. Top. cap. 2. Dialecticam facultatem ad tria potiſſimum utilem eſſe docet, nimirum* πρὸς γυμνασίαν, πρὸς τὰς ἐντεύξεις, πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας.

QUÆSTIO III.

Utrum opus Topicum Analytico ſit præmittendum?

Non minus acriter diſputatur de ordine librorum Topicorum & Analyticorum, utrum hi illis præponendi aut poſtponendi ſint? Prius tota ferè Peripateticorum turba affirmat: poſterius, ut amplectamur, hæ nos moverunt rationes. 1. Vniverſale in Metaph. effatum eſt Ariſtotelis, Inde incipiendum eſſe in doctrinis, unde quis facilius diſcat : Atqui in Topicis talia traduntur, quæ captum humani ingenij non multum ſuperant, econtra verò in Analyticis magna eſt difficultas & ἀκρίβεια. *Meritò igitur Topica præmittuntur Analyticis. 2. Omnis* διδασκαλὴ *antecedit id, cujus eſt* διδασκαλὴ. *Atqui Topica eſt* διδασκαλὴ *Analytica. Ergo. 3. Mens noſtra per ſe rudis & tenera ita eſt comparata, ut ad clariſſimam veritatis lucem pervenire non poſſit, niſi prius vulgaribus ac communibus diſputationis vinculis exerceatur, ac ita paulatim per veriſimilia ad intima veritatis penetralia deducatur.*

QUÆSTIO IV.

An Categoriarum doctrina in Logicis ferenda?

Qui Categorias ex agro Logico expellere conantur, nimis rigidi & iniqui

judicez mihi videntur. Cum enim isti nullam prorsus Metaphysicam (cujus alij paulo æquiores Categoriarum doctrinam propriam faciunt) agnoscant, quis quæso miseris Categorijs relinquetur locus ? Nos, cum sanioribus Philosophis sentientes, Categoriarum doctrinam non solum utilem; verum etiam necessariam Logico judicamus, his potissimum adducti causis & rationibus. 1. Nemini obscurum est, omnia præcepta Logicæ potissimum referri ad Syllogismum & demonstrationem, Categoriæ autem non solum utiles, verum etiam necessariæ sunt ad Syllogismum & demonstrationem, quod ex eo patet, quia inserviunt doctrinæ propositionum & monstrant, quæ prædicata quibus subjectis recte attribuantur: propositionum autem doctrina aditum nobis ad Syllogismi & consequenter ad demonstrationis tractatum præparat. 2. Necessitas Categoriarum elucet ex doctrina definitionum, beneficio enim prædicamentorum omnis vera extruitur definitio, & sine his nemo feliciter in tradendis definitionibus progredi potest. 3. Idem probatur autoritate & πεάξει ipsius Aristot. qui passim in suis libris, quando de ardua & difficili quæstione acturus est, de ejus Categoria fuit solicitus.

QUÆSTIO V.

An Elenchi Sophistici cum Top. libris inviolabili societate sint connectendi?

Veritas hujus problematis manifestissimè ex Aristot. demonstrari potest, & ut alijs, quæ alias adferri solent, supersedeamus, tribus potissimum argumentis hujus problematis sententiam tueri conabimur. 1. Aristoteles in Rhetoricis docet, ejusdem facultatis esse videre quid sit ἀληθῶς ἔνδοξον, & quid sit Φαινόμενον ἐνδοξον. Dialectici autem est considerare, quomodo tractetur ἀληθῶς ἔνδοξον. Ergo ejusdem quoque erit considerare Φαινόμενον ἔνδοξον, quo utuntur Sophistæ. 2. Aristotelem doctrinam Sophisticam minimè à Topica segregasse apparet ex 2. prior. c. 12. ubi meminit sophismatis περὶ τὸ πρόσληψιν, ait: se de illa plura dixisse in Topicis, at in 8. lib. nihil de eo, sed in Sophisticis. Appellavit ergo hos Sophisticos Elenchos Topicos libros, ut doceret istos cum his perpetuo nexu colligatos & constrictos esse. Deniq; tertio integritas & nexus operum Arist. ex principio & respondente fine æstimari debet, principio autem 1. Top. non respondet finis 8. sed caput penult. 2. Elench. In eo enim omnia concludit, quæ 1. Top. tractanda proposuerat.

QUÆSTIO VI.

Quare Aristoteles figuram illam Syllogismorum, in qua medius terminus est subjectum majoris, prædicatum minoris, primam constituerit?

Cum doctrina Syllogismorum maximè sit πχνολογική, magna danda est opera,

Digitized by Google

operæ, ne quid ἀλόγως in ea vel ſtatuatur, vel recipiatur. Non deſunt autem qui Ariſtotelem ἀλογίας accuſare audent, quod in ordine trium figurarum ei figuræ, in qua medium ſubjicitur in majore & prædicatur in minore primum aſſignaverit locum. Sed ab hoc ἀλογίας crimine præclarè ſeipſum purgat philoſophus l. 1. prior. Analyt. cap. 4. ubi ſic ſcribit: πάντες δὲ διὰ τελοῦσι τῷ ἐξ ἀρχῆς λαμβάνειν, Et ſubſeq. καὶ ὅλα πάντα τὰ προβλήματα δείκνυται διὰ τῶν πρώτων σχημάτων. In his verbis duplici argumento prioritas 1 figuræ demonſtratur, 1 ſic habet: Cujus figuræ Syllogiſmi omnium ſunt perfectiſſimi, ea figura meritò primum occupat locum: Atqui ejus figuræ, in qua medium eſt ſubjectum majoris & prædicatum minoris, Syllogiſmi omnium ſunt perfectiſſimi. Ergo. Major hujus Syllogiſmi patet ex eo, quod Syllogiſmi 1 figuræ actu habent Fundamenta ſyllogiſtica, Dici de omni & Dici de nullo, adeoq; planam, perſpicuam & manifeſtam habent diſpoſitionem & conſequentiã, ita ut a quovis facillimè poſſint intelligi. Alterum Ariſtotelis argumentum, quo primatum hujus figuræ demonſtrat, hoc eſt: In quacunq; figura omnis generis concluſiones tam affirmantes quam negantes, tam univerſales quam particulares poſſunt concludi, ea primum inter figuras meretur locum. Atqui hæc figura, de qua loquimur, eſt talis. Ergo.

QUÆSTIO VII.

An ex veris ſemper ſequatur verum?

Ariſtoteles 2. lib. prior. Analyt. recenſens δυνάμεις ſeu potentias ſyllogiſmorum ſecundo loco hanc ponit: quod ex falſis aliquando ſequatur verum, ex veris autem tantum verum, nunquam falſum. Ex veris autem non niſi verum ſequi patet ex dicto de omni & nullo, quod docet, ſi majus extremum de medio tanquam de toto affirmetur vel negetur, tunc idem etiam de minori tanquam de parte affirmandum vel negandum eſſe. Quod ſi igitur in præmiſſis majus extremum dicatur de medio tanquam de toto neceſſe eſt idem quoq; in concluſione de minori extremo tanquam de parte dici. Ariſtoteles hoc tali abſurdo oſtendit: poſita hac argumentatione, α eſt. Ergo β eſt: certè cum τὸ β non eſt, neceſſe eſt τὸ α non eſſe. Si igitur verum eſt τὸ α, neceſſe eſt etiam τὸ β verum eſſe: aliàqui accidet, ut idem ſimul ſit & non ſit, quod eſt impoſſibile.

QUÆSTIO VIII.

An detur demonſtratio?

Neminem vel mediocriter ſaltem in philoſophorum ſcriptis verſatum latere poteſt, commune illud tam Græcorum quam Latinorum philoſophorum decre-

sam, quo ſanciverunt, ſummam hominis perfectionem eſſe ſcientiam, unde etiam rudes & imperitos ὁμωνύμως homines appellarunt. Quod ſi igitur ſcire eſt perfectio animi humani: ad ſcientiam autem non niſi demonſtrationis beneficio pervenire poſſumus, quis non reprehenſione dignos cenſeat eos, qui utiliſſimam demonſtrationis doctrinam funditus evertere ac negare conantur. Verum nos, in recenſendis & refutandis ipſorum argumentis non immorantes, & dignitatem & utilitatem doctrinæ demonſtrativæ confirmabimus, hac ratione: Si dantur propoſitiones ſummè neceſſariæ, dabitur quoque demonſtratio. Sed verum prius. Ergo & poſterius. Connexum patet, quia nullus Syllogiſmus, neq; Dialecticus, neq; Sophiſticus ex ejusmodi propoſitionibus conficitur; relinquitur ergo, ut hæ propoſitiones demonſtrativo attribuantur Syllogiſmo. Poteſt quidem hujus problematis veritas variis & multis exemplis oſtendi & illuſtrari, ſed id hoc loco non agimus.

QUÆSTIO IX.

An quæſita & ſcita numero ſint æqualia?

Ariſtoteles 2. poſt. acturus de uſu demonſtrationis, qui in eo conſiſtit, ut ſatisfaciat quæſtionibus apodictis, ante omnia in quæſtionum numerum inquirit, ac 1. ſtatim cap. ſic concludit: τὰ ζητούμενά ἐστιν ἴσα τῷ ἀριθμῷ ὅσαπερ ἐπίσταμεθα. Quæ verba cum ita nudè à Philoſopho ſint propoſita, variæ variorum de eorundem ſenſu ſunt ſententiæ. Ac primum quidem nonnulli ita urgent, quod multa ſint ac penè infinita, quæ interrogari poſſunt, quorum tamen ſcientia comparari nequit, ut ſunt impoſſibilia, fortuita & accidentia. Verum his reſpondendum eſt, quando quæſitorum & ſcitorum æqualitatem ſtatuit, non ſtultos, non eum dementes; ſed viros ſapientes normam quærendi facere, apud quos quæſtiones de ejusmodi rebus nullum habent locum. Notandum & hoc ex Alberto, Ariſtotelem de modo quærendi & ſciendi loqui. Inſtrumenta enim Logica non ſemper ipſis rebus diſtinguntur, ſed modo agendi de rebus. Iidem, verbi gratia, ſunt termini definitionis & demonſtrationis, ſi rem ſpectes, differunt tamen modo interrogandi. Ad quæſtionem enim quid eſt, reſpondetur per definitionem. Ad quæſtionem propter quid, reſpondetur per demonſtrationem. Multa porrò etiam ſciuntur, quæ interrogari tamen non ſolent, Axiomata. v. g. ſciuntur, quæ tamen non interrogantur. Reſponderi poteſt, Ariſtotelem loqui hic de propriè dicta ſcientia. Axiomata autem, ſicut omnia principia non ſcientiâ percipiuntur, ſed alio habitu, qui dicitur Habitus principiorum, de quo extremo poſt. Sed erit qui fortaſſe rationem petat hujus effati ab Ariſt. nec negabit. Vna eſt 1. Top. cap. 3. ubi ita Philoſophus: Quia ex omni problemate fieri poteſt propoſitio, & ex omni propoſitione problema, jure æqualia ſint numero Problema &

ma & propositio. Verba hem tibi philosophi ὥστε εἰκότως ἴσα τῷ ἀριθμῷ τὰ προβλήματα καὶ αἱ προτάσεις εἰσί. Ἀπὸ πάσης γὰρ προτάσεως πρόβλημα ποιήσεις μεταβάλλων τὸν τρόπον. *Altera est 2. post. ubi inquit : Scire tum verè dicimur cum quæstio cessat, Ex natura igitur τῶν πρὸς τι quæsita & scita sibi respondere debent.*

QUÆSTIO X.

Quomodo differant tria definitionum genera ab Aristotele in 1. & 2. Analyt. tradita ?

Aristoteles postquam in lib. 1. post. Anal: multis comprobavit, demonstrationem non esse rerum corruptibilium sed æternarum: tandem cap. 7. ejusdem libri de definitione consequenter colligit, enumerans tria definitionum genera: Verba hæc sunt : ὁμοίως δ' ἔχει καὶ περὶ ὁρισμοὺς ἐπείπερ ἐστὶν ὁ ὁρισμὸς ἢ ἀρχὴ ἀποδείξεως, ἢ ἀπόδειξις ἦσαν ἄμφω ἂν, ἢ συμπέρασμά τι ἀποδείξεως. *Huic loco respondet alius in 2. post. cap. 10. ubi Philosop. sic loquitur :* ἔστιν οὖν ὁρισμὸς εἷς μὲν λόγος ὁ τί ἐστιν ἀναπόδεικτος εἷς δὲ συλλογισμὸς ὁ τί ἐστι, πῶσι δὲ ἄμφοιν τὸ ἀποδείξεως τρίτος ἢ τὸ τί ἐστιν ἀποδείξεως συμπέρασμα. *Ex his duobus locis liquido apparet, Arist. tres definitionum species constituere, de quarum, differentia, cum non omnium sit una sententia operæpretium erit paulo penitius in eam inquirere. Philoponus Aristot. interpres hæc tria genera ita distinguit, quod videlicet definitio ea, quæ dicitur principium demonstrationis sit definitio formalis : quæ v. dicitur causa conclusionis demonstrationis, sit materialis, denig; definitio quæ διὰ à demonstratione differt, sit ex utraq; materia sc: & forma simul composita. Verum cum hæc Philoponi sententia non omnibus satisfaciat, alia nobis erit constituenda differentia. Dicimus igitur primum genus definitionis, quod in 2. post. cap. 10. dicitur,* λόγος τοῦ τί ἐστιν ἀναπόδεικτος *(quam definitionem eandem esse cum ea quæ in 1. post. c. 7. principium demonstrationis appellatur, statuimus) esse substantiarum non affectionum, atq; hoc respectu definitionem 1. post. inter principia collocari. Secundum genus definitionum, quod 7. c. 1. post. & 10. c. 2. post. dicitur conclusio demonstrationis, est nobis definitio* τοῦ πάθους *essentialis constans genere & differentia. Tertium genus definitionis, quæ dicitur Syllogismus* τοῦ τί ἐστι *casu seu positione terminorum differens à demonstratione, est definitio causalis* τοῦ πάθους, *quæ definitio semper est particula subjecti definitionis in demonstratione potissima.*

DISPUTATIO XXVII.

MICHAELIS PICCARTI

QVÆSTIONES LOGICÆ MISCELLANEÆ.

Autore & Respondente

Johanne Sauberto Altorph. Noric.

Mens. April. d. 29. cIↃ IↃ c XI.

PRIMA.

Quid de divisione Artium illâ sentiendum, quâ dispescuntur in theoreticas & practicas?

NVLLA est. Quaso enim quid ibi θεωρεῖν? Quænam sodes artium in cognitione solùm consistit? Medica ars v. g. quomodò potest esse theoretica, cum utile saltem quærat, atq; iccircò nullam præceptorum rationem habeat, utrum vera sint, an falsa; modò sint utilia? Neque enim refert, sive ex principijs Galeni, sive Aristotelis disputes de pulsibus, modò judicium ferre ex ipsorum tactu possis de illis, quæ intra corpus sunt, & prædicere, quid sit futurum. Mirum etiam, quomodo hîc τὸ πρᾶττειν locum habere queat, cùm πρακτικαὶ sint artes. Praxis autem dicitur, ex quâ denominamur boni & mali.

II.

Utrum Ars in causis Naturalibus numeranda, an verò in ijs, quæ agunt ἐκ προαιρέσεως?

Naturam & artem inter se differre, satis evidenter docuit Philosophus. Agite ergo, qui nobis litem hanc movetis: Artem non consultare dicitis de modo agendi, quippe qui sit uniusmodi: ipsam proinde ἐκ προαιρέσεως agere negatis: Tertium quiddam nobis fingitis, ad quod Ars referri possit. Itáne verò? Etiamsi de modo πήσεως fortè non consultent artes, de qualitate tamen & forma consultare possunt, quæ in materiam est introducenda. Quin audite Aristote-

ſtotelem lib. 3. Nicom. cap. 3. Quæ, inquit, à nobis effici poſſunt, non autem ſemper eodem modo, ea demum cadunt in deliberationem, ut medicina, numularior, & gubernatoris artes. Neque obſtat, quod aliud ſit ars, aliud artifex. Idem enim hîc eſt dicere: Medicus eſt cauſa ſanitatis & Medica ars eſt cauſa ſanitatis. Artis eſt, inquit Ariſtoteles 1. Top. cap. 2. invenire, quod appoſitum eſt ad perſuadendum. Idem officium 1. Rhet. Artifici adſignat. Quod ſi objiciatis, voluntariè agens agere inconſtanter: Artem verò eſſe habitum conſtantem: dico nihilominus ſub conſtantiâ eſſe poſſe ſpontaneum. Ecce vobis DEVM Opt. Max. qui mundum hunc regit conſtantiſſimè, & tamen liberrimâ voluntate. Neque etiam obeſt nobis, quòd perficiat Naturam Ars. ſiquidem ἕξις eſt Δραστικὴ, crebris exercitijs, ſtudio atque induſtriâ acquiſita. Et hæ ſunt cauſæ propiores, quæ prorſus nobis perſuadent, ut ex conſilio potiùs, quàm naturaliter, aut alio modo agere artem concludamus.

III.

Num artificis ſit docere ſuam Artem?

Philoſophus in Nicom definit Artem habitum efficiendi aliquid, non docendi, quomodo efficiendum. Inde negare nil vereor, Artificis officium eſſe, artem ſuam alijs tradere. Adſtipulatur doctiſſimus Monlorius, qui ita: Dialectici officium non eſt tradere rationem ex probabilibus diſſerendi, ſed diſputare ex ijs cum adverſario. Et Plato in Phædro præcepta artis Rhetoricæ negat eſſe artem, ſed antecedentia artem dicit. Ita quoque ſeſe res habet in alijs habitibus. Practicus enim Philoſophus non eſt, qui de virtute loqui poteſt, ſed qui ſecundum virtutem vivit. Accidit autem artifici, ut artem per præcepta doceat, cùm hoc nemo meliùs ipſo præſtare poſſit.

IV.

Quomodo Logica ſit Menſura?

Subtilis pariter atque jucunda quæſtio hæc eſt: cui ut ſatisfiat, quædam Præceptorum meorum ὑπομνήματα brevibus revocare lubet. Sunt, qui ita Menſuram eſſe dicunt Logicam, ut mens noſtra ab ea in cognoſcendis ſcientijs dirigatur. Vnde Logicam artem directricem rationis definire ſolent. Quod ipſum quàm abſurdum ſit, ſuo loco videbimus. Nunc illos hoc tantùm perpendere velim, ſcientias ex hac opinione effici ἀλόγους, ſi nimirum talem nobis artem Logicam dicant, quæ in ſuo actu manens moderetur rationem & dirigat eam in actu aliarum ſcientiarum. Id quod eſſe non poteſt, cum μὴ λόγους definiat ſcientias Philoſophus. Addunt etiam, Logicam vel ideò menſurare rationem in ſcientijs, quia ſit organum Philoſophiæ & ſcientiarum,

neq; ipſa

Digitized by Google

neq; ipſa Philoſophia. Caterum Organon duplex fortaſſe non animadvertunt. Dialectica enim dubitationculis animum noſtrum exercet & præparat εἰς ἑκάτερον; Analytica verò, quæ propriè Logica dicitur, eumdem παιδείᾳ generali informat; fitq; adeo ipſa ſcientia & pars Philoſophiæ, ſi rebus adplicetur. Inde videre eſt quomodo menſura intellectus ſit Logica: ut ſcilicet à rebus eſt abſtracta, & nondum adplicata. Cùm ergò omnis habitus ſit menſura intellectus, Analytica quoq; intellectum diſponit, non ad certùm aliquod objectum, quod illi volunt; ſed ad quodvis communiter. Quàm primùm verò ſcientijs accommodatur Analytica, non manet menſura menſurans, ſed fit menſuratum: non aliter atq; menſura vini. Veluti vinum non dicitur menſura vini, ſi nondum ſit menſuratum: ita ſcientiæ abſq; analyticâ non ſunt menſuratæ, neque commodè dici poſſunt ſcientiæ. Sicut ergò non licet dicere, menſurari menſurare menſuram vini: quia non alio eget amplius menſurante, ut fiat menſura vini: Ita hîc quoque: quando certæ alicui ſcientiæ accommodata eſt Logica.

V.

Utrum vocabula ſecundi inſtituti, ut vocant, ſint entia rationis?

Nil hodie facilius in ſcholis eſt, quàm hoc adſerere. Subjectum inquiunt, Logicæ ſunt notiones ſecundæ; hæ autem Entia rationis. Verumq; falſum. De poſteriori tamen hîc potiſſimum agimus. Agite ergò, num ſpecies, genus, quantitas, qualitas, Syllogiſmus &c. ita in ratione ſunt ut nihil ſint prorſus, hoc eſt, ut ne actu quidem in rebus exiſtere poſſint? Ita quippe ens rationis adcipio. Sic fortè eſt, inquis. Fictio namque mentis noſtræ quid aliud eſt, quàm ens rationis? Concedimus de fictione. Non tamen idem eſt modus rei, & rei in mente effictio. Modos igitur quosdam rerum eſſe dicimus notiones ſecundas, reipsâ non differentes ab ijs, quorum ſunt modi. Allegamus in ſententiam hanc Principem noſtrum, qui 4. Met. t. 6. genus & ſpeciem inter adfectiones Entis reales referre non veretur. In quâ auctoritate interim adquieſcimus.

VI.

An Deus ad ſubſtantiæ Categoriam referendus?

Quanquam fatendum ſit, Philoſophum ex profeſſo de ſubſtantijs immaterijs in ſubſtantiæ Categoria non egiſſe, neque de ipſo εἶναι, quod in ſe ſubſiſtit: Certum tamen mihi & conſtitutum eſt, ſcopum fuiſſe ipſi, tradere τὰ τῆς κατηγορίας χρήματα: Certius hoc, eundem ibi παχυλῶς, vel utcumque prædicandi modos docuiſſe Auditores Exotericos. Hinc ut, quid velim, uno dicam

Digitized by Google

eam verbo, DEVS, intelligentiæ, corpora ſimplicia, &c. ad Categoriam οὐσίας referri poſſunt: cùm in eâ communiter prædicare ſoleamus. Plura de his in conflictu.

VII.

Utrum univerſalis cadat in Enthymemata?

Neque levem habet ἀμφιζήτησιν quæſtio iſthæc, Sunt, qui negant ſimpliciter; Nobis, ſi quod c. penult. prior. Philoſophus monuit, perpenderimus, ſcrupulus facilè eximetur. Cùm enim enthymemata ſint ἐξ εἰκότων καὶ σημείων: iſtorum verò alia neceſſaria & univerſalia: quidni enthymemata univerſalem habere dicamus? Ratiuncula, quam ex D. Thoma hauriunt, nihil nos movet. Rhetori, inquunt, proprium eſt enthymema. Rhetor autem circa actus hominum ſingulares verſatur, in quibus propoſitiones univerſales locum, non habere videntur. Negamus. Quia enim Rhetor Politicæ eſt miniſter: Politica autem ſua quoque habet univerſalia axiomata: Rhetor certè de his talibus etiam dicet.

VIII.

Num Quid eſt Nominis ſub numero quæſtionum analyticarum comprehendatur?

Ariſtoteles poſteriore poſterior. libro τὰ ζητήματα διαλεκτικὰ propoſuit, numero quatuor: τὸ ὅτι, τὸ διότι, εἰ ἔστι, τί ἐστι. Quæritur, an ibi ſubintelligi debeat τί ἐστιν ὀνομαζόμενον: quod aſſerere non paucos ſcio. Caterum excludi quæſtionem illam vel hinc patet, quia verè ſcibiles quæſtiones tantùm, cujusmodi Quid nominis non eſt, Philoſophus ibi enumerat. Deinde Quid nominis & Quid rei maximè differunt. Illud enim ratione ab intellectu ut cunque adprehenſâ ad ſignificatum refertur, quam etiam οἱ πολλοὶ nôrunt: eſtq; tàm ἕ μὴ ὄντος, quàm ἕ ὄντος; Hoc verò ratione ſolidâ & firmâ ad rei referitur principia, quam docti potiùs agnoſcunt, eſtq; entis tantùm. Textu denique ipſo nitimur: γνόντες, inquit Philoſophus, ὅτι ἔστι, τί ἐστι ζητοῦμεν, &c. poſtquam cognovimus, quod eſt res, quid ſit quærimus: Vbi Quid nominis non ſubintelligere debes, niſi forte quæſtionem Auſu notioni & ſignificationi nominis poſtponere velis. Quare Quid nominis prægnitionem potiùs eſſe concludimus.

IX.

Utrum Diſcenti liceat Doctori contradicere?

Galenus lib. 3. adverſus Aſclepiad. c. 8. de ſuis diſcipulis ita: Ego, inquit, vidi multos medicos, qui prægnitionem noſtram ſunt admirati, quando in

 ægrotis

ægrotù eam viderunt: Sed quando petierunt, ut docerem, & ego principium posui, Naturam omnia agere ad sui conservationem: tunc dixerunt: Quomodo persuadebis hoc? Ad tales solutus sum dicere: tu quidem petiisti, ô vir, ut discipulus: audi autem, ut contradictor. De hoc ipso omni ferè tempore docentium ordinem maximè conquestum esse adcipimus, & meritò quidem interdum. Doceat enim is, cui docendi locus; discat, cui discendi, neque contradicat, donec ille ex fundamentis rem ostenderit. Neque similes sint discipuli catellis, qui utcorium: ita ipsi doctorum scripta allatrant, ut videantur aliquid sapere. δεῖ γὰρ πιστεύειν τὸ μανθάνοντα, *inquit Aristoteles 1. Elench & alibi pluries. Quid ergò; dices? Discipulum à Doctore totum hærere oportet, ut manicipium, ut stipitem? An ei cerebrum pro fungo datum, aut anima pro sale? Dissensit Philosophus manifestè, dum Platonem per 20. annos audivit; in plurimis assensum ei non præbuit.* ℞. In principijs, quæ ἀναπόδεικτα sunt, fides præceptori omninò est habenda: non item in ijs, quæ ex principijs ille deducit. *Probationes enim, quas afferet, ad Lydium lapidem (Analytica dico posteriora) revocare licebit: Adeoq; si veræ fuerint, adnuere, sin falsæ, recedere sine reprehensione poterit Discipulus.*

X.

Num ad utilitatem omnes disciplinæ revocandæ?

Non omnes. Nónne enim sicut animal constituitur τῷ αἰσθάνεσθαι: ita homo τῷ φρονεῖν? Nónne humanæ mentis perfectio est scientia? Quod si negarint illi, homines se esse negabunt simul. Deinde theoreticus intellectus in seipsum, tamquam circulus redit, cognoscens, ut cognoscat. Aliter ergò in Theoretica Philosophia res sese habet, aliter fortassis in civili & in artibus. Quamquam etiam Nobilitatem, si ad utile revocetur, verè nobilitatem esse negemus. Τέλος.

Cicero in Lucullo fol. 36.

ARISTOTELE PROFECTO NIHIL EST ACUTIUS, NIHIL POLITIUS.

DISPU-

DISPUTATIO XXVIII.

MICHAELIS PICCARTI

DE QVINQVE VNIVERSALIBUS.

Reſpondit

Andreas Paull, Brunſvicenſis,

Menſ. Maj.. cIↃ IↃ cXI.

Præfatio

GENERE ET INDOLE AD VIRTUTEM PRÆCLARO ADOLESCENTI, ANDRÆ, ANDREÆ N. ET CL. VIRI, ELECT. CONſiliarij Fil. PAULL, patricio Brunſwicenſi, civi ſuo honorando, Cunradus Rittershuſius D. S. P.

VELLEM ut vis, **Andrea Paull, Civis** dilecte & honorande, hoc eſt diſputationi tuæ, quam in publico paullò poſt habiturum intelligo, verſus aliquot condonarem, ſi, quam id gratum fore ajebas tibi, tam præſtare in promptu eſſet mihi. Veriſſimum eſt autem quod ego ad te coram, cum deſideria tua aperires, INVITUM me ad ſcribenda carmina accedere: Idq; eò magis credi mihi oportuit, quod ante annos, ſi rectè memini, novē publicè profeſs⁹ fuerim editâ elegiâ, cui à fine & uſu nomen imponebam Spongiæ. Abſtergere enim illâ cupiebam tot interpellationum moleſtias, quibus afficiebar, dum amici, quà longinqui quà propinqui, varij generis carmina ſuo quaſi jure exigebant; nam errore, neſcio quo, pro poëta me habentes, qui tamen in Parnaſſo nunquam me ſomniaſſe memini, verſus poſcebant, nunc in ſuos ſuorumve natales, nunc in ſua majorumve inſignia aut ſym-

bola, nunc in Album amicorum, quod vocant, nunc in Disputationes vel commentarios, in carmina, in orationes, in alia ingenij monumenta, nunc in honores Magisterij, Doctoratus, vel alios, nunc in adventum, nunc in discessum, nunc in thalamos, nunc in tumulos & quis omnia τῆς χρηλαίων σχοινοτενίας argumenta recensere possit?) quibus nonnihil honoris à me quoq; accedere posse persuaserant sibi: quam rectè, ipsi viderint. Reddebam tunc temporis aliquot causas, quæ in mentem veniebant, per quas impedirer, quo minus tot amicorum desideria tam varia atq; difformia implerem. Negabam (quod & res negat ipsa) me poëtam esse, tametsi verorum Poëtarum ingenia semper nō dilexerim tantum, ut de se profitetur Cicero, sed etiam suspexerim atq; coluerim, sive illi veteres sint, seu recentiores. Dicebam, Augustius quiddam & divinius esse poësin, quàm ut sic debeat prostitui, quemadmodum vulgò videmus factitari: neq; cujusvis esse ingenij, pluribus simul vacare, eademq; omnia rectè obire. Carmina vel bona esse vel mediocria, vel mala. Bona non à quovis proficisci posse: Mediocria laudē mereri nullam: (mediocribus enim esse Poëtis, ut Jurisconsultis fortasse, concessum non est, Horatio teste) Malis autem justissimam esse paratam reprehensionem. Addebam, Satis jam superq; scriptum esse carminum, ut in lucum ligna portare vel aquas in mare fundere velle videantur, qui subinde scripturiant nova, plerumq; ante suos auctores emoritura. Novis præterea hoc esse incommodi adjunctum, ut quod veteribus lectitandis rectius impendi poterat tempus intercipiant, cum omnino sit necesse, ut quantum legendis novis tribuitur, tantum decedat antiquis, quæ tamen illis tantò præstantiora sint, quantò meliora sint vetera vina novis. Quis verò ita insaniat recentiorum, ut suorum carminum æternitatem, quam prisci illi & augurati sunt & assecuti videntur, sperare sibi ve polliceri ausit? Utebar quoq; inter alia hujusmodi quodam dilemmate: Quæ ego antea scripsissem, aut digna visa fuisse aliqua laude, aut vituperio. Si laude, ideo cessandum deinceps, ne illud quicquid esset laudis ammitterem posterioribus deterioribus. Si vituperio, satis esse, antea peccavisse, & vel ideo tandem desinendum ineptire. Præterea invaluisse apud multos hanc opinionem, (quæ tamen alioqui parum me moveat, cum didicerim, Non ad opinionem vulgi, sed ad veritatem esse vivendum) Eò ut deterior quis habeatur Jurisconsultus quò melior sit Poëta. Rogabam proinde amicos, facerent mihi talium officiorum gratiam, & de me

certi

certi alioquin essent, honestis ipsorum institutis, studijs, rebus, commodis me vel absq; carmine ex animo favere & benè velle. Addebam quoq; denuntiationem & comminationem, in hanc sententiam, Pro amico me vix amplius habiturum, qui deinceps à me versus esset petiturus: atq; ut metrum sonabat,

Carmina ne posthac à me petat ullus amicus:
Qui petet, ille parum gratus amicus erit.

Me prece amicorum scribere velle nihil. Et frustra, posthac qui petet, ille petet. Memini vero qualemcunq; illam Spongiam, præter expectationem certè meam & ipsius meritum, cum applausu passim excipi à viris omni laude cumulatissimis, qui & in panegyricis conventibus celeberimis, & publicis scriptis eam laudarunt, & alibi me ignarissimo recudendam procurarunt. Liceat mihi nunc de pluribus duos honoris causa nominare, Fridericum Taubmannum, & Theodorum Adamum Siberum, illum Poetam, hunc Oratorem non vulgarem, Inclytæ Academiæ Witebergensis præclara ornamenta. Mihi quidem satis constare poterat fructus illius laboris, quem & sentire aliquamdiu videbar, dum mihi à versuum flagitatoribus parceretur. Sed eo velut immunitatis jure non diu licuit mihi gaudere vel frui. Subinde namq; exiterunt, qui, aliam licet quercum excutere jussi, ad hanc redirent tamen, hoc est non desinerent carmina, & quidem tantæ varietatis, me poscere, tempestivè, intempestivé: quibus vel gratificandi studium vel teneritudo frontis sæpenumero me coëgit ut cederem ἰκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ. Etsi enim amicorum causa nihil non velle debemus, & libenter quidem; tamen hoc officij genus plerumq; perinvitus (quid enim negem, quod res est?) obivi. Etenim quî possit aliter, qui Poëta non sit, vel certè non omnium horarum, neq; materiarum poëta sit? Itaq; res res eò redijt, ut non raro de altera quapiam & nova Spongia mihi seriò fuerit cogitandum, in quam semel incumberet, quicquid illud esset, quod in illo genere posset à me vel peti vel expectari. Omninò enim ab jis me expedire cupiebam, qui id agerent, ut donandus jam rude, antiquo iterum includere ludo. Nec verò defuturum videbatur, sed superfuturum potius, argumentum novæ illius, quam dico, Spongiæ, modò ad elaborandum non defuisset vel tempus vel ingeniũ atq; facundia. Ostendissem inter alia, Quanta sit absurditas, à non medico medicas operas, à non fabro fabrilia exigi. Versus non nisi ab illis componendos esse, à quibus fores Musarum per

furorem sive ἐνθουσιασμὸν quendam pulsantut, sine quo frustra sunt, & operam ludunt,

Democriti ceu docta sophi sententia censet.

Demonstrassem, quanta cum jactura pretiosissimi temporis & melioribus magisq; necessarijs curis ac rebus impendendi, hæc versificatio sit conjuncta. Satis esse debere, quod multas bonas horas epistolarum scribendarum quasi necessitas absumat, multum sibi temporis amicorum salutationes, multum alia vitæ communis officia vindicent. Commemorassem, quam multa interim negligantur longè utiliora studia, quæ tractari poterant, dum carminum ἐφημερίων scriptioni toto sæpè sudante cerebro incumbitur, quibus posteaquam infelices chartæ illitæ occupataeq; sunt, vix oculus adijcitur ad legendum, aut ubi lecta fortè fuerint semel, deferuntur (ut est apud Horatium) in vicum vendentem thus & odores & piper, & quicquid chartis amicitur ineptis. Quod si Salomonis ævo tale quid in usu fuisset, non dubito, quin etiam in illius mentione exclamasset, ματαιότης ματαιοτήτων καὶ πάντα ματαιότης. Docuissem etiam, non omnem ætatem omnia decere: Alia adolescentiæ, alia virili ætati, alia ingravescenti convenire studia. Nobis autem sæpè usu venire, ut sub illud ipsum tempus quo amicorum preces adhibentur, negotia valdè ἄμουσα atq; inamœna sint præ manu, inter quæ omnium elegantiarum & amœnitatum Musivarum facilè cuivis obrepat oblivio, ut ad versus faciendos tàm sit aptus, quàm ὄνος πρὸς λύρην, ut est in proberbio. Denuntiassem itaq; ad extremum denuò amicis, Missum me facere velint cum talibus precibus: Alia potius à me petant quælibet (quæ quidem præstare nostrarum sit virium) quàm carmina, aliunde rectius petenda. Me, (qui alia habeam quæ agam) non tamen fore Timonem quendam aut Bellerophontem; sed nihilominus & secundis amicorum rebus gavisurum atq; gratulaturum, & adversis (quas abominor) condolituruni, quàm si vel totam Illiadem conscriberem gratulationum & laudationum, aut condolentiarum atq; consolationum. Hæc, & hujusmodi plura, quorum non nulla domi habeo (neq; enim attinet omnia hîc expromere aut calumniæ objicere) Spongiæ illius novæ essent membra, si vacaret elaborare, aut si quando quopiam quasi poëtico impetu corriperer. Interea has partes isti commendo epistolæ, ut non apud te solum, Andrea Paull, excuset me de non scriptis in tuam Disputationem, quos petebas, versibus, immunitatem-

que

Digitized by Google

que veluti quandam impetret, ſed etiam apud alios, qūi quandoq; ſimile officium fortè à me petituri ſunt. Illud autem de me cupio tibi eſſe perſuaſum, non iſti modò, quam meditare, diſputationi me favere, ſed ingenio tuo, & univerſæ ſtudiorum rationi, quam ita rectè abs te inſtitui animadverto, ne in Iurisprudentiam illotis, quod dicitur, manibus (ut multi) irruas, ſed debitis doctrinæ præſidijs inſtructus ad eam accedas. Sæpè recordor illius, quod apud Lactantium Firmianum quondam legi in tertio Divinarum Inſtitutionum: Multis artibus opus eſſe, ut ad philoſophiam poſſit accedi: Idemq; non minus recte prædicari poſſe, ajo, de hac noſtra, quam veram, non ſimulatam Philoſophiam vocat Ulpianus. Rectè igitur atq; ordine facis, quod animum prius ſubigis atq; excolis per varias artes, inq; primis per eam, quæ à nonnullis ars artium dicta eſt & ſcientia ſcientiarum. Tantò enim felicius ſuccedet ſuperiorum tractatio, quantò præceſſerit diligentior præparatio inferiorum, ſine quibus altiora non benè nec firmiter conſiſtunt. Benè te hic accommodas ad conſilium & auctoritatem propinquorum tuorum, ex quibus eximij honoris cauſa nomino Cunradum & Carolum Paull, viros præſtantiſſimos, meos etiam veteres benevolentes, quorum apud patrem D. Cunradum p. m. auunculus meus Matthias Bergius olim non parvo in pretio habebatur. Horum jam diu in Rei-publ. arduis negotijs ſpectatiſſima eſt induſtria & fides, ut erat etiam ſuo tempore magni viri parentis tui, p. m. de cujus excellentia virtutis nec exteriorum ſcripta ſunt obſcura. Notum eſt, quid de eo ſenſerit, & ad poſteritatem prædicaverit ante hoſce tres & viginti annos V. CL. Franc. Hotomanus in Epiſtola præliminari Veteris Renovati ſui Commentarij Inſtitutionum Juris Civilis: In numero Conſiliatiorum Sax. Electoris D. Chriſtiani I. cumprimis florere virum & nobilitate & omni virtutum genere præſtantem, eumq; apud ejus Celſitudiuem gradum locumq; obtinere, quem admirabilis & perſpecta ipſius in omnibus libe. alibus artibus eruditio mereatur. Quicquam ne his addi laudibus poteſt? quæ tantò majores ſunt habendæ, quantò à laudatiore viro profectæ. Horum exempla cum tibi proponis ad imitandum, id facis, quod maximè te decet. Novimus autem, quanta exemplorum domeſticorum, quibus tua familia abundat, vis & efficacitas ſit ad excitandos juvenum animos, ut ad decus laudemq; pleno gradu contendant. Nactus es ſanè ad veterem ac veram Philoſophiam, cui jam deditus es, peritiſſimos

mos duces. In patriæ quidem noſtræ Academia Iulia habebas Clariſs. Senem & opt. Virum D. Johannem Caſelium, qui te mihi anno ſuperiore commendavit, & Corn. Martinium Antwerpianum, alioſq;. Sed nec apud nos talium penuriam eſſe, potes conqueri, ut opinor. Ingredere ô hoſpes: hic etiam ſunt Divi: ut Heracliteum illud ἀπόφθεγμα, tibi non ignotum, de collegis noſtris uſurpem. Ab his excultus ac præparatus ubi ad Jurisprudentiæ ſacraria veneris (à quibus quidem neq; nimis diu te abeſſe velim) tantò facilius tibi patebit aditus, & felicior futura eſt ſacrorum noſtrorum tractatio, τοῖς δ' ὀπιπαξαμένοισι θεὸς δίδοσιν ἄμεινον: inquit Callimachus: cujus carmen ad hanc quoq; præparationem animorum rectè accommodatur. Habes pro Epigrammate, quod petebas, Epiſtolam, ex qua ni fallor, haud paullò pleniùs & planiùs quàm ex paucis verſibus cognoſcere poteris, & quomodo erga te ſim affectus tuaq; ſtudia, & qualem erga verſus, ut ſic appellem, precarios, animum geram, qualemq; me poſthac in iſtiusmodi petitionibus amicorum præſtare conſtituerim. Κείμενα γὰρ ἤδη ἀπαξαπλῶς ὀπιπτεύσαι τὰ πάντα: neq; committâ, ut quis verè de me dicere habeat, paſſum fuiſſe obſervantem aut memorem hujus renovati decreti ſeu quis votum malit appellare. Non debes autem ægrè ferre, quòd hujusce recuſationis initium erga te fecerim. Vale Altorfij ex Muſeo, XXVII. Aprilis M. D.C. XI.

THESIS I.

DIſputaturi de quinq; prædicabilibus, priùs quoniam in eo hæc quinq; conveniunt, quòd ſint univerſalia, quid ſit univerſale, ut eſt horum commune genus, breviter dicendum eſt.

II.

Eſt autem univerſale, quod cum ſit unum quid, aptum eſt natura ſua ut ſit in pluribus: ut animal in ſingulis animalibus & homo in ſingulis hominibus.

III

Quam in exiſtentiam in pluribus ſequitur proprietas ex qua deſcribitur, Vnum quippiam natura aptum ut de pluribus prædicetur ſeu verè dicatur.

IV.

Non eſt autem neceſſe ut id quod univerſale eſt, ſit unum quippiam re ipſa in ijs de quibus prædicatur. Sed nomine & ratione ſive conceptu. Quàm multa enim reipſa ſunt ea plura, in quibus univerſale exiſtit, tam multa & illud reipſa ſit neceſſe eſt.

Nec

V.

Nec vero dictum eſt à Philoſophis, quicquid eſt univerſale, eſſe actu in pluribus: Quia & ſi actu in uno ſingulari ſit tantùm ut etiam in nullo: Si tamen aptitudinem habeat ut ſit in plurib. ſive ſimul, ſive ſucceſſivè, univerſale utiq; cenſeri debet.

VI.

Dicitur porrò univerſale APTUM, *non per potentiam externam ſed natura ſua.*

VII.

Plurium autem nomine intelligenda ſunt non quævis plura, ſed talia ut in illis unum illud ſit multiplicatum, & ſuo ipſius nomine plura dici poſſit: ut homo in Socrate & Platone plures homines.

VIII.

Si quid enim commune ita ſit in pluribus, & de pluribus dicatur, ut tamen in eis multiplicatum non ſit, nec nomine ſuo plura in illis appellari poſſit, id jam non univerſale dicendum erit, ſed ſingulare, quo pacto ſe habet D.O.M. divinarum perſonarum comparatione.

IX.

Cùm igitur quicquid univerſale eſt, ratione, modo aliquo, unà & eâdem poſſit eſſe in pluribus, ex multiplicitate rationis unius, & ejusdem modorumq; eſſendi, ut ita dicam, in pluribus, colligendum, quam multa ſint univerſalium genera.

X.

Dici autem poteſt ratio una & eadem (ſi id quidem fuſiſſimè intelligatur) modis quatuor. Aut enim eſt una & eadem quodammodo, nempe ſola attributione ad unum aliquid. Hæc autem nobis hoc loco non eſt fuſiùs tractanda: partim quia non propriè dicitur univerſale, partim quia veriùs in æquivocis quam non propriè hic tractanda ſunt.

XI.

Aut ſecundo proportione pluribus inter ſe, ſimpliciter autem plures ac diverſæ, ut rationes ſani & ægri: Quia autem hæc non ſunt unius alicujus veræ naturæ, nec per ſe (ſi res quidem diligentiùs expendatur) in prædicamentis locum habent, in univocis numeratur.

XII.

Aut tertiò eſt quidem eadem ſimpliciter in ijs, quibus convenit, ſive aq; ab illis participata, ſed non una ſimpliciter, h.e. in ſe ipſa, cujusmodi ſunt rationes domus, navis, exercitus & aliarum hujusmodi rerum.

XIII.

Aut deniq; est & una simpliciter, & eadem simpliciter, seu (quod dici solet) omninò una & eadem: quia est una in se, & eodem modo participatur ab ijs, de quibus dicitur, quales sunt rationes animalis & hominis. Hæc autem omni ex parte verè ac propriè universalia censentur, eaq; sola & absolutè ac simpliciter in definitione universalis intelligi solent. Itaq; sola jam à nobis in varias formas distribuenda.

XIV.

Dividi autem hæc ipsa rectè in quinq; vulgatas species, ex vario essendi modo in suis particularibus, hac ratione, intelligetur: Aut enim pertinent ad eorum essentiam aut minimè: Si pertinent, aut de illis prædicantur in quæstione quid est, aut in quæstione quale est:

XV.

Si in quæstione quid est, aut totam eorum communem quidditatem continent aut partem: Si partem, sunt genera; Si totam, species; Quod si ad essentiam eorum pertinent, nec tamen in Quæstione Quid est, sed in Quæstione quale est, de illis dicuntur, sunt differentiæ.

XVI.

Deniq; si ad eorum essentiam non pertinent, & tamen necessariò conveniunt, propria dicuntur: Si contingenter, accidentia. Ita non est cur plures, pauciorésve species verorum propriéq; dictorum universalium poni debant. Sed prius jam, quid prædicabilia sint, quia vulgò ita vocantur, dispiciemus.

XVII.

Prædicabilia sunt classes seu gradus secundarum notionum, quibus rerum notiones eo ordine & modo disponuntur, quo subjici & prædicari aptæ sunt.

XVIII.

Sunt autem ut supra diximus quinq;, Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens.

XIX.

Genus si fuse sumatur multimodis dicitur. Nam sæpè nomine generis pro speciei aut quasi speciei abutimur, ut cum dicimus multa esse genera linguarum, multa colorum: Et omnino cum communius aliquid in minus communia deducimus: Propriè tamen quatuor fermè videntur esse generis significata.

XX.

Generatio rerum ejusdem speciei, si continuata sit, nec intercisa, genus appellatur, quasi communis quædam genitura, idq; nulla ratione habita alicujus primi genitoris.

Hæc

Digitized by Google

XXI.

Hac ſignificatione utimur cum dicimus, quamdiu fuerit hominum genus, h. e. eorum continuata generatio, vel generantium & genitorum non intermiſſa ſucceſſio.

XXII.

Secundò Dicitur genus ipſa origo continuatæ generationis ab uno aliquo generante. Qua ratione dicimus omnes homines, quicunq; geniti ex muliere fuerunt, genus duxiſſe ab Adamo. Affinis huic ſignificationi eſt ea, qua genus ſumitur pro origine ex patria aut regione etiam; Cum Æneas Italiam quærat patriam & genus à Iove ſummo. Vt Poëta utriuſq; generis in eodem verſu meminit, & ejus quod à patria dicitur, & ejus quod à primo genitore.

XXIII.

Tertia uſurpatio Philoſophorum eſt propria, ut genus ſumatur pro ſubjecto in quo variæ differentiæ cernantur: Sic diverſæ ſcientiæ & artes circa diverſa ſubjecta genera verſantur, de quorum ſingulis ſingulæ proprias affectiones demonſtrant.

XXIV.

Quarta præcipuaq;, ſignificatio, Philoſophiq; maximè familiaris eſt, qua genus id dicitur, cui ſubjiciuntur ſpecies. Atq; huic ſimiles ſunt aliqua ex parte duæ ſuperiores: Eſt enim genus hoc modo ſumtum, principium quoddam & quaſi origo ſuarum ſpecierum in quas veluti propagatur, & in earum compoſitione quaſi materiæ oppoſitarumq; differentiarum ſubjecti vicem obtinet.

XXV.

Definitur ergo verè & eſſentialiter genus Vniverſale, quod neceſſariò ſecundum eſſentiam & quidditativè eſt in pluribus ſpecie differentibus.

XXVI.

Dividitur autem genus ratione rerum, quæ genera denominantur, in genus ſummum & ſubalternum. Summum genus eſt quod ſupra ſe aliud genus non habet: Et quod genus cum ſit, non eſt etiam ſpecies, ut ſubſtantia, quantitas, qualitas.

XXVII.

Subalternum ſive medium, quod ſupra ſe aliud genus habet, Et quod cum genus ſit, eſt etiam ſpecies. Veluti ſubſtantia corporea, & quantitas continua.

XXVIII.

Species vulgò dicitur externa rerum forma quæ aſpectui objicitur, qua res aliquæ ſpecioſæ, aliæ deformes, aliæ neutrum dicuntur.

XXIX.

Apud philoſophos etiam ſæpe nomine ſpeciei appellantur ſimilitudines quæ

dam naturales, quibus cum ſenſus tum intellectus res ſibi objectas percipiunt. Forma etiam quæ ſubſtantiam cujusq; rei complet, nonnunquam ſpecies dicitur.

XXX.

Vſurpatiſſima verò apud eos ſignificatio eſt, qua ſpeciem ſumunt pro parte generi ſubjecta, quæ tamen communis ſit, quo pacto homo eſt ſpecies animalis & arboris Laurus. Eam porrò ſic definiunt: Species eſt quæ generi in quæſtione quid eſt ſubjicitur & de qua genus in quæſtione quid eſt prædicatur.

XXXI.

Vt autem genus ratione rerum, quæ dicuntur genera, dividitur in ſuprema & mediata: Ita ſpecies hoc modo accepta in ſubalternas & infimas. Subalternæ ſunt quæ ita ſunt ſpecies, ut ſint etiam genera: Et infra quas ſunt aliæ ſpecies. Velut animal quod eſt ita ſpecies viventis, ut etiam ſit genus hominis & beſtiæ.

XXXII.

Infimæ verò ſunt, quæ cùm ſint ſpecies ſuperiorum: non ſunt inferiorum genera & infra quas non ſunt aliæ ſpecies. Velut homo qui ita eſt ſpecies animalis, ut non ſit genus ſingulorum hominum; Eſtq; hæc ſpecies magis hujus tractationis propria & ita apto ordine definitur.

XXXIII.

Species eſt univerſale, quod neceſſariò ſecundum eſſentiam, & in quæſtione quid eſt prædicatur de ijs tantum quæ ſolo differunt numero, ſeu (quod idem valet) de ijs quæ differunt numero completè dicitur.

XXXIV.

Differentia uno modo dicitur qualibet diverſitas: qua ſignificatione, ea etiam dicimus differre inter ſe, quæ toto genere diverſa ſunt, ut ſubſtantiam & qualitatem. Propriè tamen differentia eſt diverſitas eorum, quæ alioqui ſunt unius omnino rationis.

XXXV.

Qua differentia ſola ea quæ vel genere, vel ſpecie, vel numero idem ſunt diſſerre inter ſe dicimus: Vt hominem ab equo, Socratem à Platone, & eundem à ſe ipſo juvene. Ita verò triplex eſt, Communis, Propria, & maximè propria.

XXXVI.

Communis differentia eſt ea, quæ nec pertinet ad eſſentiam rei, nec inſeparabilis eſt ab ea, ut ſedere, ſtare & hujusmodi alia. Propria eſt, quæ inſeparabilis quidem eſt, ſed tamen ad eſſentiam non pertinet. ut habere cicatricem: eſſe diſciplinæ capacem, & ſimilia.

XXXVII.

Maximè verò propria, quæ & ſpecifica dicitur, eſt ea quæ & inſeparabilis eſt, & ad eſſentiam rei pertinet, ut corporeum eſſe, ſenſitivum rationale: Inter hæc autem differentiarum genera eſt latè patens diſcrimen.

Primò

gitized by Google

XXXVIII.

Primò enim communib. ac proprijs differentijs, accidentaliter tamen res discrepant: maximè autem proprijs essentialiter. II. Communibus & proprijs nec dividuntur genera in species, nec definitiones specierum assignantur: ijs verò quæ maximè propria dicuntur maximè.

XXXIX.

III. Illæ quidem priores vel proprietates sunt, vel accidentia; Hæ verò à cæteris omnibus universalib. distinguuntur: Harum igitur duo numerantur officia: Alterum quod dividat genera: Alterum quod constituat species.

XL.

Hanc ergò postremam apto ordine ita definimus. Differentia est universale quod necessariò & secundum essentiam prædicatur de pluribus in quæstione quale est.

XLI.

Proprij etiam non eadem est usurpatio, qua ratione proprium est, & qua certa universalium species. Quatenus enim proprium est, uni soli convenit, & soli cujus est proprium, at quatenus universale de pluribus dicitur.

XLII.

Quadrifariam autem accipitur: Nam & id quod soli alicui speciei accidit, non tamen toti, proprium eidem esse dicitur, ut homini grammaticum esse. 2. Id etiam quod toti non tamen soli, ut hominem esse bipedem. 3. Id quoq; quod soli ac toti, non tamen semper, ut homini canescere: Et id demum quod soli ac toti ac semper, ut homini esse aptum ut rideat.

XLIII.

Harum usupationum extrema præcipua est. Nam id maximum dicitur proprium rei, quod cum ea reciprocatur. Quicquid autem dicitur proprium quarto modo, id omne reciprocatur cum re cujus est proprium habetq; in ea causam adæquatam cur ita conveniat.

XLIV.

Ac superiora illa ad accidens, quod mox explicabimus, transmittenda sunt, quod non prædicentur necessariò de specie sed contingenter, exceptis quibusdam secundi generis, qualis est sensitivum esse, pro facultate seu potentia ad sentiendum. Hæc enim necessariò prædicantur, & ex ipsa rei essentia nascuntur, quæ conditiones accidenti non conveniunt, ut mox dicemus.

XLV.

Rejecta igitur vulgari definitione, qua de ijs tantum dici, definitur, quæ solo differunt numero, in quæstione quale est, explicatius illud ita definimus. Proprium est universale, quod omni soli & semper ineſt de quo conversim dicitur.

XLVI.

Ex qua definitione facilè eſt decidere quæſtionem: an propria communicentur. Si enim ſoli inſunt communicari non poſſunt, quia ſoli ſic non ineſſent, Et proprium hoc modo proprium non eſſet. Non etiam converſim dicerentur, ſi alteri quoq; communicarentur. Vnde eâ ſententiâ primum utrumq; tolleretur principium Metaphyſicum, hoc eſt lux omnis rationis humanæ & fundamentum.

XLVII.

Demum accidentis nomen tribus modis potiſſimùm accipi ſolet. Vno pro re, quæ ſuapte natura ſubjecto inhæret, cujusmodi ſunt color & ſapor lactis. Altero pro quovis attributo non pertinente ad eſſentiam rei de qua dicitur, ut ſerto calidum eſſe. Tertio pro attributo, quod nec pertinet ad rei eſſentiam, nec ex ea veluti neceſſaria emanatione profluit: Quo pacto alia ratione accidit homini nigrum eſſe, alia diſciplinæ capacem, quod hoc in ipſa hominis, quatenus homo eſt, natura habeat unde oriatur: illud aliunde proveniat.

XLVIII.

Miſſis igitur alijs minùs perfectis definitionibus, aptiùs illud ſic definimus. Accidens eſt univerſale, ſeu quod prædicatur de pluribus in quæſtione quale eſt, accidentaria & contingenti prædicatione.

XLIX.

Accidentis illa definitio: Accidens eſt quod poteſt adeſſe vel abeſſe citra ſubjecti corruptionem, niſi ſulciatur additione aliqua: ita ut non perficiat rem, vera vix haberi poteſt. Actus enim ſecundi ſive perfectiones rerum accidentia forent, quod abſurdum.

L.

Quod ſi jam accidens cum omnibus ſuperioribus quatuor univerſalium generibus compararetur, hoc diſcrimen præter alia inter ea cernitur. Quod 4. illa ſemper habent actum eſſendi in pluribus cum aptitudine conjunctum, ſive ipſa eorumq; particularia exiſtant ſive non exiſtant.

LI.

Semper enim verum fuit, Socratem eſſe hominem, & animal, & rationis participem, ac diſciplinæ capacem, etiam antequam ille ejusmodiq; prædicata in rerum natura exiſterent: Verumq; eſt poſtquam diem clauſit extremum, perpetuoq; verum erit.

LII.

Accidens verò etſi ex omni æternitate habuit aptitudinem eſſendi in pluribus, non habet tamen actum, niſi cùm & ipſum exiſtit, & particularia in quibus exiſtit, ut calidum in aqua & ligno exiſtentibus.

DISPU-

DISPUTATIO XXIX.

MICHAELIS PICCARTI

De

VSV DIVISIONVM DISPUTATIO.

Respondit

Michaël Mencelius, Neopurgicus Palatinus.

Mens. Decembr. cIↃ IↃ c XI.

THESIS I.

Divisioni duobus locis iniquior videtur Aristoteles, eamq; graviter exagitare: Primum in 1. libro Priorum Analyticorum, II. in II. Posteriorum.

II.

In primo Priorum, cum sectione prima λόσιν syllogismorum docuisset, in secunda pergit ad ἐυπορίαν & monstrat rationem inveniendi medij termini, utpote cujus in syllogismo maxima vis: quam monstrat ex triplici prædicatorum serie, Antecedentium, Consequentium & Repugnantium.

III.

Quâ methodo acutissimè & ingeniosissimè inventâ, perspicueq; satis traditâ, ostendit deinde, eam non modo in omnibus syllogismorum formis utilem esse & valere, sed præter eam quoq; nullam aliam rationem parandi medij dari tradive posse, quod præcipuè ad suæ doctrinæ perfectionem pertinere putabat.

IV.

Quia vero eo tempore nonnulli veterum in ea erant opinione, quasi beneficio divisionis Medium quoque parari possit, necessarium Aristoteli videbatur errorem illum animis juventutis eximere, ne de suâ methodo jactantius sensisse aut falsum etiam dixisse crederetur.

V.

Qui autem veteres illi fuerint, quos Aristoteles eo loco refutat, ambigi vide-

video apud Interpretes: Alexander Platonem refutari putat: Ita enim ad initium cap. 32. commentatur. Λέγει μὲν οὖν τῆς Διαιρετικῆς: ἣ Πλάτων ἐλέγχεται.

VI.

Pro sententia Alexandri Monlorius affert locum ex Sophistâ Platonis, quo Dialogo cum multas Sophistices definitiones divisione collegisset, tandem exquirit Hospes ex Theateto, an assentiatur divisione collectæ definitioni: Respondet Theaetetus, necesse se habere illi assentiri & addit rationem τῷ γὰρ λόγῳ δεῖ συνακολουθεῖν: *quibus sane verbis innuere videtur, necessariò aliquid divisione colligi.*

VII.

Verum Alexandro adversatur Philoponus cujus verba recito: Αἰνίττεσθαι δέ φασιν αὐτὸν εἰς Πλάτωνα: Φαίνεται δὲ ὁ Πλάτων ἐξυμνῶν μὲν τὴν διαιρετικὴν μέθοδον καὶ μάλιστα τὴν κατ' ἀνθυφαιρεσιν γινομένην ὡς ἀφυκτοτάτην ἔστιν: οὐ μὴν τοί γε ταύτην ἀποδεικτικὴν εἶναι λέγει. Σαφῶς γὰρ οἶδε Διαφορὰν διαιρετικῆς καὶ ἀποδεικτικῆς. Τὸ μὲν γὰρ φησὶ μέθοδος εἶναι καὶ φιλοσοφίαν. Διαιρετικὴν, Θεωρητικὴν, ἀποδεικτικὴν καὶ ἀναλυτικήν: Ἴσως δὲν εἴς τινας ἄλλους αἰνίττεται τὴν διαιρετικὴν ἀποδεικτικὴν νομίζοντας.

XIII.

Altera divisionis reprehensio est, ut dixi, in II. Posteriorum: Quærit eo loco Philosophus, an Definitio possit aliquo modo demonstrari: Et proponit Syllogismum generalem talem. Si definitio potest demonstrari, aut alia definitione demonstrari poterit, aut divisione, aut Definitionis definitione vel sensu. Sed nullo horum modo demonstrari potest. E. prorsus demonstrari nequit, Divisionem autem non demonstrari capite V. dicti lib. 2. Post. docet.

IX.

Non verò magnoperè laborandum puto, contra quos disputet philosophus, dum constet quid reprehendat, aut quid divisioni detrahat, posteà videbimus quid eidem jure suo tribui possit & debeat.

X.

Duo autem sunt quæ adimit Aristoteles Divisioni: Unum est, non habere eam τὸ βιαστικὸν τὸ ἀποδείξεως, aut non concludere necessariò, & proinde nec idoneam methodum esse parando medio. Alterum: adeoq; non posse demonstrare definitionem.

XII.

Illud his rationibus docet. 1. Petere id quod in principio non est demonstrare. Divisio petit id quod in Principio. E. Major extra controversiam est. Quando

Digitized by Google

Quando autem divisionis membrum unum rejicitur, alterum certè petitur & sic minor quoq; vera est. Directe enim unum solum Divisionis membrum non colligitur, sed tota divisio. Quod si dicas probari alterum membrum: accipio equidem. sed tuum probat medium illud assumtum, non autem ipsa divisio.

XII.

II. *Quando est demonstranda quaestio universè affirmans, qualem illi putant divisione concludi, Medium non potest magis esse universum, quam majus extremum, sed vel minus vel aequale: nam de medio dici & praedicari debet majus extremum. At in Divisione medium universalius ex extremo majori. Rationalitas enim de homine ostenditur per Animal, quod rationalitate latius patet.*

XIII.

Tertio, divisiva Methodus est insufficiens Quaestionib. demonstrandis. Negans enim quaestio concludi divisione nequit. praterea cum tantum agatur de divisione generis in species, non poterit divisione concludi Accidens de subjecto, nec proprium, nec genus, sed sola differentia fortasse de specie.

XIV.

Quin deniq; non semper indagandis differentijs valet Divisio: Differentiae enim ἀνυδιηρεσίαι sapè aquè sunt ignotae. v. g. An Diameter quadrati sit commensurabilis lateri, an verò incommensurabilis, aquè dubium est: Itaq; & in hujusmodi si altera repudietur, altera assumatur, mera est Petitio ejus quod in Principio.

XV.

His argumentis evincit Aristoteles in Prioribus: Divisionem non esse idoneum instrumentum parandi medij termini, neq; quicquam necessariò concludere: In posterioribus Definitionem non per se demonstrari aliis quoq; rationibus docet. I. Ratio sumta est ex ratione 1. ac 2. in prioribus allata, & formari sic potest: Quicquid non est syllogismus id nec Demonstratio est, Omnis enim Demonstratio Syllogismus est: Divisio non est Syllogismus. E. nec Demonstratio: Minor patet ex dictâ ratione. Priorum Analyticorum: Quia contra leges syllogismi petitur id quod in Principio.

XVI.

II. *Ita concludit: In syllogismo conclusio necessariò sequitur ex praemissis. In divisione non. E. Syllogismus non est. Vnde in priorib. Divisionis conclusionem ἀσθενη appellat, id est, infirmam & incertam. III. In sollogismo Propositiones solum interrogantur, conclusio non item, sed infertur etiam te repugnante: ὁ γὰρ συλλογισμὸς οὐκ ἀπὸ παντὸς τοῦ ἐξω λόγου ἀλλὰ παντὸς τοῦ ἐσω 8. cap. 1. Post. In Divisione autem conclusio quoq; interrogatur: Deniq; quia Divisio non omnia colligat quae ad Definitionem pertinent, & quae in quid de re dicuntur.*

XVII.

An igitur Diviſio prorſus nulli rei? cur tantopere igitur eam dilaudat Plato? cur ſæpius Ariſtoteles ea utitur? Deinceps igitur de eo videamus. Primo autem loco multiplex ſignificatio Diviſionis expendenda eſt.

XVIII.

Omnis enim Diviſio vel eſt Generis per differentias, vel Totius in partes, vel vocis Homonymæ in ſua ſignificata: Primum diviſionis genus propriè διαιρέσις dicitur: Alterum διαίρεσις latinis partitio: Tertium διαίρεσις μετ' ἀφαιρήσεως, hoc eſt, διαίρεσις τῶν παλαιῶν Λεγομένων.

XIX.

Poſterioribus ſpeciebus omiſſis Diviſionẽ propriè ſic dictam intueamur. Quam Ariſtoteles noſter nunquam adſerit prorſus inutilem eſſe, ſed verò fatetur μικρὸν μόριον εἶναι τῆς εἰρημένης μεθόδου, exiguam eſſe particulam dictæ methodi.

XX.

In 2. Poſteriorum etiam perſpicuè docet conferre aliquid definitioni veſtiganda diviſionem, idq; monſtrat ἐκ τῶν μερῶν: Cum, inquit, omnis Definitio conſtet genere & differentia. Diviſio veſtigat differentias, & inquit: Αἱ διαιρέσεις αἱ κατὰ τὰ διαφορὰς χρήσιμοι εἰσιν εἰς τὸ ἔντος μεληέναι, quod & docuit. 7. Metaph. tex. comm. 36.

XXI.

II. Diviſionis utilitas ijs verbis monſtratur: Διαφέρει δὲ τὸ πρῶτον καὶ ὕστερον τῶν κατηγορημένων κατηγορεῖσθαι: Diviſio videlicet rectum ſervat ordinem in partibus Definitionis, Diviſio enim latiores differentias primo loco ſumit, ſecundò minus latas, quæ ordinis ratio in Definitione quoq; obſervari debet.

XXII.

III. Diviſionis utilitas continetur illis: ἔτι πρὸς τὸ μηδὲν παραλιπεῖν ἐν τῷ λεγειν ἕντος μόνως ἐνδέχῃ &c. h. e. Diviſionis præterea beneficio accidit, ut nihil prætermittatur in definitione eorum quæ in quid prædicantur. Nam dividit Diviſio Genus per primas & communiſſimas differentias & recto ordine deſcendit, donec perveniat quo vult. Aliter ſi fiat vitioſa eſt Diviſio.

XXIII.

Atque has utilitates Diviſionis circa Definitiones egregiè videre & exercuere Plato in Civili & Sophiſtá: In Civili enim ex quibusdam animalium diviſionibus colligit definitionem Regis & gubernatoris Civilis, & in eodem Dialogo ex quadam artium diviſione definitionem artis textoriæ veſtigat. In Sophiſtá varijs artium Diviſionibus Sophiſtices definitionem exſtruit, quam obſervationem debemus Galeno lib. 4. de diff. pulſ. c. 7

Ariſto-

Digitized by Google

XXIV.

Aristoteles etiam non uno loco. 2. Phys. Naturæ definitionem divisione colligit, Motus 3. Physico. Animæ: 2. de Animâ: Seminis in lib. de Gen. Animal. 1. c. 18.

XXV.

Insignis etiam in hanc rem est Galeni locus 4 de diff. puls. qua de Zenonis definitione pulsus. In definitione faciendâ, non res definiendæ partiendæ est, quanquam ex dividendi natura definitiones faciendas docuerit nos Plato, sed Genus, atq; id hactenus dividendum, dum quod ostendimus adsequamur. Cujus si exactè notio completa sit, definitioq; abundè essentiam declaret, inutile est, quicquid deinde addatur. Paucis enim his verbis triplicem illam Divisionis, circa definitionem, rationem complexus est.

XXVI.

Quod autem verè Aristoteles μεθοδον μέρων Methodi definiendi appellarit, etiã ex eo patet, quod præstat aliquando definiendi labore, ex sententia summorum Philosophorum, supersedere, quam scrupulosè eadem colligere, inprimis apud Tyrones. Videatur Galenus 4. de diff. puls. qui totus liber huic apprimè facit.

XXVII.

Philosophi quoq; nostri monitum est: Si universale aliquod multas sub se contineat species & multis differentijs distinctas, præstare enumerare istas differentias & species, quam universum definire: Siquidem dum enumerantur, nominantur & quasi conferuntur inter se, emicant similitudines dissimilitudinesq; earum, ex quibus deinde specierum definitiones colligi possunt, atq; ex illis natura quoq; universi.

XXVIII.

Verba ejus sunt 1. Politic. Δήλον δ' ἔστο καὶ κρ μέρος μᾶλλον θεωρεῖν. Καθόλα μὲν οἱ λέγοντες ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς, ὅτι τὸ εὖ ἔχειν τῷ ψυχῇ ἀρετὴ, ἢ τὸ ὀρθοπραγεῖν, ἢ τι τοιοῦτον: πολὺ γὰρ ἄμεινον λέγουσιν οἱ ἐξαριθμοῦντες τὰς ἀρετὰς, ὥσπερ Γοργίας, τῶν οὕτως ὁριζομένων *h.e. Planum autem hoc est, & particulatim magis considerantibus: Nam qui universe dicunt (malim definiunt: λέγειν enim κυρίως pro in recto casu dici de aliquo, quod sit definitione, usurpavit Aristoteles etiam in Analyticis) decipiunt seipsos, puta qui virtutem definunt bene se habere animo, aut rectè agere aut aliud aliquid simile: multo enim melius dicunt, qui virtutes hujusmodi enumerant ut Gorgias, quam qui ita ut dixi, definiunt.*

XXIX.

In 2. de Animâ c. 3. t. 39. Universales tales definitiones quia inutiles sint, ridiculas etiam vocat. γελοῖον φησὶ εἶναι τὸν κοινὸν λόγον καὶ ὅτι ἔστων καὶ ἐφ' ἑτέρων ὃς οὐδενὸς ἐστὶ τῶν ὄντων ἰδίου λόγου, οὐδὲ τῷ οἰκεῖον καὶ ἄτομον εἶδος,

οὐδ', ἀφέντας τ γενέων : *Ridiculum eſt in his & in cæteris rebus communem quærere definitionem, quæ quidem nullius eorum quæ ſunt, erit propria ratio, nec in propriâ individuâ ſpecie cuiquam accommodabitur &c.*

XXX.

Vſus eſt præterea Ariſtoteles diviſionis ope ad colligendas 1. Phyſico ſufficienter opiniones veterum, ad confutandam item ſententiam Parmenidis & Meliſſi : quoad partes omnes & ſignificationes falſas.

XXXI.

Facit plurimum Diviſio ad ſolvendas dubitationes ſedandaſq; controverſias: Vnde illud tritum: Diſtingue terminos & conſtabit rei veritas, & adhibuit Philoſophus eod. lib. 1. Phyſ. docens quomodo idem ſit unum & non unum, quomodo res fiat ex Ente & non Ente.

XXXII.

Servit porrò etiam Diviſio ἐκθέσει terminorum, aperiendo ſignificata vocabulorum, ut fieri videmus toto quinto Metaph. & 1. de Anima. t. 36. & ſeqq. ubi quot modis Motus & moveri dicatur, exponit.

XXXIII.

Diviſio etiam plurimum confert ad τάξιν & ordinem in docendo, ut vitetur confuſio, quod diviſionis genus D. Paulus ὀρθοτομεῖν vocat, unde & Platonis illud, qui benè diſtinguit benè docet, & in fine Phædri: virum penè divinum cenſet habendum eum, qui Entia dividere poſſit, pro rerum naturâ.

XXXIV.

Tandem erroris matrem, ait Plato, dividendi imperitiam eſſe. Vbi ita Socrates ad Glauconem. Quam ſpecioſa, ô Glauco, artis contradictoriæ potentia eſt: Cur inquit ? Quia videntur mihi permulti etiam inviti in eam incidere, arbitratiq; nequaquam litigare, ſed diſſerere ex eo, quod negant ſecundum ſpeciem dividentes, id quod dicitur perſpicere, immò verò ſecundum ipſum nomen contrarietatẽ propoſiti proſequantur, contendentes potius inter ſe quam diſputantes.

XXXV.

Idem habet Ariſtot. 8. cap. 1. Phyſ. ubi ita inquit: Ζηλοῦσιν οἱ περὶ τὴν Φιλοσοφίαν πρῶτοι τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὴν Φύσιν τὴν τῶν ὄντων, ἐξιστάμενοι. οἷον ὁδὸν τινα ἄλλην ἀπωδεύσεις ἐστὶ ἀπορίας, *in quo autem ἀπορία illi conſiſtat mox docet.*

XXXVI.

Φασὶν γὰρ ὅτι γίνεσθαι τῶν ὄντων οὐδὲν ὅτι φθείρεσθαι, διὰ τὸ ἀναγκαῖον μὴ εἶναι γίνεσθαι τὸ γιγνόμενον ἢ ἐξ ὄντος· ἐκ μὲν τούτων ἀμφοτέρων ἀδύνατον εἶναι. *Vbi vides erraſſe veteres circa τὸ ἐλλείπειν τὴν διαιρέσεως.*

XXXVII.

Idem ſentit Galenus, cujus verba: Καὶ δὴ καὶ τὰ κατὰ τὰς ἄλλας αἱρέσεις ζητήσεως

Digitized by Google

ζφάλμαϛ, καὶ δοκῶ νὴ Δία τ νοσούντων οἱ πολλοὶ τῶν ἰατρῶν ἀμαρτάνειν πρώτῳ καὶ μεγίστῳ αἰτίαν ἔχει τὸ μοχθηρὸν τ διαιρέσεως.

XXXVIII.

Ex quibus adparere cuivis posse puto, quid Divisio prosit in Philosophiâ, & qua causa ab Aristotele reprehensa sit. Caterum quærat adhuc aliquis: Quænam bonæ divisionis virtutes sint, sic uti ne errorum mater fiat.

XXXIX.

Paucis verbis omnes complexus est Aristoteles 2. Post. c 14. Εἰς ἢ τὸ καθοσιδάζειν ὅρον διὰ διαιρέσεων, τρεῖς δεῖ συζάζεσθαι, τοῦ λαβεῖν τὰ κατηγορούμενα ἐν τῷ τι ἐστὶ, καὶ ταῦτα τάξαι τι πρῶτον ἢ δεύτερον, καὶ ὅτι πᾶσι παντί. *Ad construendam definitionem per divisiones sic eas instituendas esse. I. Seligantur prædicata in quid. II. Ut ordinentur communioribus & latioribus præmissis, minus communibus postpositis. III. Ut nihil desit aut supersit.*

XL.

Observatum circa eandem materiam alijs: Indagandas esse differentias si fieri possit contrarias, sic enim quæ generi subierunt, ad alterutram aggregari poterunt, huc facit quod Aristot. 10. Met. ἐναντιώσιν *vocat* μεγίστην διαφοράν.

XLI.

Quod si διχοτομία *locum non habet, ut non habet semper locum, tunc, ut inquit Plato in Politico, per membra res instar victimæ discerpere haud erit incongruum.*

XLII.

Vbi tamen notandum ne sicut confusio ex Διχοτομίαις *oritur quandoq́: ita ex nimiâ sectione oriatur obscuritas & nimis diducatur ac distrahatur animus.*

XLIII.

Docuit nos Seneca Philos. Ep. 89. Philosophiam in partes in frustra dividam: Dividi enim illam non concidi utile est. Idem: vitia habet nimia quod nulla divisio: immò simile confuso est, quidquid usq́ in pulverem sectum est.

XLIV.

Plato hanc concisionem τὸ λεπτυγωνεῖν vocat in Polit: & Cic: 2. de Fin. ubi agit de triplici voluptatum divisione: In Naturales & Necessarias, Naturales & non Necessarias, denig, nec Naturales nec Necessarias: ita inquit: Hoc est non dividere, sed frangere rem.

XLV.

Accepit hoc Cicer: ut alia multa à Platone: Ille enim in Phædro jubet secundum species articulatim pro rerum natura incidere, neq́ κακοῦ μαγείου τρόπῳ confringere.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

SI definitio & definiti οὐσία sunt idem in substantijs: 7.Met.t.20.quæ est ratio cur non etiã in accidentibus quâ & ipsa definiuntur? Cur inquam albedinis aut virtutis definitio & horum οὐσία non sunt etiam idem: Nam Exemplum περὶ λευκοῦ Ἀνθρώπου quadrare vix videtur.

II.

Si ex sententiâ Aristotelis una differentia non debet esse extra essentiam alterius, 1. de Partib. Anim. c. 3. ne fiat definitio una solum σωδεσμῷ: non video, quomodo non velit etiam, ultimam differentiam esse totam definitionem, cum tamen alia ab hac sententia docere videatur in Analyticis.

III.

Anima non est forma corporis simpliciter, sed ζώματος λιν@. 2.de Gener.c.4.8. Metaph.t.7. aut τῷ τοιῷτῳ ζώματι 7. Metaph. t. 38.

IV.

Verba sunt Aristotelis 10. Metaph. t. 16. πᾶσα γὰρ ἐναντίωσις ἔχει στέρησιν θατέρου τῶν ἐναντίων. Cur non utriusq;? Atqui paulo ante: ἡ μὲν ἐναντίωσις στέρησις ἄν τις εἴη πᾶσα: Si omnis cõtrarietas est privatio: cõtrarietas autem æquè se habet ad utrumq; contrarium, erit etiam στέρησις utriusque ratione: Quid quod in contrarijs mutuus est ab invicem recessus: Tantum enim calor à frigore recedit, quantum frigus à calore. Plurimùm enim à se invicem distant contraria. Alterum, dicunt, habitus rationem habet, privationis alterum. Monstretur ratio diversitatis.

V.

Verissimè Galenus: lib. de Natura hominis c. 6. Multi sunt, qui ſegniter agunt in discendis demonstrationibus, ijs verò, quæ ignorant facile adversantur. Contrarium verò faciunt Studiosi & veritatis amantes qui sedulo demonstrationes insectantur & segniter contradicunt.

VI.

Sæpe constat de effectu sed latet causſa, aut si cognoscatur etiam causſa, latet tamen modus causſandi.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO XXX.

MICHAELIS PICCARTI

Disputatio Politica,

DE REPVBLICA ET EJUS FORMIS IN GENERE.

Respondit

M. Andreas Ludovicus Schopperus, Onolzbacensis.

Mens. April. clo Io c XII.

THESIS L

HOmo animal tam Civile & populare est, *ut si homines hominum auxilijs non egerent, tamen convictus consuetudiniq́, amore caperentur. Sic loquitur Philosophus lib. 3. Pol. c. 4. text. 26.*

II.

Non tamen tàm convictus & consuetudo, quàm communis utilitas illos congregat, pro sua cujusq; parte ad benè beateq́, vivendum: Hic enim finis & universis publicè, & singulis privatim propositus est, cujus gratia Civitas est instituta.

III.

Cum autem de hoc fine variæ opiniones & sententiæ ex diversitate ingeniorum ortæ sint, varia quoq́, media ad illum finem consequendum excogitata & inventa sunt, unde etiam variæ Politiæ ortum suum traxerunt, quas Philosophus lib. 2. Polit. passim recenset, & cap. 9. singillatim repetit.

IV.

Ideo de Reipub. & ejus formis, *quæ plurimum difficultatis continet*, paucula tractare proposuimus, *certi non minorem utilitatem, quam jucunditatem hanc materiam nobis præbituram.*

V.

Oritur autem Civitas ex congregatione & societate hominum & communione

nione bonorum, quæ adeò necessaria sunt, ut sine hisce nec pagi, nec domus, nec familiæ consistere queant, meritoq; prima fundamenta adpellentur.

VI.

Proximæ autem Civitatum causæ materiales sunt pagi, ex quibus Civitates consiuunt, qui itidem ex familiarum propagatione oriuntur, hæc enim sese invicem consequuntur 1. Polit. c. 1.

VII.

Hæc vero congregatio bonorum & societas non tantum sufficiunt ad Civitatem constituendam, aliàs quoq; & impiorum hominum societas, ut latronum & furum manipulus æquè civitatem constituerent.

VIII.

Requiritur insuper unio animorum & consensus, quod verum & diuturnum vinculum Civitatis est, sine quo nec domus, nec pagus nec familia durabilis existit.

IX.

Nullæq; Civitates & Respublicæ citius periêre, non debilitatæ armis hostium externorum, non eversæ citius externa vi & potentia quàm intestinis dissensionibus, offensionibus, & animorum alienationibus.

X.

Exemplum nobis præbet, victoriis & potentia illustris Roma; quæ Cannensi clade, ab Hannibale invictissimo Heroë edita, tantaq; Nobilissimorum Romanorum copia prostrata, non æquè debilitata & eversa, quàm bellis Civilibus Syllæ & Marij, Pompeij & Caij Iulij Cæsaris ad interitum deducta est, ut passim testantur Historici.

XI.

Cum autem hominum voluntates mutabiles, imprimis curandum, ne ista unio disrumpatur, itaq; requiritur aliud quoddam vinculum, quò voluntas & hominum consensus firmiter colligentur, ac ita hæc unio & consensus animorum firmus & stabilis maneat.

XII.

Quemadmodum enim Elementa in corpore, composita societate Elementorum, quæ κρᾶσις & temperamentum dicitur, uniuntur: ubi verò dissidere per διακρασίαν incipiunt, toti interitum accelerant: idem prorsus in Civitate evenire conspicimus, ubi animorum discrepantia & dissensus oritur.

XIII.

Consistit hic consensus in Concordia & ordine: Cum enim non ex docto & docto, neq; ex rustico, & rustico neq; ex opifice & opifice &c. constet, verum ex omni-

ex omnibus: cumq; ſint diverſa officia & varia negocia hominum, concordia neceſſario requiritur. Ariſt. 2. Polit. cap. 1.

XIV.

Per Concordiam autem, non illam Ethicam intelligimus, quæ amicitia eſt, quæve etiam extra civitatem in ſingulis hominibus effectus ſuos producit; ſed illam Politicam, quæ eſt pax Civium, ſine qua nulla Civitas conſiſtere poteſt.

XV.

Nemo autem omnia poſſidet; itaq; cum ſeſe invicem homines mutuo auxilio & opere juvare debeant, & omnibus illis, quibus vita Politica indiget: hinc concordia oritur, tum enim rectè florêre Respublica putatur, quando concordia inter Cives excolitur.

XVI.

At verò tunc ſtabilis eſt Concordia, ſi omnia κατὰ τάξιν procedant; ubi enim confuſio, ibi concordia durabilis eſſe nequit; Dato quippe uno inconvenienti ſequuntur plura.

XVII.

Quod enim corpus ſine anima eſt, Cælum ſine lumine: idem Respub. ſine ordine, quo omnia ejusdem membra vigent ac diriguntur.

XVIII.

Quod ſi una familia non eſt, aut eſſe poteſt diuturna, ubi confuſio & ἀταξία: quanto major futura pernicies Civitatis, quæ ſine ordine ac forma adminiſtrandi, quaſi ruinoſa domus concidet: Hic ordo nobis monſtrat modum eorum, quæ gerenda ſunt in Republica: hic ordo nobis præcipit, quòmodo qualibet convenienter ſint effluenda: cives urget, ut non ſibi ſed Civitati vivant, quo ſublato, neque artibus & virtutibus, quibus ſuſtentatur Civitas, ſtuderent Cives.

XIX.

Ad hunc ordinem conſervandum Leges neceſſariæ ſunt, quæ jubeant facienda, & prohibeant contraria, hæ ſunt ligamina, quæ continent Civitatem, ne dilabatur & intereat, hæ præmia rectè facientibus, pœnas delinquentibus adjudicant.

XX.

Legum verò vis & vita non in Inſtitutione, ſed in ſyncera obſervatione poſita eſt, ſunt enim muti Magiſtratus, & inanima inſtrumenta Reipublicæ, quæ tamen vitam habent, ſi cives ad obedientiam ſeveritate judicii compellantur.

XXI

Vis ergò, leges vivant: diſtringatur gladius, ſceleratos feriat, ſummis, mediis, infimis non parcat, vide, ut non ſolùm muſcas leges ſuæ capiant, Tum benè

vivitur in Civitate, cum non solùm Lepores, sed etiam Leones & Aquilæ, hoc est divites & potentes viri legum vocem & severitatem timeant, sit vox legis terror, sit legis pœna fulmen.

XXII.

Hisce præsuppositis talem nunc extruamus definitionem: Civitas est societas ex pluribus pagis constans, legibus unita, bonorum affluentiam continens, beatitudinis causa instituta. Non absimilem posuit Philosophus lib. 1. cap. 2.

XXIII.

Hæc autem consideratur vel materialiter, vel formaliter: Nos eandem jam consideramus formaliter, quæ apellatur Respublica.

XXIV.

Eam definimus: Quod sit liberorum hominum unio *rectaq; ordinatio, atq; descriptio, cum in cæteris aliis Magistratibus, tum præcipuè in summo omnium & maximo* ad benè beateq; vivendum, *quæ definitio germana quoq; est Aristotelis.*

XXV.

Vnde mirari satis nequeo, Virum magnum de Republica in limine hæc verba ponere ausum, definitionem Reipublicæ, ab ijs, qui de Republica scripserunt prætermissam esse: quæ sententia, quam absurda sit, docebit Aristoteles in lib. 3. Polit. cap. 6.

XXVI.

Diximus in nostra definitione: Rempublicam esse liberorum hominum unionem, *quia inter servos nulla communio bonorum, quæ maximopere necessaria est; quidquid enim adquirunt, Dominis adquirunt, & à Philosophis vel inter κτήματα, vel inter instrumenta numerantur.*

XXVII.

Addidimus præterea, Ordinationem, quæ adeò necessaria est, ut sine hac consistere nequeat: Confusio enim erroris & dissensionis mater est.

XXVIII.

Posuimus & hæc: Cum in cæteris Magistratibus *&c. Inferiores enim gradus rectè disponit, munera & officia singulis pro dignitate tribuit, summis autem Magistratibus præscribit, quis & qui in qualibet forma Domini sint, quæve quemlibet & quoslicet deceant.*

XXIX.

Tandem finis subsequitur: Ad benè beateq; vivendum, qui omnium summus & principalis est, Cæteri verò sunt subordinati. In hoc fine Civitatis & Reipublicæ salus recondita est, quo sublato omnia ruunt.

Sapien-

ed by G

XXX.

Sapienter Iſocrates in Oratione Areopagitica inquit: καὶ τοὺ τὰς εὐπατριδίας ἅπαντες ἴσμεν ὠδρογινομένας καὶ ὠδρυμένους, ἃ τοῖς τείχη μέγαστα καὶ κάλλιστα ἐξειβεβλημένοις, οὐδὲ τοῖς μὴ πλείστων ἀνθρώπων εἰς τὰυτὰ τόπον ἠθροισμένοις, ἀλλὰ τοῖς ἄριστα καὶ ζωφερέστατα τὰ αὐτῶν διοικοῦσιν.

XXXI

Non loci inhabitatio, vel locus mœnibus cinctus Civitates faciunt, neque Civitas urbis mœnibus continetur ut vulgò æſtimatur. Nam ſi eadem mœnia, ſi ijdem homines maneant, vulgus eandem Civitatem manere putat.

XXXII.

Sed ſapientum aliud Iudicium, qui Civitatem à forma, quæ in unione & ordine conſiſtit, denominant, Sic loquitur Ariſtoteles 3. Polit. cap. 2. εἰπερ γάρ ἐστι κοινωνία τις ἡ πόλις (ἔστι δὲ κοινωνία πολιτῶν) πολιτείας γιγνομένης ἑτέρας τῷ εἴδει, καὶ διαφερούσης τὴ πολιτείας ἀναγκαῖον εἶναι, δόξειε ἂν καὶ τὴν πόλιν εἶναι, μὴ τὴν αὐτὴν.

XXXIII.

Forma enim dat eſſe Rei, laus & perfectio à forma eſt.

XXXIV.

Neque etiam à numero hominum denominanda eſt: Numerus enim non conſtituit Rempublicam, ſed ampliorem reddit urbem, neque ideo dicitur Civitas quæ multis hominibus conſtat, ſed & quæ paucis & ſummum caput habentibus, ut rectè Clariſs. Bodinus lib. 1. de Republica diſputat.

XXXV.

Neque Civitatis & Reipublicæ ſalus in multitudine hominum conſiſtit: Ea enim demum Civitas felix nominanda eſt, non quæ ex promiſcua hominum colluvie multos Cives temere colligit, ſed quæ antiquiſſimas & primas familias maximè conſervare ſtudet: Hi etiam viri in præclaris habendi ſunt, non qui potiti imperijs, ſævitiam in Cives exercent, aut majores opes, ac potentiam, quam par & æquum eſt, habent, ſed qui maximis honoribus digni ſunt, ut loquitur Iſocrates.

XXXVI.

Mutato itaq; loco, mutatis q; hominibus & incolis, non Civitas mutatur ſed urbs, Eademque Civitas manet ubi idem ordo & forma; Et quamvis millies mutetur locus & homines mutentur, manente Eodem ordine ac forma, Eadem ſemper Civitas manet.

XXXVII.

Quod adeò verum eſt, ut ſi Germani & aliæ Gentes cujuscunq; nationis, ad ultimas terræ incolas, & ad Rypheas alpes proficiſcentur; Eundem vero or-

dinem & administrandi formam observarent, ibidem Germania; ibidem & aliarum nationum patria intelligeretur.

XXXVIII.

Tot autem Rerumpub. formas seu species statuimus, quot finem præscriptum observant, qui est, Bene & beatè vivere: qui ex virtuum actionibus, quasi ex lympidissima scaturigine prosilet, quæ igitur hunc finem, & media ad illam non habent præscripta, Respublica adpellari nequeunt.

XXXIX.

Statuimus autem tres Rerumpub. formas, nec plures nec pauciores, *ad quas omnes Civitates, Respub. Magistratus, referri possunt. Eæ sunt: Regnum, Aristocratia, Democratia vel Politia in specie sic dicta.*

XL.

Quod etiam statuere videtur Philosophus sparsim ut 8. Eth. c. 12. 3. Polit. c. 7. 4. Polit. c. 3. & alibi, sic ille scriptor dicit: Cunctas nationes & urbes, aut Populus aut Primores, aut singuli regunt. Sic Augustinus de Civitate Dei lib. 2. c. 21. Tunc esse Rempublicam, inquit, id est Rem Populi, cum benè ac justè geritur, sive ab uno Rege, sive à paucis optimatibus, sive universe à Populo.

XLI.

Vnde autem differentiæ harum formarum desumantur, inter se digladiantur autores. Quidam enim ex Numero personarum desumunt differentias Rerumpub. easq; essentiales constituunt, inquiunt, summa potestas requiescit in personis, quando igitur personæ variant secundum numerum, Rempub. mutari necesse est; Nam gubernandi potestas aliter uni inest, inde Monarchia, aliter in aliquos diffunditur, & quidem primores, unde Aristocratia, aliter ad universos pertinet, indè Democratia oritur.

XLII.

Quam sententiam post Platonem, magnæ existimationis & experientiæ vir mordicus defendit, in libro suo de Repub. contra Aristotelem hac ratione: Si ex virtutibus dijudicandæ sunt formæ Rerumpublicarum, infinitæ erunt, infiniti autem nulla cognitio.

XLIII.

Quæ sententia consistere vix potest: Nam non conspicio, ex virtutibus differentia cur non petenda sit? Nec dicit Philosophus, quod formarum differentia, ex alijs affectionibus corporis, & animi, id quod ab eo sumitur, petenda sit, sed ex fine, qui in virtutum actione consistit ut supra paulò antè diximus: Neq; hic quæritur, an quovis modo Divisionis ratio á virtutib. & vitijs sumenda sit, totq; Politiarum species constituendæ, quam sententiam & nos rejicimus videlicet,

non

Digitized by Google

non ſtatuentes, tot ſpecies Politiarum, quot virtutes : Sed hic quæritur in genere, An â Numero imperantium, an vero ab ipſo fine petenda ſit differentia Politiarum?

XLIV.

Verè autem nobis differentia, â numero deſumpta, & multitudine Eorum, qui Rempub. adminiſtrant, videtur aliena & accidentalis : Etenim Numerus in Republica eſt aliquid præter eſſentiam ordinis ex eventu, quod hinc facilè fiet conſpicuum. E. G. Ariſtocratia eſt, cum Optimi imperium tenent quod & ſi plures eſſent illorum qui imperant, quam Eorum qui obtemperant, tamen ſtatus Ariſtocraticus meritò adpellaretur, & non Democraticus vel Politicus in ſpecie ſic dictus : At cum pauci inveniantur qui optimi ſint, & omni virtute præſtantes, itaq; ex eventu additur & illa differentia accidentalis, quæ equidem magna ex parte cum eſſentiali conjuncta eſt.

XLV.

Ex fine igitur Rerumpub. differentia deſumenda eſt, qui conſiſtit in virtutum actione, quæ actiones abſq; prudentia exerceri & comparari non poſſunt, (Nam virtus moralis abſq; prudentia, & prudentia abſq; virtute morali conſiſtere nequit, tam arctè vid. copulatæ ſunt ut nunquam divelli queant.) hæc enim mediocritatem & media ad virtutem conſequendam monſtrat, qua ſublata nec virtus, nec Reſpub. nec Civitas conſiſtet, & ſolem è mundo tollit, qui prudentiam tollit.

XLVI.

Cum itaq; gradus prudentiæ varient, alius ſit perfectiſſimus & præclariſſimus, alius vero mediocris, alius communis & inchoatus : ſi unus Ea præ aliis excellat, meritò ei uni imperium committitur, ac inde Monarchia : Exempla quædam, ſed pauca talium dari poſſunt, ſint v. g. Cyrus Perſarum Monarcha. Alexander M. Iulius Cæſar, Carolus M. Carolus V. & alij.

XLVII.

Mediocris verò prudentia, cum non tam rara ſit, ſed pluribus convenire poſſit, Pauci tamen ſint reſpectu cæterorum Civium, ij ſi præficiantur propter utilitatem publicam, oritur Ariſtocratia.

XLVIII.

Communis autem & inchoata Prudentia, multis convenire poteſt, itaq; ſi multitudo imperat, inde Democratia oritur, Et hoc facilè evenire poteſt, Difficile quidem eſt ut multitudo exercitata ſit in omni virtute, in una tamen virtute poteſt, & maximè in bellica. Exemplo ſunt Lacedæmonij qui virtute bellica claruerunt.

Digitized by Google

XLIX.

Igitur conſpicuum eſt, Prudentiæ gradus (quæ propria virtus eſt præſidentiu ut loquitur Ariſtoteles 3. Polit. cap. 4.) variare Respub. & importare diſſerentias primarias, numerum non niſi ſecundario & externa quadam atq; accidentali ratione.

L.

Sunt quidam graviſſimi ſcriptores, & Politici, qui præter dictas tres ſpecies, mixtam comminiſcuntur formam, Eamq; ajunt eſſe Rempublicam ex ſimplicibus duabus vel pluribus Politijs ortam. Sed Salva tantorum virorum autoritate, mihi potius Idea Platonica videtur hæc mixtio, & quid opus præter neceſſitatem illarum formarum multiplicatione?

LI.

Quanquam enim non adeo pura conſpicuntur imperia ut ſtatim manibus prehendi poſſint, ad tres tamen formas omnia Imperia deduci poſſunt.

LII.

Formæ etiam ſunt indiviſibiles, quomodo Ergò mixitio procedet? ſtatus enim, qui Reipublicæ forma eſt, indiviſibilis eſt ac individuus, & mutato ſtatu ipſa civitas mutatur, ut Bodinus & Tolozan eſſert.

LIII.

Cum autem ordo ſit anima Civitatis, ſi itaq; regia Poteſtas cum populari ſtatu & primorum commiſcentur, quis Rex, quis Optimatum quiſpiam, quis ex populo intelligetur? hic enim quiRex eſt & parêre cogitur, & qui paret regit, hîc idem & ſimul ſubditus & Magiſtratus, quis non conſpicit ἀταξίαν & confuſionem.

LIV.

Mixtio hæc ad interitum potius deducit Respublicas quàm ut novam formam introducat. Si enim ex Regio ſtatu & Ariſtocratico mixtum quoddam fieri debeat, deſtruitur alter ſtatus & quidem præſtantiſſimus, Regius ſcilicet.

LV.

Cum Majeſtatis natura individua ſit, non omnibus & ſingulis uno momento congruere poteſt, imò ne fictione quidpiam aſſequi poteſt, ut ſalvò ſtatu Reipub. Iura Majeſtatis & uni & paucis & univerſis diſtribuantur: Jura enim Majeſtatis ſunt indiviſa, *Majeſtas enim ubi ubi eſt, ibi integra eſt, nec fieri poteſt, ut uni & omnibus ſimul competat. Nam cum imperij natura diſcrepat, ut qui imperando ſummum jus habeat, neq; ſuperiorem agnoſcat, in mixta forma alteri, & quidem ſubdito parere cogatur.*

LVI.

Cum autem Respub. ex domeſticarum formarum ſimilitudine judicentur, ut loqui-

Digitized by Google

ut loquitur Philoſophus lib. 3. Polit. cap. 4. mixtio autem maximè pernicioſa ſit in familijs: (Etenim ſi Eadem autoritas familiæ, quæ patriſfam. liberorum, quæ parentum, quid inde eveniet) quantum mali & incommoditatis in Repub. mixtio importet, quis non intelligit.

LVII.

Rejicimus igitur cum Bodino & Tolozano mixtam Rempublicam.

LVIII.

Formæ enim habent ſe ut numerus, quemadmodum numerus unitate adjecta in alium excreſcit numerum aliamq́; denominationem recipit, neq́; intendi neq́; remitti poteſt: idem de formis judicium.

LIX.

Modus tamen adminiſtrandi temperari poteſt, qui multis Paraſangis differt á ſtatu Reipub. Nam quemadmodum vinum aqua dilutum, vini tamen naturam & eſſentiam ſapit: ſic etiam eadem Respublica merito cenſetur etiamſi modus adminiſtrandi limitatus eſt.

Et hæc paucula in genere dictæ ſufficiant,

Corollaria.

I.

RECtè feciſſe mihi videtur Henricus IV. Gallus, quod Legatos exterorum Principum non niſi coram omnibus aliorum Legatis audire voluit.

II.

Rectè item Veneti Summam belli peregrino commendant.

III.

Tria Turcicum militem formidoloſum nobis faciunt. 1. Quod Imperatoris dicto obedientiſſimus eſt. 2. Quod inediæ patientiſſimus. 3. Quia nullum refugit periculum, ex religione fati ſui.

IV.

Neq; ex re eſt Principis, neq; ex dignitate in peccatores miniſtros ſubito animadvertere? Lente removere ab officio, ſub ſpecie aliquâ honeſtâ ſatius.

In

V.

In populoſis urbibus & Oligarchijs commodum eſt habere ἀτακτικοὺς qui plebeculæ ſermones aucupantur.

VI.

Et quis olim miles erit, ſi Tyrones excludi debent, quod his proximis annis, quibusdam magni nominis Ducibus viſum? Miſcendi cum ſenioribus potius, quorum moderatione fervor ipſorum adtemperetur: Certè è literario ludo in militiæ diſciplinam profecti ex Romanis Rullij, Decij, Corvini, Scipiones, Pompei, ne Alexandrum Magnum hic commemorem, qui penè puer arma induit.

VII.

Si Tyrannis eſt deſtructio poteſtatis regiæ, quomodo conſtat ſibi Philoſophus V. Polit. cap. 15. cum ait: σωτηρίαν εἶναι τῆς τυραννίδος πολὺν ἂν τὸν βασιλικὸν πόρον.

VIII.

Qui Machiavelli verba cap. 18. de Principe: Nihil eſt, quod Princeps magis præ ſe ferre debet quam religionem, tantopere traducunt, cur non Ariſtotelem potius exagitant, qui illi ea præivit. Ita enim ille 5. Polit. Tyrannum monet cap. XI. ἐστὶ δ' τὸ πρὸς τοὺς θεοὺς φαίνεσθαι αἰεὶ σπουδάζοντα μᾶλλον ὄντας.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO XXXI.

MICHAELIS PICCARTI

De

DISSIMILITVDINE AC SIMILITUDINE SCIENTIÆ ET ARTIS.

Respondit

Martinus Windheselius, Norico Weerdensis.

THESIS I.

MAgna est varietas, & sententiarum veluti collisio & pugna inter Doctos: Logica, Politica, Medicina, & aliæ tales Methodi, sub quo Genere contineantur.

II.

Artem enim alij Genus earum faciunt, alij Scientiam, alij partiuntur, & utroq; Genere contineri persuadere sese nobis postulant.

III.

In hac sententiarum discrepantiâ ubi tutò consistere liceat, multi quærunt: nobis sic videtur, certi nihil definiri posse, nisi & quomodo differant Scientia & Ars, & quomodò, quatenus etiam conveniant, constet.

IV.

Prima ergò hujus disputationis nostræ cura erit, Differentias vestigare, altera, Conventientiam & conspirationem monstrare, postrema deniq; decernet & statuet, quod propius verum videbitur.

V.

Primum igitur differunt, quia Scientia Intellectus est Theoretici, & contemplatur. Ars verò agit aut efficit, & intellectus est Practici vel Effectivi.

VI.

II. *Cum Theoria sit τ θείων θεωρία, erit rerum factarum & existentium scientia, & proinde necessarium, quæ semper se eodem habent modo, & extra hominis potestatem positæ sunt.*

VII.

At Ars περὶ γένεσιν *versatur & scientia, quæq; in potestate hominum sunt, & proinde mutabilia sive variabilia.*

VIII.

Vnde III. *Ars consultat & deliberat, quod innuit Aristoteles, cum 6. Ethico dicit :* τέχνιν θεωρεῖν ὅπως ἂν γένηται ἡ τῶν ἐνδεχομένων καὶ εἶναι καὶ μὴ εἶναι.

IX.

Neque nos movet locus 2. Phys. t. 86. Cui opponimus locum 3. Ethico cap. 5. Diversitas nempe rei diversitatem rationis inducit.

X.

At Scientia non consultat : Consultatio enim non de necessarijs est, & quæ in nostra potestate non sunt, sed de ijs quorum varius esse potest status, & quæ aliter se atq; aliter habere possunt. 6. Ethic. cap. 1. οὐδεὶς βουλεύεται περὶ τῶν μὴ ἐνδεχομένων ἄλλως ἔχειν.

XI.

IV. In Scientijs Intellectus est μετρητὸν. *Res quæ scientiâ comprehenduntur sunt* μέτρον. *Non enim res intellectui nostro accomodandæ sunt, sed Intellectus rebus, utque res se habent extra, ita eas Intellectus concipit intra.*

XII.

In quam sententiam eleganter Plutarchus in Moralibus, Saxum juxta perpendiculum ponendum, non perpendiculum juxta saxum.

XIII.

Et falsè Aristoteles vellicat eos, qui statuerant terram moveri, cœlum stare, dicit tales cœlum accommodare suis rationibus, non rationes suas cœlo.

XIV.

At in Artibus Intellectus est Μέτρον. *Effectum* Μετρητὸν. *Ita accipio verba illa 2. Physici, t. 22.* τῆς τέχνης ἐστὶν εἰδέναι τὸ εἶδος καὶ τὴν ὕλην μέχρι τέλους

XV.

V. Ad scientiæ constitutionem tria requiruntur, Vnitas Subjecti necessarij, Evidentia Principiorum, & Demonstratio παθῶν, ut docet perspicuè Philosophus in I. Posteriorum, undè & Mathematicæ Disciplinæ, quia hæ tria ostendere non possunt, è numero scientiarum, πρώτως sic dictarum, eximuntur, exceptâ Astrologia, quam ideò Philosophus in 12. Metaph. ἐκτὸς τῆς Φιλοσοφίας τῶν ὑπερημῶν μαθημάτων *dicit.*

XVI.

At in artibus subjectum primum non unum : carent deinde affectionibus, occupan-

Digitized by Google

occupantur enim in eo quod nondum est, sed fieri debet. Non Entis autem nulla affectio, carebunt proindè & principijs, quæ sunt causſa παθῶν. Effectu enim sublato causſa cadit.

XVII.

Atq; hoc voluit Galenus, cum Scientias à subjectis, artes à finibus pendere docuit, quia subjectum illis dare non posse videbatur.

XVIII.

VI. Differunt progressu: Quia enim Scientiæ rerum necessariarum sunt, ex necessarijs quoque progrediuntur, media enim extremis respondere debent, inquit Philosophus, I. Posteriorum c. 6. ἐπεὶ τοίνυν ὁ ἐπιστάμενος ἀποδεικτικῶς, δεῖ ἐξ ἀνάγκης ἀπ' ἀρχῆν, δῆλον ὅτι καὶ τὰς μέσας ἀναγκαίας δεῖ ἔχειν τὴν ἀπόδειξιν &c.

XIX.

Hinc Scientia solius Demonstrationis beneficio adquiritur, quæ Necessaria πάθη de reb. necessarijs per necessaria Principia demonstrat, unde ipsa ἐπιστήμη ἀποδεικτικὴ dicitur. 1 Priorum, & 2. Posteriorum, & Demonstratio Syllogismus ἐπιστημονικὸς 1. Posteriorum.

XX.

At Arti nihil est cum necessarijs, nihil cum demonstratione: cujus ratio mutatur penè quotannis.

XXI.

VII. Et maximè, differunt fine: Artium finis opus est extra mentem quidem sedem habens, principium tamen habens ex mente, quæ effecta ista se primùm illius operis formâ, ad faciendum deinde conversa, ad ejus formæ quam in se conceperat exemplum, illud ipsum opus extra se efficit.

XXII.

Efficit autem opus Singulare. 2. Polit. c. 11. t. 121.

XXIII.

Scientiæ autem Finis est Scire, id quod in mente quidem situm est, ortum tamen habet extra mentem, à sensilibus rebus. Nihil enim est in Intellectu, quod non fuerit prius in sensu.

XXIV.

Intuens enim Theoreticus Intellectus res sensibus objectas, abstrahit ab illis Universalem conceptum, & cognoscit Universale. Itaq; finis ejus est notitia Universalis, quòd solùm necessarium.

XXV.

Nobilitate deniq; differunt: Scientia enim propter se expetitur, Artes utiles sunt, & subserviunt Naturæ, vel indigentiæ nostræ.

XXVI.

Hactenus in quibus differant Scientia & Ars vidimus, ex quibus liquere videtur, convenire in unum rés tàm diverſas non facilè poſſe.

XXVII.

Videamus nunc, an convenientiam aliquam utriuſq; Habitus Dianoëtici hujus oſtendere poſſimus.

XXVIII.

Primùm autem diſcimus ex 6. Ethico, Vtriuſq; Habitum eſſe ejus animæ facultatis, quæ intellectus dicitur. Qui Intellectus licet poteſtate multiplex conſtituatur, ut Theoreticus, ut Practicus, ut Effectivus.

XXIX.

Vnus tamen eſt re. Quid miri igitur eumdem ab uno in alterum munus, à contemplatione in actionem, vel effectionem, aut è converſo ab hiis ad contemplationem deflectere.

XXX.

Eſt ergò convenientia inter Scientiam atq; artem, ratione ſcientiæ & artificii à quo pendent.

XXXI.

Proficiunt deindè Artes plurimum ex ſcientijs, non quidem, quod ex ijs ortum habeant, quod tamen eos velle videmus, qui Mechanicas artes omnes filias Mathematicarum diſciplinarum eſſe volunt: dicentes ſubjectum (rectius materiam vocarent) naſci à Phyſica, modum Mathematicum eſſe, quatenus rei Phyſicæ imponant numerum, pondus, proportionem &c. quæ ad Arithmeticam & Geometriam pertineant.

XXXII.

Experientia enim artem facit, inquit Polus apud Ariſtotelem 1. Metaph. cap. 1. Non, inquam, artes ita proficiunt à ſcientijs, ratione originis, ſed quia æmulantur ſcientiarum decreta, atq; ad ſuum finem adhibent.

XXXIII.

Quo tempore ligna findenda ſint ædificijs apta, Phyſici eſt docere, id tamen tempus Architectus obſervat, & pertinet hoc ad ejus conſultationem.

XXXIV.

Videatur igitur non memini ut ad tertium veniamus, Diſciplinas initio dictas utriuſq; appellatione poſſe præſcribi, ratione diverſarum partium: adeoq; habere eas aliquid Theoretici, habere item aliquid Practici.

XXXV.

In Politicis hoc obtinere, verba præferunt ipſius Ariſtotelis 1. Polit. cap. 11.

ἐπεὶ ἡ τὰ πρὸς τὴν γνῶσιν διωρίκαμεν ἱκανῶς τὰ πρὸς τὴν χρῆσιν δεῖ διιλθεῖν: παίζει ἡ τὰ τεκταινα τὴν μὲν θεωρίαν ἐλλιθέρων ἔχει, τὴν δ' ἐμπειρίαν ἀναγκαίαν.

XXXVI.

Medicinam magni, celebresq; Medici ex hac cauſſa in Theoreticam & Practicam divisêre: Theoreticam vocantes eam partem, quæ in Humani corporis, ejusque ſanitatis, ac morborum naturâ & cauſſis veſtigandis occupatur, & univerſos naturalis Philoſophiæ ſinus rimatur.

XXXVII.

Practicam autem partem eam, quæ in ſanitatis, vel conſervandæ, vel reparandæ, perſequenda, atq; in uſum proferenda ratione occupata eſt. Ita Coſtæus in diquiſitionibus Phyſiologicis.

XXXVIII.

Paullò aliter Ioh. Baptiſta Montanus: Is enim cap. 1. Explicationis in primam Fen. libri 1. Canonis Avicennæ, ita inquit: Ars dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo, ut verſatur circa materiam & ſubjectum extrinſecum, circa quod operatur, altero: ut verſatur circa Vniverſalia, & rationem faciendi.

XXXIX.

Priori modo Ars, poſteriori Scientia. Reſpectu Platonis vel Socratis, quem curare debet, Medicina eſt Ars. Reſpectu verò Artificis, ut ipſe mederi novit in mente, eſt Scientia.

XL.

Andreas Cæſalpinus quoq;, Medicinam Scientiam & Artem dici poſſe contendit, Quæſtionum Medicarum lib. 1. c. 2. Medicina, inquit, Scientia dici poteſt, tùm propter cognitionem ſtatus Naturalis corporis humani, & ſingularum partium, quæ uberius in ea traditur, quàm in Philoſophia naturali.

XLI.

Cognitio quoq; lapſuum à ſtatu naturali quæ in Medicinâ è ſignis habetur, cum adhuc non includat operationem aliquam, ſed ſolam veritatem, Scientia meritò appellari poteſt.

XLII.

Relinquitur, ſola Inventio remediorum ſalubrium, quæ ad operationem dirigitur, ea videri poteſt Scientiæ dignitate inferior: Scientiæ tamen naturam etiam illa æmulatur, adeſt quippe ratio quoq; neceſſaria, nempe quæ ex fine procedit ad ea, quæ finis gratiâ petuntur.

XLIII.

Vnde Medicus in inventione remediorum, ſi aberret, culpâ non vacare dicitur. Naſcitur autem error expropriè Theoricâ Medicinæ parte, vel quia ignorat

ſtatum naturalem humani corporis, vel quia non ſatis intelligit labſus à naturali ſtatu qualitatem aut quantitatem. Hæc de Medicinâ Medici.

XLIV.

Idem de Logica πραγματείᾳ dicunt Logici, Præcepta, inquiunt, artis Logicæ Διατάξεις reſipiunt, finis qui conſiſtit in uſu & operatione, artem.

XLV.

Quid nos? Si propriè & preſsè loqui velimus: Confundi Scientiæ cum arte non poſſunt, latè verò acceptis vocabulis ferri poteſt, quod doctos voluiſſe oſtendimus.

XLVI.

Denominatio à fine petenda eſt ultimo, ut docet Philoſophus. Quæcumq; igitur terminantur operatione, ſunt artes; quorum terminus eſt ſola cognitio, ſcientiarum nomine venire debent.

XLVII.

De Præceptis artium quod ingerebatur, parum habet virium. Illa enim ab Arte diſtingui debent: Vnde ſcitum illud: Artes doceri non poſſe, ſed exerceri, doceri verò artium præcepta.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

SI inſtrumentis nihil eſt contrarium, quomodo Divitiæ dicuntur Ariſtoteli Inſtrumenta, quæ contrariam habent inopiam?

II.

Ingenioſe diſputat Alexander: Ignem in pruna aut ligno non eſſe ut in ſubjecto, ſed ut in materia.

III.

Vocabulorum ab uno nullæ ſunt differentiæ dividentes, vix ſunt aliquæ conſtituentes.

IV.

Mirari non ſine cauſa quis poſſit, cur Ariſtoteles Argumentum ex definitione corporis ſumtum Logicum appellet. lib. 3. Phyſ. c. 5. t. 40. Verba ſunt: Λογικῶς μὲν οὖν σκοπουμένοις ἴσως τοιῶνδε δόξειεν ἂν εἶναι: Εἰ γὰρ ἔστι ζῶμα τοῦ λόγου τὸ διαστατὸν ᾠρισμένον: ἆρα ἂν εἴη σῶμα ἄπειρον &c.

V.

Paucis legibus opus fuerit, ſi educatio puerorum & diſciplina Civitatis recte ſe habuerit.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO XXXII.

MICHAELIS PICCARTI

DISPVTATIO POLITICA,

Respondit

Casparus Pansa, Themarensis Fr.

Mens. Jun. cIↃ IↃ c XII.

QUÆSTIO I.

Utrum Rex Clementia potius quam severitate officium facere debeat?

QVamvis multi sint in illa opinione, arbitrantes principis officium magis in severitate quàm in clementia positum esse debere, nos posthabitis illorum rationibus, cum alijs hoc magis convenire adfirmabimus.

I.

Si enim omnia commoda à Rege accipiant subditi, non possunt non eum amare. Hinc Trajanum tanto amore prosecuti sunt subditi, ut alij se satis vixisse ipso viso, alij ipso viso magis vivendum esse prædicarent.

Plin. in panæg.

II.

Eò etiam magis subditorum favori studetur à principe, quod in eo sciat fundari firmamentum Reip. Firmissimum enim longè imperium est quo obedientes gaudent.

Liv. lib. 8.

III.

Nec ulla potestas tuta, nisi benevolentia munita. Hinc Cicero: Quis eum diligat, quem metuat, aut eum à quo se metui putet.

In Lælio.

IV.

Non vis est adhibenda, cum persuadere possis cum lenitate. Qui enim coguntur, tanquam exspoliati oderunt. Quibus autem persuasum est, tanquam gratum quid acceperint, amant.

Xenoph. 1. de dictis & factis Socratis.

Clemen-

V.

Clementia etiam ſecundum Senecam 1. Decl. non tantum honeſtiores ſed & tutiores præſtat, ornamentumque imperiorum eſt ſimul & certiſſima ſalus.

VI.

Maximum & admirabile in Deo juſtitiæ & miſericordiæ temperamentum. Eſt enim pater Clementia, dominus diſciplina: pater poteſtate blanda, Dominus ſevera. Optandum idem in principe, qui in terris imago DEI, ejusdemque veluti vicarius.

VII.

Crudelia imperia magis acerba, quam diuturna, nec quisquam in multis metuendus, quin ad eum ex multis formido recidat.

Saluſt. ad Cæſar. de Rep. ordinanda.

VIII.

Severitas amittit aſſiduitate autoritatem & ſæpè committi videmus, quod ſæpè vindicatur. Nec principi minus turpia multa ſupplicia, quam medico multa funera.

Senec. lib. 1. de Clem.

QUÆSTIO II.

An Regi magis ſtudendum virtutibus, an ſubditis? illud adfir:

I.

NEq, enim citius neq, facilius, quam principum exemplo præeunte, leges in civitate commutatum iri, ſecundum tritum verſum:

Regis ad exemplum totus componitur orbis,
Vtque ducum lituos: ſic mores caſtra ſequuntur.

II.

Flexibiles ſumus quamcunque in partem ducimur à principibus, atque ut ita dicamus, ſequaces ſumus. His cari, his probati eſſe cupimus.

III

Vita non ſolum ipſi principes concipiunt, ſed etiam in civitatem effundunt, plusq, exemplo quam peccato nocent.

Cicero 3. de legibus.

IV.

Ne etiam deteriores haut imperium in præſtantiores, ſtolidiores in prudentiores. Nam naturæ lex eſt omnibus inſita, quam nullum tempus diſſolvit, deterioribus imperare meliores.

Halycarnaſs. in Præfatione Orig: Rom.

In omni-

Digitized by Google

V.

In omnibus rebus principi minus licet peccare quam cæteris.

VI.

Principes Christiani dignis virtutibus anteire universos debent, quia plura habent quæ possunt amittere, quam universi.

Horol. princi. c. 20.

VII.

Fons, si amarus sit dulces esse rivi, qui inde manant, non possunt. Et fieri non potest, ut alios vel si uctus vel flores arbor producat, quam qui succo radicibus contento, conformes sint.

Horol. princi. d. c.

VIII.

Hinc summè beatos censet Reges Synesius oratione de Regno, quod possint sua vita etiam meliores opiniones hominum animis inserere v. g. virtutem esse in paupere honorandam, si tales honoret ipse Rex.

QUÆSTIO. III.

An princeps corâm lites audire & judicare debeat?

PRiorem partem quia gratia plena est, princeps per se exercere debet: posteriorem satius est committi prætoribus & judicibus, idque propter rationes sequentes.

I.

Iustitiam enim sectatur Rex, si probos præficiat judices, eorumq; judicia regat, eò, quod ad se provocari patiatur, aut si exemplo Mosis graviores causas ipse decidat, minores relinquat judicibus.

II.

Iudicia enim negligere prorsus contemtus opinionem parit in animis civium. Hinc ea de causa à Demetrio exercitus defecit, quod dicas subditorum in flumen contumeliosè projecisset.

Plutarch. in Demetr.

III

Iudices quoque magis sollicitè judicant, quando suspicantur, se semper in præsentia principis decernere, & præsente principe fidelius & diligentius officium suum facient, & Reip. negotia fidelius tractabunt.

Bodin. lib. 4. c. 6. de Rep.

IV.

Non solum etiam iniquum: verum ipsi etiam laboriosum & ad vulgum

odioſum eſt, ſi princeps perpetuo clauſus lateat. Vbi enim fores principes ſubditis claudunt, ibi viſcera ſubditi dominis non aperiunt.

Horol. princ. c. 37.

V.

Cum igitur non rectè præeſſe princeps Reip. poteſt, niſi exactam habeat omnium ejus partium notitiam, & niſi de omnium vita certior reddatur, fit, ut cortex in ſubſtantiam, os in medullam, furfur in farinam, ſcoria in aurum, palea in granum, floces in vinum, fel in mel convertatur, & cum ad ſcopum ſe collimaſſe princeps cenſebit, toto ab eo cœlo aberrabit.

Horol. princi. c. 37.

QUÆSTIO. IV.

An princeps Conſiliarijs ſtipatus eſſe debeat?

CVm impoſſibile ſit, ut princeps ſua ſcientia omnia complectatur, & magna negotia magnis adjutoribus egeant, fidos rerum hominumque peritos Conſiliarios habebit. Hac ratione multis oculis, quæ illi ſunt animadvertenda, proſpiciet, & multis auribus, omnia quæ audienda ſunt, cognoſcet, ut quam minimum erret.

Hyppol. a. coll. c. 9. in princ. palat.

I.

Hoc enim majorum noſtrorum inſtitutis ac diuturna experientia perceptum eſt, atque cognitum. Plures conſilio communicato melius ac certius, quam ſingulos, judicare.

Bodin. lib. 4. c. 4.

II.

Princeps qui ſapientum non magni æſtimat conſilia, certò ſibi perſuadeat, fore, ut ſua contemnantur mandata. Nam nullum majus indicium bonæ mentis oſtendere poteſt princeps, quam ſi optimos ac prudentiſſimos ſibi deligat conſiliarios: caput id eſt regiæ prudentiæ.

Lipſ. 3. polit. c. 3.

III

Eòusq; proſperum eſt imperium, dum in eo veræ conſilia valent; ubi grà-tia, timor, voluptas, avaritia illud corrupêre, imminuitur.

Saluſt. in lib. de ordinanda Rep.

IV.

Et gliſcente aliquo inter cives tumultu, plus unicum prodeſt conſilium maturum, quam centum de rhabarbaro purgationes.

Horol. princip. c. 43.

Nulla

Digitized by Google

V.

Nulla etiam est harmonia gratior, nulla consuetudo jucundior, nulla exercitatio utilior ea, quæ quotidianis sermonibus cum prudentissimis atquè doctissimis habetur, à quibus nunquam quisque discedit, quin doctior evadet.

Patric. lib. 3. tit. 13. de regno.

VI.

Periculosum etiam est sibi soli fidere eum, qui errare & decipi potest.

Althu. c. 22. in polit.

VII.

Senatus etiam ornamentum Resp. & splendor civium, & ut principis salus, privatorum salus dicitur, ita & autoritas & dignitas consiliariorum dignitas principis censetur: nec fieri potest, ut magnificat princeps, cujus senatores contemnantur.

Althu. d. I.

VIII.

Nunquam etiam fuit princeps bonus consiliarijs utendo malis, nunquam fuit princeps malus consiliarijs utendo & parendo bonis. Horol. Princ. C. 43. vide plura apud P. Greg. Tholos. lib. 24. de Rep. & seqq. Hyppol. à collibus c. 9. de princ. & consiliarijs.

QUÆSTIO V.

Utrum senes primi in Rep. esse debeant.

Pro senibus faciunt rationes sequentes:

I.

Constat enim quo seniores sumus, eò plus habere nos experientiæ & usus.

c. sciendum 26. d. 4.

II.

Neq; sine experientia Resp. administrari potest, quæ ætate acquiritur.

Namquè ubi robustis adolevit viribus ætas,
Consilium quoq; majus, & auctior est animi vis.

Lucr. lib. 3.

III.

Requiritur in senatu maximè autoritas, cum sola autoritate obtineat, quod potestate non potest. Senectus autem maximam conciliat autoritatem hominibus, & autoritatem aut natura adfert, aut tempus. Cicero in Topicis & in oratione pro domo sua.

IV.

Natura senibus debetur imperium, Aristoteles 7. Polit. cap. 14. Plat. 3. de Repub. 5. Legibus.

V.

Iuvenes non tantum inter se, sed multo magis à senioribus contemnerentur, si his præferantur. Cum igitur Iuvenum consilia sapissimè lubrica sint, ut patet ex consiliarijs novellis Roboami 1. Rege. 12. Et licet bona, tamem non exaudiantur à civibus, meritò senatum tum Græci tum Latini à senio dixerunt, inq; eo senes reposuerunt, an autem omnes juvenes sint removendi, dispiciemus quæstione proxima.

QUÆSTIO VI.

Utrum Juvenibus gubernacula Reipub. committenda?

SI in Iuvenibus tanta est indoles, ut ejus admiratio autoritatem suppleat, qualis fuit in Papyrio apud Macrobium 1. Satur. 6. qualis illa in puero decenni, qui coram Henrico imperatore de Philosophicis & Theologicis rebus disseruit. Cramer in chron. Pomer. non erit, quam ob caussam illos ab imperio depellamus.

I.

Expedit enim cum senibus & expertis admittere Iuvenes, qui seniorum factis dictisq; discant similia & dicere & agere.

II.

Sunt animosi ac fortes: sunt laudis ac gloriæ cupidi: in rebus agendis honestatem non utilitatem propositam habent.

Aristoteles Rhet. 2. cap. 12.

III.

Non annorum spatium, sed ingenium ac diligentia in caussa, ut alios prudentia superent. Ideoq; nulla in consilijs ætas repudianda.

Isocra. in Archida.

IV.

Expedit etiam juxta annosas arbores, novas plantas inserere vel plantare, quæ post interitum vetustarum earum succedant.

Tholos. ex Varrone lib. 42. Rep. c. 6. n. 2.

V.

Tandem si in Magistratibus ætas certa observanda sit, fit, ut magna virtutis indoles prius extinguatur, quam prodesse Reipub. possit.

Cicero 5. Philippica.

VI.

Accepimus etiam inter Religionis antistites, ubi non minus atq; in rebus

Politi-

Politicis periculum metuendum non senes tantum Aarones, sed & adolescentes Samueles, Danieles, Timotheos esse repertos, & adhuc reperiri. Melchior Junius in libello Tract. locos communes. pag 349.

Concludendum igitur videtur, à magistratibus non excludendos esse juvenes, sed quemadmodum vinum, ut Plato scribit, si nimis forte fuerit, diluendum esse aqua, & insanum DEVM alio sobrio coercendum atq; temperandum: Ita cautio senilis cum fervente juvenum studio gloriæ ac honorum commixta, nimiam eorum vehementiam reprimat.

QUÆSTIO VII.

Divites an vero pauperes præferendi?

REspondebimus pro divite, licet nec divitias nec paupertatem primò spectandam teneamus cum Aristote. lib. 2. Polit. 7. & 9. & 3. Polit. Cap. 2.

I.

Divites enim sunt amantiores patriæ, quia ex interitu ejus plus perdent, quam pauperes. Quorum vero magis interest, Rempub. manere salvam, eorum jubebat potissimum rationem habere Aristotel. 4. Polit. Cap. 22. & 5. polit. 9.

II.

Quia res pecuniaq; familiaris obsidis vice pignorisq; esse apud Remp. videtur, amorisq; in patriam, fides quædam in ea firmamentum est. Agellius lib. 16. Cap. 10.

III.

Nihil etiam pernitiosius magistratui est, quam contemni, sed paupertas homines facit contemtibiles. Lipsi. 4. Polit. Cap. 9.

IV.

Plerumq; pauperes sunt timidi, nec sat animi habent ad imperandum, Arist. Polit. Cap. 11.

V.

Requiritur potentia in magistratu, atq; hæc maximè viget in divitijs, quibus sæpè integra Respub. servata fuit, cum exhaustum fuit ærarium.

VI.

Sunt præterea divites rerum experientiâ instructi melius quam pauperes, quia non domi ut pauperes delitescunt, sed in luce vivunt. Aristoteles Polit. 2. Cap. 7.

VII.

Deniq; paupertas facit magistratus suspectos, quia periculum est, ne ma-

Digitized by Google

rum rebus alienis injiciant. Egentissimo enim, ut ait Salustius: in lug. omnia cum precio honesta sunt.

Sed tamen ut & in alijs quam plurimis non omnes pauperes sunt rejiciendi, praesertim illi, qui utiliter ac decenter magistratu fungi possunt, sic, ut sint divites bonis animi, sapientiæ, pietatis etsi auro non abundent.

Plat. lib. 7. de Repub.

QUÆSTIO VIII.

Debeatne consiliarius in Senatum venire, quando scit consilium iri, cui salva conscientia assentiri nequit?

Dubitant quidam & dubitandi hanc arripiunt caussam, quod tutius esse videatur in senatum non venire, quam in aliam trahi sententiam & adversus conscientiam. Insuper quod is culpa carere videatur omni, qui in tam iniquam rem non consensit Setf. in disc. Polit. Sed insuper habitis hisce & alijs pluribus rationibus nos ab illorum parte stabimus, qui contrarium defendunt ac propugnant.

I.

Nam si & non rogatus, publici boni causa consilium dare principi tenetur, multò minus salva fide effugere poterit, ne rogetur.

Setserus. d. l.

II.

Occasio etiam rerum graviorum veros à cæteris distinguit consiliarijs. Illi enim quo periculosiora instant negotia, eò magis se ad ea & juvandam Rempub. accingunt: hi urgentibus vel minimis difficultatibus libenter se ab eis subducunt.

Setserus d. l.

III.

Probat idem vetus illa lex & Reipub. utilissima senatori, qui nec aderit aut causa, aut culpa esto.

Cicer. 3. de legibus.

IV.

Et boni consulentis est semper in senatum venire. Cicero pro domo.

V.

Verus amor vigilans atq; sollicitus est, nunquam quiescit, omnium rerum cura adficitur, omnia quæ necessaria sunt providet, considerat & suscipit.

Ceriolan. d. 6. Concil. & Consil. Cap. 2.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IX.

An consiliario à priori sententia recedere aliquando liceat?

MErito reprobandi sunt illi, qui metra Eristichenis mutabiliores sint, vel proteo, nullam unquàm igitur in consiliario inconstantiam esse debere, sed unum habere calamum, unam linguam & non plures, & esse immobilem sicut lapis angularis, & sicut polus in cœlo, ut Decius adl. nemo potest 75. n. 3. ff. d. R I. loquitur: tamen cautè providendum, ne ut aliàs vitia virtutum specie se insinuant, ita pro constantia pertinacia nobis imponat: Est igitur prudentis ex causa supervenienti mutare consilium.

I.

Demens enim est, qui in errore persistit, & præstat in melius mutare, quam in malè cœptis pergere. Sets. d. l.

II.

Eadem est ratio Consiliarij quæ est medici, qui quidem ægroto medicamentum dare jubet, id congruens ratus, sed re maturius deliberata noxium reperit, ægroto ne melius erit, priorem hic medicum retinere sententiam, quam mutare?

III.

Nunquam in præstantibus in Repub. gubernanda viris, laudata est in una sententia perpetua permansio.

IV.

Magnæ etiam sapientiæ est revocare hominem, quod malè locutus est.
Magna 22. q. 4.

V.

Nec est, quod aliquis levitatis notam timeat; nemo enim doctus mutationem consilij inconstantiam dixerit.

QU.) X.

An Consiliarius tam diligens esse debeat, ut etiam non requisitus, principi, ubi res postulat, consilium subministrare teneatur?

DVbium alicui movere potest, quod is qui consilio dando se ingerat, curiosus videatur, quin etiam suam conseatur prudentiam majoris facere quam Principis & aliorum Consiliariorum, quod odiosissimum est. Vt igitur non est boni medici, se cum vocatus non est, intrudere ad ægrotum: sic nec consiliarij ad principem.

Sets. in disp. polit.

Sed

Sed hiſce rationibus non obſtantibus, exiſtimant eruditiores, in rebus magni momenti, poſtulante neceſſitate, eum, quod ſibi videatur, etiam non rogatum Principi ob bonum publicum denunciare debere. Hipp. à collib. in tra. de Conſili. pap. 209. & ſeqq.

I.

Conceſſum enim eſt à majoribus egredi aliquando relationem & quod in commune conduceret, loco ſententiæ promere.

Tacit. lib. 2. Annal.

II.

Princeps etiam ſæpius nil quicquam novit de negotijs, quæ neceſſariò expedienda, vanum ergo expectare, donec princeps ipſe de rebus ſeriis ad Rempub. pertinentibus ſermonem injiciat.

III.

Etſi veritas odium pariat, tamen expedit illis tales adeſſe conſiliarios, qui eis in veritate non cedant: non ſecus quam morboſis principibus, utile eſt & neceſſarium habere medicos, qui eis non abblandiantur in corrigendis & applicandis neceſſarijs & utilibus remedijs.

Tholo. lib. 24. de Rep. c. 5. n. 5.

Adhibendæ tamen cautelæ quædam, res prius ad exactam trutinam perpendenda: advertendæ quoque Circumſtantiæ an tempus, locus & rerum ſtatus id permittant, an res opportunius differatur. Gerhard. in polit.

QUÆSTIO XI.

An in electione conſiliarij generis, opum & potentiæ ratio haberi debeat?

Quod non ſit faciendum, rationes ſubſequentes arguunt.

Magiſtratus namq; & honori ſi ſunt ratione virtutis, non favoris, opum, potentiæ.

II.

Caterum tunc aliquam rationem haberi convenit, cum virtus utrinque par eſt, ut ſi competitorum neuter ab altero vincatur, tunc pro ſuo arbitrio princeps officium ei conferre poterit, qui potentia, gratia, vel meritis, ſuperior ſit: etſi nihilominus tali cauſa princeps eum ornare teneatur, qui plus officiorum Reipublicæ præſtiterit. Setſ. d. tractat.

III.

Certiſſimum eſt etiam honores & officia uno ex tribus modis dari: aut propter

Digitized by

propter merita, aut gratiam, aut potentiam, prior virtuti, ultimus abusui adsignandus. Medius licet abusu non careat, tamen tantus non est, quantus posterior.

Sect. d. l.

IV.

Observarunt præstantissimi terum politicarum scriptores, principem, qui in officijs & magistratibus conferendis favorem aut potentiam respicit, aut principatu deturbari, aut eum ad tertiam usque generationem non possidere. Fur. Coriol. in tract. de consil. pr. cap. 5.

QUÆSTIO XII.

An xenia oblata consiliarius accipere possit?

QVamvis valdè inhumanum est, à nemine accipere, sed passim vilissimum, omnia avarissimum: tamen laude digni sunt illi, qui à privatis & paupertibus nihil imprimis justitiæ promovendæ caussa: sed à principibus oblata gratæ mente accipiunt: detestandi qui justitiam & veritatem vendunt. Locum igitur hîc habet illud Antonij. ὅτε παρ' ὅτε παρ' οὐδὲ πάντων.

I.

Manus enim integras habere à muneribus consiliarij debent. Solent namque ea demulcere & propensiores reddere homines, & excæcare etiam oculos justorum & pervertere caussas justorum.

Thol. lib. 2. c. 6. n. 16.

II.

Neque etiam permittendum idem censet Tholot. ut vel esculenta aut potulenta capiant. Nam & in minimis est adfectio & ex minimis, si permittantur, facilis ad majora optanda & capienda est via.

III.

Vnde Ephialtes, ne ab amicis quidem accepit, veritus, ut vel contra jus ijs gratificaretur, vel si id non faceret, ingratus videretur.

Ælian. lib. 11. variæ hist. c. 9.

QUÆSTIO. XIII.

An princeps novus Imperij successor sui prædecessoris consiliarios mutare & à se debeat dimittere?

Hoc non nisi ex magna caussa faciendum est.

I.

OMnis enim subita mutatio periculosa censetur.

II.

Potest etiam ab ijs princeps novus multa discere utilia gubernationis, ut ab ijs, qui jam in negotijs fuerint exercitati.

Tholos. lib. 24. de Rep. c. 6. n. 15.

III.

Si prædecessoris consiliarij mutentur, leges modumque regiminis mutatum iri opinabuntur cives, ac libertatis oppressionem suspicabuntur.

Bodin. 3. de Rep. c. 1.

IV.

Hinc prudenter Ludovic. XI. Galliarum rex. filio suo Carolo consilium dedit, ne quid mutaret in administratione regni, & antiquos amicos, familiares, & ministros retineret; se enim re ipsa expertum, in quot, quantaque pericula vel unica hac de causa venisset, quod excellenti, probataque virtute viros ab aula pepulisset.

Si tamen quidam habeantur suspecti vel à populo, vel à proceribus, quod fuerint prædecessoris mali consiliarij: inquirere id debet, & si tales repererit, vel si valdè suspecti fuerint, quod forsan in consilium fuerint adhibiti ab antecessore, qui protyranno habebatur, non debet retinere. Thol. d. c. 6. n. 15. lib. 24. de Rep.

QUÆSTIO XIII.

An uni consiliario tantum omnia princeps sua committere debeat?

Non videtur ex rationibus sequentibus.

I.

RAro enim hoc felicem exitum habere solet. *Qui enim unum amat, videtur cæteros odisse, unde corruptio consiliorum facilis & pernicies.*

Commin. lib. 1. c. 3.

II.

Fidere unius alteriusve sententiæ valdè etiam periculosum principi esse, propter incertitudinem voluntatum, adulatorum & proditorum, quibus ut vermibus scatet aula principium. P. Greg.

Tholos. d. l. 24. c. 7. n. 2.

III.

Neque etiam homo sapit omnibus horis, & bonus quandoquidem dormitat Homerus. Ita multos consilio adhibere erit tutius.

Thol. d. l.

IV.

Convenit etiam ideo omnes consiliarios habere æquales: ne ob favorem, hic cæteris

Digitized by Google

cæteris imperare velit, quem cæteri eam ob causſam odio habebant; & minus ſint poſtea liberæ voces in conſulendo, metuentibus alijs ne adverſentur ſententiæ hujus prædilecti, quod ne accidat cavendum eſt principi.

V.

Deinde in magno deliberantium numero ſemper aliqui exiſtunt, qui quod ab alijs peccatum eſt, emendant & ſanant: Et prudentiſſimos quoque non rectè ſemper ſentire, ſed labi aliquando & errare, experientia & exempla teſtantur.

VI.

Denique non eſt ſapientis principis ſibimet accerſere periculum, ut alterius, quem evexit auctoritas conſervetur. Non eſt prudentis principis in unum omnia congerere, ut cæteri egeant. Non eſt juſti principis magis unius cupiditatibus inſervire quam omnibus gratificari. Fatui eſt principis obnoxium eſſe uni, contemptis reliquorum conſilijs. Audax eſt nimirum princeps, qui ut amet unum, ſeſe omnibus reliquis invisum faciat.

Camer. c. 90. cent. I.

QUÆSTIO XV.

An aliquando legati mandati ſui limites excedere poſſint?

I.

HOc non licet facere. 1. quod qui à principis mandato recedit, etiamſi ex malitia & ſuperbia non agat, videtur dominum contemnere, vel ſe ſaltem ſuamque prudentiam majoris facere, quod odioſiſſimum. Hyppol. à coll. in palatin. pag. 37.

II.

Si deinde res ei cui mandata eſt, ex animi ſententia non ſuccedat, culpæ impatientiæ & pœna indeprecabilis ſubeunda eſt. Quod ſi vero melius fortè vertat, fortunæ id beneficium cenſetur.

Hyppol. d. l.

III.

Legatus interpres eſt, an interpres ſit qui diverſa refert, ab eo quod interpretatur? Cumque certam formam princeps legationis præſcripſerit, certè omnem hujusmodi licentiam legato ademit. Alb. Gentil. lib. 3. de legat. c. 16.

IV.

Corrumpitur etiam atq; diſſolvitur officium imperantis, ſi quis ad id quod facere juſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non deſiderato, reſpondeat.

Agellius lib. 1. cap. 13.

Tamen hic etiam diſtinctionis locus eſſe poteſt: aut enim tempus ei ſuppetit, quo principem ejus quod de novo emerſit, certiorem reddere, & alterum

mandatum expectare possit: aut res ipsa nulla ratione differri potest. Illo casu non dubitandum, quin res principi aperienda sit: periculosum nimis est fines mandati egredi: Quod si negotium moram istam non ferat in re quidem parvi momenti, tu ut res cadat, tutus est mandato adhærere.

QUÆSTIO XVI.

Utrum sacerdotes in Republ. civilem magistratum gerere debebant?

ETsi nostro tempore multi sunt ex theologis à religione & sacris quam quivis satrapæ & principes prophani longè alieniores ut loquitur clariss. Iurisconsultus Fr. Duar. c. 4. in tract. de reb. Ecclesiast. & nihil aliud cantant, aut cogitant quam quod olim quidam Cardinalis Romanus cecinit: Dum potui rapui, rapiatis, quando potestis imò etiam se rebus. civilibus immiscent & ut venti flant, ita velificantur, ut meus olim præceptor observ. Arnold. Glapmarius dicebat. Hic tamen non incommodè quæritur, an debeant negotia civilia tractare quod est generaliter negandum ex rationibus subsequentibus,

I.

Officium sacerdotis est divinis medijs mortales conciliare DEO, quod opus hominem ab omni sollicitudine liberum & immunem requirit.

Cas. lib. 4. in sphæ. Civi. c. 15.

II.

Sacerdotis vita theorica, non politica esse debet, si enim sit medium inter Deum & hominem, quod tandem medium est, si munus civile gerat?

Cas. d. l.

III.

Materia quam tractant ministri Dei est religio, quæ in Deum tendit: at hæc in theatro civili non sedet, prophanas & seculares causas non agit, politicas leges vi sua non condit: civiles ergò magistratus sacerdotem gerere non oportet. Cas. d. l. Vide recte Albertus Rex Polon. Creslaun Gurozuanzium Episc. Vladisla. cum dissuaderet expeditionem contra Turcam, jussit sacrorum, non belli curam gerere. Crane. lib. 21.

IV.

Secundum Chrysost. sacerdotis officium est, populum monere non movere arma. gladium enim mentis non martis tenet.

V.

Finis denique hujus divini muneris est nugas & umbras civitatis fugere, strepitus populi & multitudinis contemnere, ignorantes docere, orare semper, non maledicere, non calumniari, Deoque seipsos & alios consecrare.

Cas. d. l.

Inter-

Interdum tamen Clerici etiam ſecularibus principibus à Conſilijs eſſe poſſunt, quod & uſus hodiè ubiq; obſervat, Et aliquando neceſſarium eſt, maxime in eo Senatu in quo de cauſſis fidei & religionis deq; ſpiritualibus controverſijs deliberandum eſt. Modò à criminalibus judicijs abſtineant & intra ſui muneris cancellos ſe contineant: non ut hodiè plerunq; fieri ſolet, ſuis ſedibus relictis, voluptatum atq; ſimultatum fiant mancipia. Petr. Gregor. l. 4. Part. Iuris Cano.

QUÆSTIO XVII.

An etiam Jureconſultis ſit locus in civitate dandus?

QVod hinc inde varia de Iuriconſultis ſparſa ſint ab Platone & alijs, illa tamen non de juriconſultis veris, ſed fori tintinnabulis & rabulis intelligenda, qui aliquot juris formulis memoria mandatis in foro dominari conantur, clientulos ſuos aruſcant & exhauriunt, dum lites ſerunt & alunt non tollunt. Sed Iuriconſulti qui veri Iuris ſacerdotes meritò adpellantur, tolerandi ſunt.

I.

Iuſtitiam namq; colunt. boni & æqui profitentur notitiam: æquum ab iniquo ſeparant: licitum ab illicito diſcernunt: bonos non ſolum metu panarum verum etiam præmiorum exhortatione effiere cupiunt.

II.

Et ſine Iureconſultis civitatem rectè feliciterq; habitari non poſſe: monuit. Ariſtot. Polit. 3. c. 8.

III.

Et ſicuti morbi corporum medicorum inventis curantur: ita immanitas animorum legumlatorum exterminatur prudentia. Demoſt. Ora. 2. contra Ariſtogit.

IV.

Iuriſprudentes vero faciunt ut non faveantur duntaxat & nutriantur, adeoq; ut vivant homines, ſed etiam congregati ſimul vivant, ſed etiam ut piè & honeſtè, tranquillè & pacatè & vivant & una vivant Ioh. Kahl. Iuris Doctor in Orat: de Iuriſprud. Roma: ſtudio.

V.

Hi etiam ſunt qui Reſpublicas & imperia prudenter conſtituunt, qui magiſtratus, principes ac reges piè rectéq; inſtruunt, qui bonas leges condunt, qui judicia, curias, ſenatus & conſiſtoria regunt ac ſulciunt, qui ſcholas & Eccleſias, artes & diſciplinas apperiunt & nutriunt, qui moratos omniq; virtute ac eruditione inſtructos reddunt.

VI.

Deniq; quam laudabile, quam utile est habere politias, & Resp. rectâ & legitima imperi formâ prudenter constitutas: habere prudentes & clementes justos & fortes reges, magistratus ac Principes circumspectos, & aquos provinciarum ac munerum civilium gubernatores: & quam salutare sit habere omnia omnis generis adisthæc & singula & universa piè, decorè ac prospere tum constituenda, tum conservanda & amplificanda, ritè parta & accumulata bona atq; præsidia, tam laudabiles quoq; tam utiles, tam salutares sunt Iurisperiti, quos non immerito cum Aristotele lib. 1. Ethicorum Nicom: δικαιοπραγματικοὺς appellamus.

QUÆSTIO XVIII.

An etiam medicis sit locus in civitate?

INventi sunt quidam qui his non usq; adeo honorem magnum tribuerunt aut locum concesserunt in urbe: sed posthabitis illorum sententijs, adfirmabimus medicos valdè esse necessarios Reip.

I.

A Deo enim est omnis medela, qui vim tribuit & efficaciam sanandi rebus, unde medicinæ colligantur: Dei instrumentum est natura, & utriusq; minister, medicus, Thol. lib. 17. de Rep. c. 8. n. 4.

II.

Adfectionibus etiam varijs corpus nostrum obnoxium, non impatibile est, ut adamas: duplices corruptionis habet causas: alteras internas, alteras extrinsecus incidentes: ubi medendi scientia requiritur. Galen. lib. 1. de sanit. tuen. cap. 4.

III.

Morbi deinde per se non curantur: aut valetudo solum sustentatur corporis notitia & observatione eorum, quam aut prodesse aut obesse solent: & continentia in victu atq; cultu corporis & pratermittendis voluptatibus: verum etiam arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent.

IV.

Hanc ob causam qui rem familiarem administrant ut Reip. præsunt, magistratus curare suorum valetudinem jubentur. Aristoteles 1. Polit. 10. Cumq; per se id præstare semper nequeant, per medicos id faciant.

V.

Sunt morbi animi, sunt corporis, & ideò & animæ & corporis medici utiles Reip. talesq; exquirendi, qui sciant, possint & velint mederi Thol. lib. 17. cap. 8. n. 2. de Rep.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XIX.

An etiam Eloquentiæ locus esse debeat in civitate?

Esse debere ostendunt rationes quæ sequuntur.

I.

NAm magna est dissimilitudo Magistratuum & aliorum. Qui navim gubernant, munus remigum regendorum aliis committere possunt: & suos habent famulos opifices, qui etiam absentibus Magistris opus suum peragunt & perficiunt. Diversa magistratuum est ratio, qui opus duobus habent: mente gubernatrice in seipsis: & oratione jubente ac mandante aliis, quid faciendum aut omittendum sit.

Plutarch. de gerend. Rep.

II.

Magistratus tractant populum admodum insolentem, delicatum, contumacem, non obedientem in omnibus: ideoq; necesse habent verbis & oratione multa fingere ac conformare: non pauca quæ impedimento sunt, veluti nodos quosdam in ligno aut abscessus in ferro mollire ac levigare.

Plutarch. d. l.

III.

Neque etiam melius tractatur populus & in officio continetur, quam Eloquentiâ.

IV.

Habet etiam Eloquentia multas ac magnas vires. Veritatem ac Iustitiam defendit. leges, judicia, jura describit, hominum tenet cœtus, mentes allicit, Voluntates quò vult impellit, languentem populum incitat, effrenatum regit ac moderatur, seditiones aut antevertit aut sedat aut tollit.

Junius 1. quæst. polit. quæst. 19.

V.

Animi medicina inprimis Eloquentia est, quæ Philosophiæ rationibus ad vitia nimium elatos comprimit, devictosq; erigitet ignavos, fortes efficit. Patr. *lib. 2. t. 4. de Rep.*

VI.

Non solum in pace & otio utilis habetur, sed & in bello atq; tumultu vires alias omnes antecellit: Hinc Pyrrhus Epirot. rex ad civitates quas vi & armis subigere non poterat, oratorem mittebat. Patr. *lib. 2. t. 4. d. Rep.*

VII.

Et si rectè judicare volumus ex omnibus disciplinis nulla magis congruit civitati quam Oratoria. Versatur enim in triplici causarum genere. De quo vide latius Francis.

Patr. d. l.

Sed

Sed qui quæstus gratia garriunt & idcirco lites producunt, & penè diuturnas faciunt, quæ res in civitatibus perniciosa est, parit discordiam civium, simultates & odium, illi nequaquam sunt tolerandi, sed potius ad Garamantas atq; ablegandi.

QUÆSTIO XX.

An etiam agricolæ sint tolerandi in civitate?

ETsi sint qui improbare Agricolarum ordinem conantur: tamen non obstantibus frivolis aliorum conclusiunculis adfirmamus maximum illorum esse in Rep. usum.

I.

In omni enim Rep. ante omnia necessarium est alimentum & omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil agricultura melius esse, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius docuit Cicero pro Roscio Amerino.

II.

Cum nemo sibi satis esset, nec quisquam inveniretur tantæ industriæ, tantaq; solertiæ, ut necessaria omnia solus sibi comparare posset, societas hominum ad inventa est, quæ inprimis tribus indigeat, alimento, domo ac veste. Alimenta nobis sola Agricultura præbet, ædificium adjuvat & vestimentum penè suppetit.

Patr. lib. 1. c. 7. de Rep.

III.

Hinc propter necessitatem alimentorum in Rep. opera rustica sunt favorabilia: quæ si impedirentur & caritatem & penuriam annonæ possunt & famem inferre.

Fertilis assiduo si non renovetur aratro
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

Thol. lib. 4. c. 8.

IV.

Neque etiam urbanæ res & negotia civilia libero homine digniora sunt: quam sint rusticationes. Nam constat hanc artem colendi agros & vineas non à sordidis abjectisq; hominibus inventam atq; exercitatam fuisse: sed à primis, ac sapientissimis parentibus, adhuc in statu integritatis versantibus, usurpatam.

Frisch. in oratione de vita Rustica.

V.

Accedit etiam illud, quod agriculturam ab omni sordium atq; immunditiei suspitione, vel solum liberat: quod nimirum viri fortissimi, ac reges sapientissimi,

tissimi, quoties à bello & Reip. negotijs vacabant, propemodum omne tempus reliquum in agrorum cultura consumserunt.

Frischli. d. Orat.

VI.

Ex agricolis fiunt tandem fortissimi milites belli tempore, cum minus exercere agriculturam possunt. Sunt enim robustiores propter assiduos labores, & fide ac diligentia peregrinum militem antecedunt.

Patri l. 1. c. 7. de Rep.

QUÆSTIO XXI.

An mercatores in civitate sint ferendi?

Mercaturam esse ferendam probamus per rationes subsequentes.

I.

Societas hominum duobus videtur cõstare commercio & imperio: necessaria ideo esse Reip. commercia, utiles & necessarios Reip. mercatores statuimus, ut per illos, quæ nobis superflua sunt, exportentur & aliunde quæ nobis necessaria sunt quæve apud nos non inveniuntur importentur.

Thol. l. 4. c. 7. n. 1.

II.

Honestum etiam lucrum, quod ex industria, & negotiatione oritur, dum modo absit usura, fraus, dolus atque peieratio.

Thol. d. l.

III.

Vt sint, qui à rusticis & opificibus emant, ne si ipsi cogantur in foro emptorem expectare rus & opificia negligantur.

Plat. 2. de l. I.

IV.

Olim honor habitus mercaturæ quoq; quod ea ad barbarorum necessitudines, regumq; amicitias comparandas plurimum valebat. Plat.

Fovendi igitur erunt mercatores omnes qui labore & industria victum quæritant, & civitates longè magis abundantes reddunt his rebus, quæ usui esse possunt. Verum cavendum est ut nequaquam ea importent, quæ ad effœminandos animos pertinent, ideoq; ejusmodi mercaturam neutiquam necessariam, minus landandam putamus sed eam duntaxat, quæ superflua cum his commutat, quæ nobis usui esse possunt. Et si certis limitibus continentur, concludimus esse illos ferendos in Repub.

QUÆSTIO XXII.

An etiam poëtis locus sit in civitate concedendus?

Videtur hic primum adversari Plato, qui poetas sua è Rep. exterminavit. Hoc maximè nomine, quod moribus illi noceant: frena laxent ad omnis generis vitia: cum introducunt pessima exempla, venenum melle conditum instillent pueris, in hominum influant animos admodum molliter: fabulis, orationis genere, ornamentis, pigmentis verborum & figuris. Plat. 3. de Rep. Verum non hæc obstare omnia debent, quo minus verò poetis locus benè in constitutâ Rep. relinquatur.

I.

Nam poëtæ universæ vitæ conformandæ rationem monstrant, adfectibus nostris pacem ferunt, ac subdunt, ut nihil his melius haberi queat.

II.

Deinde poëtica nihil aliud est, quam ex omnium disciplinarum delitijs ac medullis condita placenta, seu ex lectissimis quibusq; floseulis compositum mellificium.

Erat

III

Excitant præterea & inflammant homines ad res præclaras capessendas: Et Spartanos legimus in fugam jam conversos, restitutos fuisse carminibus.

IV.

Mira insuper voluptate adficiunt homines & oblectant. Qua de causa custodibus Rerumpub. lectio poëtica etiam à Platone est permissa, ut reficiant ac recreent animos defatigatos, ac paratiores reddant ad Reip. munera obeunda: Plat. 3. d. Rep. Itaq; mirum non est, regibus ac principibus charos semper extitisse poëtas, ut multa Impp. testantur exempla. De quibus vide Iunium in quæst. polit. par. 2. quæst. 61.

QUÆSTIO XXIII.

An etiam opifices sint cives habendi?

Proxima necessitas quæ societatem humanam exigit, est in rebus, quæ artificium vel industriam desiderant, corporibusq; laborem & opus. Non igitur excludendi erunt.

I.

Quia maxima pars civitatis constat opificibus, neq; sine his onera promoveri publica & commoda possunt.

Arist. polit. 2. c. 5. & Patr. 1. de Rep. t. 8.

Deinde

II.

Deinde in omni Rep. & civitate sex requiruntur: Arma quæ milites trac-tant: divitiæ, quæ opulentos spectant: sacra, quorum sacerdotibus cura mandatur: judicia quæ magistratui cordi: alimenta, quibus agricolæ inserviunt: Et denique instrumenta varia, quæ artificum sunt.

III.

Quam primum etiam cœperunt multiplicari homines inter nepotes Adæ, cœperunt statim artes mechanicæ utpote convenientes & vitæ & labori.

Thol. lib. 4. de Rep. c. 9.

IV.

Iniquum etiam esset excludere eos velle, qui maxima Reip. onera portant, nec minus bene de civitate merentur, quam milites.

V.

Multum etiam ad commendationem opificum facit, quod non pauci reges, & opifices sunt inventi, qui vel exercitij, gratia, vel valetudinis ergò, vel etiam propter utilitatem opificia tractarunt. Exempla qui desiderat, ille adeat. Mel. Iun.

Inquæst. polit. quæst. 61.

Cum ergò necessarij non solum civitati sint opifices: sed etiam ornamento Arist. 7. polit. c. 9. Sunt enim decus artes mechanicæ urbium, ut loquitur Cassiodorus, utique jure civitatis ut fruantur, permittendum. Sed tamen hîc etiam cum Cicerone in 2. offic. distinguendum est inter artes ad necessitatem & ad voluptatem comparatas. Hæ, quæ ministræ sunt voluptatum minimè probandæ, qui illas exercent, à Rep. rectè amandat Cicero, quod sua ingenia ad perniciem civium accommodent.

QUÆSTIO XXIV.

An etiam peregrini civitate donandi?

PEregrini & advenæ grato hospitio accipiendi sunt, ubi honestæ rei gratia in urbem venerint. Pauci tamen civitate donandi sunt.

I.

Incolarum siquidem multitudo periculosa est in omni populo. Plebs namque ex diversa hominum colluvione collecta varè convenit.

Francis. Patr. l. 6. t. 4. de Rep. inst.

II.

Concordia etiam inter diversæ nationis homines vix esse potest, nec credendum est eodem studio eademque pietate teneri parvo temporis curriculo coacervatos peregrinos, qua indigenæ tenentur, qui amoris in patriam veluti se-

minarium à parentibus, majoribusq; acceperut, & charitatem in cives cum materno lacte ſuxerunt.

Patr. d. l.

III.

Ariſtoteles adfirmat populos omnes, qui peregrinos atq; incolas plures acceperunt, ſeditionibus diſcordijsq; diutius fuiſſe jactatos.

IV.

Non vult natura, ut oves cum lupis, non vult prudentia, ut cives cum peregrinis ſocientur.

Caſ. l. 5. c. 3.

V.

Nec etiam beata judicanda Reſp. quæ ex promiſcua hominum colluvie cives multos temere colligit, ſed quæ primas & antiquiſſimas familias maximè conſervare ſtudet.

Iſocr. in orat D. pace.

VI.

Periculum deniq; ſubeſt ne cives exhauriant, & opprimant, ſæpè enim civitati ſunt exteri, quod locuſta ſegeti.

Caſ. d. l.

Quapropter cautè agendum eſt cum advenis, ne temerè quivis in numerum civium recipiantur: ſi tamen magna civium inopia, ſi peregrini boni viri, ſi præter meritum ſuum miſeri, ſi amicæ nationis, præſertim vero, ſi religionis cauſa ſolum vertere juſſi, ys non tantum hoſpitium, ſed etiam ius civitatis debemus. D. Gerardus in politiis.

QUÆSTIO XXV.

An urbes mœnibus, caſtris, turribusq; circumcingi & muniri debeant?

VAria miſſilium & tormentorum bellicorum genera, quibus urbes oppugnari poſſint, jam inventa ſunt, atq; excogitata, quæ cum aliàs inſtar procellæ cujusdam erunt noſtram ſubverſura patriam, omnino neceſſum eſt, ut urbes, præſertim quæ ſitæ ſunt ad imperij fines, muris & propugnaculis ſuccingantur & obſirmentur. And. Schopperus.

I.

Nulla domus reperitur, quæ non parietibus, januis, & ſimilibus, munita ſit: & ſi beſtiæ ſua luſtra & loca tutiora habent, & aves in aptis ac ſecurioribus locis nidos conſtruunt, quidni magis tota civitas erit muniendа.

Thol. lib. 2. de Rep. c. 1.

Plato

II.

Plato lib. 6. de LL. etiam ante omnia sapientibus eam in curam incumbendum esse monet: ut adversus hostium impetus munita sit regio: habeat propugnacula ad eorundem arcendam vim accommodata.

III.

Et si Clypeo & armis corpora nostra tegimus: quidni urbes adversus hostium impetum muniremus?

Bod. de Rep. l. 5. c. 5.

IV.

Neq; pessimi facilius contineri possunt à maleficijs aut latrocinijs, quæ exercere possent, quam custodia civitatis, cujus portis occlusis, & cives, tutò somnum capere, & mali ne noctu latrocinentur cohiberi possunt.

Thol. lib. 2. de Rep. c. 1. n. 1.

V.

Constat etiam, urbes ac civitates vbi primum extructas, post firmatas muris fuisse: ut contra hostium incursiones tutæ essent fortunæ: salva bona, libera ac soluta à periculis reliqua. Plato in Protagor.

VI.

Deniq; valdè decorum est, si civitas mœnia celsissima pulcerrimarum turrium seriem speciosè ostendat & nulla in re magis quam in muris, castris & sumptuosis ædificijs magnificentia civitatis cernitur.

Cas. lib. 7. c. 13.

QUÆSTIO. XXVI.

An benè constituta in civitate Asyla constituenda ac permittenda?

Horum usum antiquissimum esse docent ipsæ sacræ litteræ, fuerunt urbes refugij constitutæ à Deo, sed non sponte delinquentibus, sed vel casu vel se defendendo, si quis nolens sanguinem fudisset absq; odio. Et fuit Romæ Asylum constitutum Dionys. Haticarnas: lib. 2. Et Athenis ara misericordiæ. Plut. in Thes. vita. sed tamen vitandus est horum abusus.

DISPUTATIO XXXIII.

MICHAELIS PICCARTI

De

NOTIORIBVS NATURA ET NOBIS,

Respondit

Melchior Jordanus, Altorfinus.

Mens. Nov. cIↃ IↃ c XIII.

THESIS I.

ANtiqua est sed multoties revocata dubitatio; Numquid in tradendarum disciplinarum cursu initium faciendum sit à Principiis ad ea, quæ ab ijs dependent? an ex adverso, ab his ad principia? perinde atq; si quæreretur, à munerarijsne ad metam, an à meta ad munerarios cursus sit inchoandus: ita ex Platone quæstionem hanc proponit Philosophus 1. Eth. c. 2.

II.

Decidit quæstionem Philosophus paucis verbis: ἄρκτέον ἀπὸ τῶν γνωρίμων: *semper à notioribus incipiendum, & ab ijs progrediendum ad ignotiora.*

III.

Subjungit deinde: Quia verò Notiora dupliciter considerantur, alia ut Nobis Notiora, alia ut simpliciter sive Natura Notiora: nova exsurgit quæstio, à notioribus Nobis, an à notioribus simpliciter, sive Naturâ exordinendum sit? Respondet timide & cunctanter: ἴσως οὖν ἡμῖν γε ἀρκτέον ἀπὸ τῶν ἡμῖν γνωρίμων. *Fortasse igitur initium nobis sumendum est ab ijs rebus, quæ sunt Nobis nota.*

IV.

Primo Physico c. 1. confidenter loquitur sine ullo dubitationis indicio: πέφυκε ἡ ἐκ τῶν γνωριμωτέρων ἡμῖν ἡ ὁδὸς καὶ σαφεστέρων, ἀπὸ τὰ σαφέστερα τῇ φύσει καὶ γνωριμώτερα. ἃ δὲ ταῦτα τοῖς ἡμῖν τὰ γνώριμα, καὶ ἁπλῶς. Διόπερ ἀνάγκη τὸ τρόπον ἔχειν τοιοῦτον, ἐκ τῶν ἀσαφεστέρων μὲν τῇ φύσει, ἡμῖν δὲ σαφεστέρων, ἀπὸ τὰ σαφέστερα τῇ φύσει καὶ γνωριμώτερα, *hoc est, Hæc autem innata

innata nobis est via, ut à notioribus Nobis magiq́, manifestis ad notiora Naturâ minusq́, manifesta progrediamur. Non enim sunt eadem Nobis nota & simpliciter nota. Quapropter hoc modo ex hisce, quæ Naturâ quidem minus sunt manifesta, Nobis autem notiora, ad ea, quæ dilucidiora sunt magiq́, Naturâ nota, progrediamur necesse est.

V.

Eadem habet Aristoteles 1. post. Analyt. c. 2. 2. de Anima textu 12. 7. Metaphys. c. 4. Alijs tamen locis multis incipiendum, ait, à primis secundum Naturam, puta: 1. Phys. t. 58. initio Elenchorum. 3. Rhet. c. 1. 2. de generatione animalium c. 4. 1. de ortu & int. t. 3.

VI.

Galenus etiam lib. 9. de decretis Hippocratis & Platonis c. 5. ita scribit: Quodcunq; à natura principium est constitutum, id à se fieri doctrina etiam cogit. Et paulò: Quocirca stultum est velle aliud naturæ rei, aliud doctrinæ invenire principium. Rectum enim doctrinæ & verum rei principium ita inter se mutuo connexa sunt, ut nulla ratione divelli à se invicem possint.

VII.

Hæc sententiarum diversitas exercuit duo Nobilissima ingenia, Iacobum Zabarellam & Franciscum Piccolomineum, qui gravissimis scriptis inter se decertarunt. Nos hâc disputatione Naturam notiorum Nobis & notiorum Naturâ evolvemus: Inde fiet, ut controversiæ huic lux aliqua affulgeat: Quam alia disputatione, si Deo ita visum fuèrit, discutiemus.

VIII.

Notiora igitur Nobis Aristoteli sunt 1. post. c. 2. τὰ ἐγγύτερον τ αἰσθήσεως *qualia sunt,* τὰ καθ' ἕκαστα. *6. top. c. 3. eadem habentur & addit,* διὸ μᾶλλον οἱ πολλοὶ τὰ τοιαῦτα γνωρίζουσι: τὰ μὲν γὰρ τ τυχόντος, τὰ δ' ἀκριβοῦς καὶ θεωρητικῆς διανοίας καὶ μαθεῖν ἔστιν, *hoc est, Notiora Nobis sunt viciniora sensibus, qualia sunt singularia, unde & vulgus illorum maximè notitiam habet; levis enim horum est cognitio, accuratior & subtilior contrariorum, hoc est, eorum, quæ à sensibus remota sunt & universalia.*

IX.

Septimo Metaphy. c. 4. t. 10. prorsus his convenientia habet, dicens: τὰ δ' ἑκάστοις γνώριμα καὶ πρῶτα, πολλάκις ῥήματα γνώριμα, καὶ μικρὸν ἢ οὐδὲν ἔχει τ ὄντος. *Quæ autem singulis nota & prima sæpenumero parum nota sunt, & parum aut nihil Entis participant.*

X.

Ex quibus locis philosophi hæc deduco: vocabulum NOBIS *notare diminutio-*

minutionem: nam & ea, quæ simpliciter aut Naturâ nota sunt, à Nobis quoq; cognoscuntur. Nota videlicet Nobis esse ea, quæ singulis sunt nota & populo non sapientibus solum.

XI.

Secundo: Talia esse singularia, quæ se offerunt sensibus, & proinde accidentibus immersa sunt: Vnde scitum Philosophorum: quanto quæq; res magis est immersa Accidentibus, tanto est Nobis notior. Tales autem sunt res compositæ, non simplices: non constituentes sed constitutæ: non causæ, sed effectus.

XII.

Tertiò: illam notitiam notiorum Nobis esse admodum infirmam, tenuem & mutabilem. Vnde Philosophus dicto 7. Metaphys. cap. 4. t. 10. vocat φαύλως γνωρισὰ. Ratio additur, quia parum aut nihil Entis participant. Quæ postrema verba cautè sunt accipienda Non enim sensum illum habent, quasi singularia non sint actu aut parum Entia: sed ita accipienda: Ea quæ sunt nota Nobis, parum nota esse, quia parum attingant ejus Entis, quod cognoscitur, & hæreant solum in cortice externo, hoc est, in ijs, quæ sensibus objiciuntur, non verò penetrent ad internam pulpam.

XIII.

Paulò aliter Bonamicus: 7. Metaphys. inquit, illa reposuit in notis Nobis, quæ parum participant ipsum Esse: hæc sunt Accidentia & inhærentia rebus, parum enim consistunt, quia non per se, sed in substantia consistunt, & cum causas habeant, sine causa verò cognoscantur, exiliter admodum cognoscuntur. Ex eodem ordine sunt composita, & quæcunq; sunt hoc aliquid: quæ & ipsa parum Entis dici possunt habere, quia sunt caduca & minus Esse habent, quàm forma sola.

XIV.

Et talia quidem sunt Nobis familiariora: sicut enim mens complicata est in corpore nostro cum sensibus: Ita delectatur familiariter sensibus & ab his initium cognoscendi faciens progreditur ad obscuriora sibi, naturæ verò manifestiora,

XV.

Neque verò hæc cognitio bruta est, aut rationis & mentis expers, ac solius sensus; sed nititur hæc quoqae cognitio ratione, sed veluti lippiente, resq; tanquam extrinsecus & superficietenus solum videnti, ad profunda verò nondum penetrante.

XVI.

Notioribus Nobis hoc modo consideratis, veniamus ad notiora Naturâ. Ita

enim

enim loquendum, non ut aliqui, notiora Naturæ: Natura enim non est facultas cognoscens.

XVII.

Neq; verè dicitur, Naturam primò novisse, quod primò facit. Nihil enim prorsus eorum cognoscit, quæ facit, sive sint priora sive posteriora.

XVIII.

Si cognosceret ea primò Natura, quæ primò facit, singularia utiq; notiora Naturâ essent, ea enim primò facit. Actiones enim & generationes sunt singularium.

XIX.

Ineptius est, quod afferunt quidam, dici Naturæ nota ideo, quod si Natura cognosceret, illa utiq; cognosceret prius: Quorsum enim Naturæ prædicatum tribuere, quod ipsi non competit, nisi ex falsa hypothesi.

XX.

Neque existimandum, prædicatum hoc notionis, non significare actum notitiæ sed familiaritatem solam: sicut familiares notos vocare consuevimus: Nam 1. poster. demonstrationes id requirere dicuntur, ut fiant ex principijs Naturâ notioribus, h. e. magis & meliori modo cognitis, quam conclusiones, atq; omnino ea omnia, quæ per demonstrationem habentur.

XXI.

Quo pertinet & locus 6 topic. ubi docet Philosophus: definitiones debere fieri ex notioribus Naturâ, quia afferunter δ γνωρίσαι χάριν: oportet ergò notiora Natura actu cognita sint & perfectè.

XXII.

D. Thomas ex loco suprà citato 7. Metaphys. cap. 4. t. 10. notiora Naturâ dicta esse censet ea: Quæ plus habent Entitatis. Unumquodq; etenim eatenus est cognoscibile, quatenus est Ens: Magis autem Entia, quæ magis actu, ideo & magis cognoscibilia Naturâ.

XXIII.

Videtur hoc hausisse D. Thomas ex t. 4. minoris A. metaphys. ubi ita Philosophus: ἕκαστον ὡς ἔχει τὸ εἶναι, οὕτω καὶ τὸ ἀληθεύειν. Ut secundum Esse se unum quodque habet, ita & secundum veritatem. Ad quæ verba Averroes: quanto magis fueris perfectum in Esse, tanto magis erit perfectum in Essendo verum.

XXIV.

Veritas autem est πάθος τῆς διανοίας, quatenus hac ita rem percipit, ut est forte, & per suum actum. Qui actus est propriè Ens, ut loquitur Philosophus 2. de Anima t. 8. & est ratio intelligendi, ut vulgò loquuntur Philosophi.

XXV.

Verum salvo summi viri judicio stare hæc sententia non potest: sic enim materia prima, quæ minimum habet Entitatis, esset ignotior Natura, notior Nobis, quod absurdum: cum materia prima inter naturalia rerum principia referatur.

XXVI.

Dictum præterea: nota Nobis non dici ea, quæ parum Entitatis habent, sed quia nos parum Entitatis ipsorum cognoscamus, Quin contrà illa Entia, quæ sunt notiora Nobis, sunt Entia completa & perfecta: nec ut Entia majorem gradum actus postulant, quam quem habent.

XXVII.

Alexander etiam eo loco monuit: Entis nomine Aristotelem persæpè significare consuevisse veritatem, quid sit, ea parum habere veritatis, non quia debilis illa cognitio non sit certissima & verissima, sed quia est modica veritas, cum solum rei corticem degustet, non ipsam pulpam, & lambat solum vitrum.

XXVIII.

Vt igitur plenè intelligamus, Quæ sint notiora Naturâ, considerandæ est duplex in hac doctrina Naturæ significatio. Vna est, qua Naturam dicimus viam nobis insitam cognoscendi 1. Phys. Altera est, qua cognita Natura opponuntur cognitis nobis.

XXIX.

Illa Naturæ significatiõ, cognoscens respicit: ista, res ipsas cognoscendas. Cognoscens in homine facultas insitam sibi habet viam, qua progrediatur, ea est à naturâ rerum. Vnde hoc fluit, inter res cognoscendas & nos, sive facultatem nostram cognoscentem, esse quendam & consensum & dissensum. Ex cujus consideratione licebit intelligere, quæ sint notiora Naturâ, quæ nobis.

XXX.

Res igitur cognoscendæ quoniam substantias suas sive quidditates inter accidentia varia involutas & veluti contectas habent, accidentia primum veluti sui ipsarum corticem offerunt, intus vero medullam celant, hoc est, quidditatem, & quidditatis quidditatem ad supremam formarum usq; formam.

XXXI

Hinc corticem qui tenet, si perfectè rem se putat tenere, miserè fallitur, habet enim minimum Entitatis, hoc est, de illo Ente, hæretq; in accidentibus: ipsa quidditas latet adhuc, & altius indaganda.

XXXII.

Sicut verò res se nobis offerunt, ita facultas cognoscens eas quoque apprehendit.

Digitized by Google

hendit. Primum enim corticem etiam ſolum tenet, & accidentibus inhæret. Poſtea ductu accidentium tanquam odoriſequi canis, immittit ſe in ipſum cubile feræ, quam inſectatur, & quidditatem quoque venatur. Sic, ut in quo deſinat eſſe & perfectio rerum, deſinat etiam facultas indagatrix.

XXXIII.

Eſt itaq; in facultate cognoſcente vis duplex. Altera quæ corticem apprehendit & vitrum lambit: altera quæ pulpam rimatur & mel ſugit. Illa ſenſus dicitur: hæc ratio. Senſum cum dico, non excludo vim ratiocinantem ſimpliciter, ſed ſenſum appello talem λόγιαν, quæ in ſenſum converſa in rudi illa cognitione hæret, quam ſenſus illi primum affert.

XXXIV.

Accipio hæc ex primo poſter. ubi philoſophus notiora Nobis illa eſſe dicit, non quæ ſenſu cognoſcimus, ſed quæ ſenſui ſunt propinquiora, & ex 1. Phyſ. t. 49. ubi non quæ ſenſus, ſed quæ ſecundum ſenſum cognoſcuntur, id eſt, à ratione quidem ſed ſenſui adhærente cognoſcuntur.

XXXV.

Quæ cognitio licet ſit rationis opus, ejus eſt tamen ſenſum ſequentis, ideo tribuitur Nobis, & ſecundum Nos eſſe dicitur. ſive, ut græcè loquitur philoſophus, καθ' ἡμᾶς: dictione ἡμᾶς ſignificante nos ſingulos, ſicut & 7. Metaphyſ. dictum eſt, & nos multos, quibus, ut 6. top. legitur, ſolidum eſt notius quam ſuperficies, & hæc quam linea, & linea rurſus quam punctum.

XXXVI.

Natura verò nota erunt, quæ ab eadem quidem virtute λογιστικῇ cognoſcuntur ſed non ſecundum ipſum ſenſum, ſed ex propria virtute operante, rerumq; ipſam naturam perſcrutante. Quæ cognitio cultioris & excellentioris eſt mentis.

XXXVII.

Dicuntur hæc nota Natura, non quia Natura cognoſcat, ſed quia notæ ſunt ſecundum naturæ ordinem, ex internis cauſis externum ac ſenſibile quiddam edentem, hoc eſt, compoſita & effectus: talem enim ſui notitiam rerum natura expetit, ut perfectè habeatur.

XXXVIII.

Notum ergò Nobis & notum Naturâ non tam dicunt res diverſas, quam ejuſdem rei rationes diverſas, ſecundum quas aliam atq; aliam eadem de re notitiam aſſequimur.

XXXIX.

At quomodo hæc rudis tenuisq; cognitio poteſt ad tantam excellentiam

nos evehere, quanta est puratum quidditatum cognitio, ? Respondet Philosophus 7. Metaphys. ἀλλ' ὅμως ἐκ φαύλως μὲν γνωρίζων, αὐτῶν δὲ γνωστῶν, τὰ ὅλως γνωστὰ γνῶναι πρόεκπίν.

XL.

Non videlicet adquiescendum est in prima illa & rudi cognitione, sed versanda sunt multa diligenter, quæ per sensum offeruntur, eaq; comportanda in mentis ærarium, simul etiam conferenda. Sic enim fiet, ut tandem ipsum Quid est rerum nobis innotescat. Vnde Aristoteles 1. de Anima: accidentia magnam partem conferre ad ipsum Quid est indagandum t. 11.

XLI.

His ita pertractatis supereſt alius nodus considerandus: ex verbis Aristotelis d. 1. Phys. cum ait: ἃ γὰρ τοῖς τὰ ἡμῖν γνώριμα καὶ ἁπλῶς: Non eadem nota Nobis & simpliciter. Vbi nota, illud ἁπλῶς idem notare quod Naturâ, quomodo usurpatur vocabulum quoque 7. Metaphys. & 1. Eth.

XLII.

Nam dicta verba non uno modo accipi possunt. Primo enim videtur Aristoteles velle, fieri non posse, ut eadem sint nota Nobis & nota Naturâ, Secundo, non semper ea, quæ sunt nota Nobis, esse Naturâ quoq; nota, aut etiam non sæpè.

XLIII.

Priorem sensum videntur inferre verba Philosophi 1. poster. ubi nota Nobis vocat vicina sensibus: Nota Naturâ remota à sensibus, hæc porro esse universalia, illa singularia. Hæc verò videntur opposita & convenire non posse, unde Themistius quoque vocat ἀναπτελιν πρεῖαν.

XLIV.

Eundem sensum & simile suggerit, 1. Eth. positum, â munerarijs ad metam, & à meta ad munerarios: qua causa Philoponus asserit, semper notiora Natura esse Nobis ignotiora & contrà.

XLV.

Posteriorem verò sensum stabilire videtur Aristoteles 6. top. cum ait: Prius esse semper notius Naturâ posteriore, ut punctum linea, lineam superficie, hanc solido: Nobis autem aliquando accidere modo oppositio: quæ vox aliquando propositionem reddit particularem.

XLVI.

Septimo quoque Metaphys. dicit singulis nota esse sæpe parum nota simpliciter. Concedit ergo aliquando esse nota. Clarissimè autem se aperit d. 6. top. ubi ita

ubi ita dicit, melius verò est tentare definire per priora, quia sit magis scientificum.

XLVII.

Sed quia non omnes capere possunt ista priora, fortasse quandoque necessarium esse per nota ipsis exstruere definitiones: Tales autem definitiones non docere Quid est Esse ipsi definito, nisi accidat idem & Nobis & simpliciter esse notius.

XLVIII.

Quid hîc dicendum: posteriorem sensum priori prævalere debere. Quædam enim sunt ita effecta, ut simul Nobis & Natura nota esse non possint: qualia sunt de quibus dictum in 1. post. Quædam verò contrà affecta sunt, ut simul sint Natura nota & Nobis quoq; nota, ut Alexander notavit ad 6. top.

XLIX.

Averroës ad 7. Metaphys. & ad 1. Phys. In Mathematicis quasdam demonstrationes dari ait, quæ simul procedant à notioribus Natura & à notioribus Nobis. Et ex 2. poster. affert exemplum demonstrationis physicæ: dicit Philosophus: si essemus supra lunam, videremusque terram inter ipsam & Solem interponi: Eclipsis tunc & Nobis & simpliciter sive Natura nota esset, nam & sensibus ipsam perciperemus, & causam simul cognosceremus. t. 7.

L.

Nec locus 1. post. nos impedit: ibi enim extrema allata sunt, singularia videlicet ultima & universalissimæ causæ, quæ utramq; rationem notiorum Nobis & Natura suscipere nunquam possunt: media tamen inter hæc nihil prohibet utramq; conditionem habere. De extremis, igitur intelligendum simile 1. Eth. & ἀνάπαλιν πορεία Themistij.

LI.

Quid præterea dices de communibus illis axiomatibus: si ab æqualibus auferas æqualia &c. Quæ uni tertio conveniunt, ea inter se conveniunt. Ea certè & Natura nota sunt & Vniversalia & Nobis quoq; ut per se nota. Vnde Aristoteles aliquando ὁδοδεικτα appellat.

LII.

Deniq; ut in practicis bona simpliciter & sua natura, sunt & homini ἐυδιαφθόρῳ τῳ δ' ὄντως bona, cibi simpliciter salubres etiam homini sano sunt salubres, cur non in Theoreticis Natura nota sint etiam homini sapienti nota? In quo lubens sisto.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

GEnus certa ratione consistit in una specie, certa ratione non consistit; similiter & species in unico individuo.

II.

Unica differentia etiamsi ultima fuerit, non sufficit ad ipsum quid est explicandum.

III.

Generatio neq; ex Ente fit per se, neq; ex non Ente.

IV.

Demonstratio universalis est particulari melior.

V.

Nemo invitus peccat.

VI.

Datur medium quoddam inter virtutem & vitium.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO XXXIV.

MICHAELIS PICCARTI

QVÆSTIONVM METAPHYSICARUM,

Respondit

Johannes Cobius, Hilperhusanus Francus.

Mens. Mart. cIↃ IↃ c XV.

L.

An omnes homines naturali inclinatione appetant scire?

Affirm.

QVamquam quidam à priore problema hoc demonstrare conati sunt, frustra tamen hactenus fuêre omnes. Vel enim per ignotiora, vel per aquè ignota sunt progressi. Aristoteles, qui ut pro more suo (attestantibus Philopono super t. 1. phys. cap. 1. & Eustrat. 1. cap. 1. Ethic.) à famosâ plerumq; & conceßâ exorditur propositione; ita hanc quoq; in Metaphysices vestibulo sumit ut manifestam & indemonstrabilem, signo tantùm eam illustrans dum inquit: propensionem hanc esse naturalem ad scientiam, ostendit amor ille innatus, quo sensus propter semetipsos, hoc est, cognitionis ergò, semotâ illâ communi sensuum utilitate, prosequimur. Hinc nos pro affirmativâ ita: Si sensus, remotis vitæ commodis, diliguntur ab hominibus propter se ipsos, homines naturâ scire desiderabunt. At verum prius. Nam sensum visus eò, quod magis nos facit cognoscere quàm alij sensus, præ cæteris omnibus diligimus seclusâ utilitate. Si igitur propter hoc sensus visus à nobis præfertur cæteris sensib⁹, quia maximè nos scire facit, & multiplices rerũ differentias oculis nostris objicit, signũ est sensum diligi à nobis quatenus est cognoscitiv⁹. Ergò & posteriꝰ. Ratio cõnexi est. Si cognitio sensitiva naturaliter expetitur, quæ tamẽ longè imperfectior est & levior cognitione intellectiva, multo magis intellectiva naturaliter expetetur, ut quæ est nobilissima scientia. Addimus & hoc: Quemadmodũ se habet materia ad recipiẽdas formas: ita intellect⁹ noster ad recipiendas

piendas rerum Species ut colligitur [illegible] 5. Sed materia naturâ appetit ſuam formam 1. Phyſ. t. 81. & multis aliis locis. Ergò & intellectus noſter naturaliter ſcire appetit.

II.

An difficultas cognitionis ſit à rebus ipſis, an verò ab intellectu noſtro?

Diſting.

Quidam Philoſophorum cum animadverterent nihil omninò in hâc univerſâ rerum naturâ eſſe ſtabile atq; fixum, omnem difficultatem ſimpliciter in ipſis reſidere rebus, ut Heraclitus & Cratylus: alij verò contrà, ut Scotus ejuſq; aſſeclæ omnem difficultatem à nobis, nullam à rebus eſſe acriter contenderunt. Nos, miſſis horum ſententijs, quæ in utramq; partem longiùs à veritatis centro recedunt, mediam tenemus & cum Thomâ, cujus ſententia Ariſtotelicæ veritati maximè videtur conſentanea, tria rerum genera facientes: res videlicet homine ſuperiores, abſtractas, perfectas & excellentis gradus: inferiores, imperfectas & tenuis Entitatis, & deniq; medias res ſenſibiles, dicimus in poſtremo hoc genere nullam, aut certè levem eſſe difficultem: in prioribus verò duobus eam partim ex intellectu, partim ex ipſis oriri rebus. Ex parte intellectus ratione primi. Cujus rei adſtipulatorem ipſum ſingularem naturæ interpretem producimus Ariſtotelem, qui 2. Metaph. c. 2. non ſimpliciter dicit, intellectum noſtrum ſe habere tanquam oculos veſpertilionum, ſed tantum ad res naturâ ſuâ manifeſtimas. Hæ autem ſunt primæ, ſublimes & ſeparatæ, 1. Metaph. c. 2. Reſpectu igitur harum difficultas eſt ex intellectu noſtro. Nam cum ex phantaſmatibus & ſenſilibus veritatem abſtruſam eruere oporteat, ut rectè docet acutiſſimus Italiæ philoſophus Cæſalpinus 2. perip. quæſt. 9. longo egemus diſcurſu, ut ea, quæ maximè involuta ſunt, quæq; primò nobis ſunt manifeſta, usq; ad prima principia evolvamus. Ex rebus ipſis, reſpectu ſecundi rerum generis: Tales namq; cum exiguum habeant Entitatis actum, longeq; à lumine mentis, quod omnis cognitionis principium eſt, recedant, non poſſunt ſupra gradum Entitatis ſuæ cognoſci. Ut enim unumquodq; ſe habet ad eſſe; ita etiam ad intelligi. Hinc philoſophus 9. Metaph. t. 20. Actus eſt ratio intelligendi, ideò quæ potentia ſunt, reducta in actum inveniuntur. Intellectus ſiquidem noſter, νοῦς παθητικὸς, cum ſit δύναμις quædam, non poteſt in actum duci, niſi ab ea, quod eſt actu. Quodlibet autem tantum habet actus, quantum Entitatis. Idcirco quæ maximè ſunt, maximè etiam ſunt cognoſcibilia, & difficultas cognoſcendi illa tantum eſt in nobis. Quæ parum habent actus, aut cum multa potentia

tentia

tentia implicatum, illa ex se parum sunt cognoscibilia & difficulter, quia remota sunt à lumine intellectus, propterea difficultas cognoscendi est ex ipsis.

III.

An Deus ut causa & principium omnium rerum ab humano intellectu naturaliter possit cognosci?

Affirm.

Eleganter & fusè hâc de re disputant Fonseca 2. Metaphys. c. 1. q. 6. Suarez disp. 26. sect. 3. Averroes 3. de an. c. 7. t. 36. quo loco Aristoteles problema hoc considerandum proposuit, nusquam autem, ut Averroës ait, explicuit & decidit. Nos, salvo doctorum judicio, Deum ut principium & causam omnium bonorum, si non omni ex parte Quidditativè & perfectissimè, minus tamen principali cognoscendi modo, ab hominibus non planè impossibile esse cognosci putamus, idq; primô probamus authoritate Aristotelis, qui 9. Metaph. text. ult. dicit: substantiarum immaterialium ignorationem non esse in nobis veluti caecitatem, qua si non sit impossibile illas à nobis comprehendi, quemadmodum caeco impossibile est videre colores. Et 12. Metaph. t. 40. & 41. appellat Deum vivens aternum, optimum immutabile & à sensilibus separatum, item t. 39. dicit primam causam, à qua cœlum & natura dependet, degere vitam optimam perpetuò, quam nos brevi tempore: eam autem esse contemplationem optimi intellectus, hoc est, divini. Cui & illud congruit, quod 10. Ethic. c. 7. & 7. Ethic. c. 13. docet, vitam videlicet hanc praestantissimam non esse hominis ipsius (subintelligo compositi ut notat Caesalp. 2. perip. q. 9.) sed quatenus divinum quid in ipso est: monetq; studendum esse, ut cum simus mortales, immortales nos reddamus, omnia efficiendo, ut ex praestantissimo, quod in nobis est, vitam traducamus. Idcirco etiam eos reprehendit, qui dicebant hominem debere humana sapere. Deinde, omnes dexterius philosophantes, summam hominis felicitatem tanquam finem ultimum, ponunt in operatione praestantissimâ. Ea verò est intellectus & quidem objecti divinissimi. Quod si igitur haec felicitas est, & finis hominis contemplatio Dei, omnino videtur hominem posse hunc suum finem obtinere. Non enim natura ullum finem frustrà constituit, quem assequi sit impossibile. Praterea, ut se unumquodq; habet ad esse, ita etiam ad intelligi 2. Metaph. t. 6. extremo. Deus autem est principium essendi omnibus 1. Cœli. t. 100. 12. Metaph. t. 38. Omnibus igitur est principium intelligendi. Et cum principia longè magis scire oporteat quàm principata 1. post t. 5. aut igitur nihil prorsus naturaliter scire poterimus, aut Deum etiam hoc modo intelligere est possibile. Amplius, si est possibilitas recipiendi hoc objectum divinum & summum bonum, erit etiam possibilitas naturalis viae & modi apprehensionis. Ratio conseq. quia natura aliàs frustra dedisset

potentiam intelligendi, si possibilitatem negasset, & viam perveniendi naturaliter ad actum hujus potentiæ. Assumtum inde constat. Si bonum hoc alicui ab alio pateſiat, poteſt iſtud intelligi, etſi nullæ vires novæ intelligendi in hominibus creentur, ſed tantum quod obſcurum erat & abſtruſum, ſine impedimento offeratur. Nec refert, quod pauciſſimi eò perveniunt. Culpa enim eſt noſtra, nempè vel ignavia, vel ſtupor ex corporea mole & pravo temperamento. Ideò materia dicitur philoſophis cauſa mali, & corporea moles mentem tardiorem reddere.

IV.

An actus ſit prior potentiâ λόγῳ ſive ratione, οὐσίᾳ & tempore?

Affirm. partim, partim diſting.

Actus definitione prior eſt potentiâ. 1. quia illud, per quod definitur aliud, prius eſt eo, cujus definitionem ingreditur. At potentia definitur per actum. Dicitur enim poſſibile quod poteſt eſſe in actu: ut viſivum, quod poteſt videre, ædificativum, quod poteſt ædificare & ſic in alijs. E. II. Tempore partim actus prior eſt potentiâ, partim verò poſterior. Poſterior, reſpectu individuorum. Prius enim eſt materia hujus hominis, quæ eſt potentâ hic homo, quàm hic homo ipſe, prius eſt ſemen quàm hoc frumentum. Prior verò ſecundum ſpeciem. Nam ſi nulla potentia tendit ad actum, niſi actus aliquis præcedat, neceſſariò actus prior erit potentia. At verum prius 9. Metaph. t. 13. & 7. Metaph. t. 32. Ubi Ariſtoteles dicit proprium ſubſtantiæ eſſe & neceſſarium, ſemper præexiſtere aliam ſubſtantiam actu exiſtentem, quæ faciat, ut puta animal, ſi animal ſit. E. III. Actum ſubſtantia, hoc eſt, dignitate & perfectione priorem eſſe potentiâ ſic oſtenditur: Quæcunq; generatione ſunt poſteriora, ea ſpecie & ſubſtantia ſunt priora. 9. Metaph. t. 15. At verò omnia generabilia prius habent potentiam quam actum ibidem. 2. Finis generationis eſt principium ut ſpecies & ſubſtantia. Actus eſt finis. Ergo actus eſt principium ut ſpecies, ſubſtantia & perfectio. 3 patet id in materia prima, quæ dicitur materia paſſiva tùm, quando ad formam, quæ eſt ſpecies & actus, venire poteſt. Quando verò actu eſt aliquid, ut terra aut ignis, tum eſt ſub forma & actu, nec unquam patitur ſe denudari tanquàm ſit propter actum, & actus ſit ejus perfectio. Et ſanè, ſi actus & forma nulla eſſet, neq; materia eſſet. Non enim eſſet finis cujus gratia. 4. denique apparet hoc principalius in ſempiternis, quibus actus tantum ineſſe dicitur, nulla verò potentia 9. Metaph. t. 17. Ex quo manifeſtè colligitur, actum ſimpliciter priorem haberi dignitate & ſubſtantiâ quàm potentiam, quæ in caducis tantum reperitur.

An ſem-

V.

An ſempiternis ut ſempiternis inſit vera ac propriè dicta potentia?

Neg.

Occaſione illius, quod modò diximus, paullò fuſius nobis excutienda vènit hæc quæſtio; quæ ut melius intelligatur, ſciendum primò potentiarum alias dici reales, quæ ſubjectum poſſibile aut potens, certo modo poſitivo realiter ad eſſe diſponunt, eiq; ut ex Ariſtotele docet vir acutiſſimi ingenij Pendaſius 2. phyſ. fol. 374. col. 1. per motum adveniunt: aliæ autem non ſunt poſitivæ & reales potentiæ ſed per translationem 5. Metaph. c. 12. t. 17. & 9. Metaph. t. 2. & potius ſunt negationes impotentiæ, quo modo nihil dicimus eſſe, quod non eſſe poſſit. Nos, ſignificatione impropriá relictá, utpote ſecundum quam ſempiternis potentiam ineſſe nihil impedit, priorem illis negamus. 1. Quia omnis potentia propriè ſic dicta eſt contradictionis tam ad eſſe quam ad non eſſe 9. Metaph. t. 17. Si igitur ſempiterna eſſent poſſibilia, poſſent eſſe & non eſſe. Quod autem poteſt non eſſe, contingit etiam non eſſe. Omnis enim potentia eſt determinati temporis 1. Cœli t. 116. & 118. item 9. Metaph. t. 17. Contingeret ergò ſempiterna aliquando non eſſe, quod implicat contradictionem. 2. Si, ubicunq; vera potentia actum præcedit, ibi actus introducitur per motum, nulla potentia in æternis erit. Verum eſt prius teſte Ariſtotele. Ratio conſeq. quia motus requirit terminos contrarios. Vbi autem eſt contrarietas, ibi & corruptibilitas, & ſic iterum contingeret æterna eſſe corruptibilia, quod eſt abſurdum. Sic cœlum, ſi eſt ſempiternum, nunquam fuit potentiâ cœlum. Nam ſi materia antea aliquandiu fuiſſet potentia cœlum, dico potentiâ proximá & non actu, utique habuiſſet tunc temporis contrariam formam formæ cœli. Si autem dàretur contrarium, quod ſemel fuiſſet in materia, iterum eſſe poſſet, & ita contingeret cœli formam rurſum expelli & cœlum corrumpi. Et hoc eſt quod philoſophus dicit 3. phyſ. t. 32, in æternis idem ſunt τὸ ἐνδέχεσθαι καὶ τὸ εἶναι. 3. Vbicunq; eſt potentia contradictionis, ibi continuatio quædam eſt & laborioſa defatigatio propter potentiam proximam ejus ſubſtantiæ, quæ eſt materia prima 9. Metaph. t. 17. ſed in ſempiternis ut ſempiternis nulla eſt defatigatio talis ibidem. Ergò. 4. Si ſempiternæ eſſent ſub potentia, contingeret ea non eſſe. Illis autem non exiſtentibus, nihil prorſus eſſet, quando omnia ab iis dependent.

VI.

An Deus moveat propriè tantum ut finis, an verò etiam ut efficiens?

Prius affirm. poſt. neg.

Pendaſius in eruenda Ariſtotelis ſententia perſpicaciſſimus 8. phyſ. parte 38. fol. 73. col. 2. duplicem vocis efficientis *uſum oſtendit, quorum alter dicatur ut genus cauſæ proprium, à tribus alijs contradiſtinctum, & definitur ab Ariſtotele principium unde motus: alter verò improprius, quomodo ſcil. de alijs etiam cauſarum generibus interdum pronunciari ſolet, qui rurſus ratione finis non malè duplex poteſt conſtitui. Vel enim finis ita impropriè facere dicitur, quatenus nihil aliud præſtat appetenti, niſi quod excitet in eo facultatem ad actum; vel quatenus ſimul eſt cauſa illius facultatis appetendi ſive naturæ, & talem finem dicimus ſolum Deum eſſe. Non ſolum enim tendunt in illum & anhelant omnia, tanquam in ſupremum propriæ perfectionis terminum, ſed etiam totum eſſe ab eo participant. In poſteriori hoc uſu, ſecundum quem Deum efficere non ignoramus, pondus & cardo noſtræ quæſtionis non voluitur, verum in priori: an videlicet Deus efficientis rationem ſubeat in genere efficientis propriè ſic dicto, hoc eſt, quod eſt principium mutationis, non autem per metaphoram aliquam aut ſimilitudinem, ubi cum omnibus ſanioribus philoſophis firmis eorum rationibus armati in negantem imus ſententiam. 1. Quia omne efficiens agit cauſa melioris 2. Cæli t. 46. Deus non agit cauſa melioris ex 12. Metaph. t. 37. 39. & 51. ubi Deus dicitur optimum quo nihil melius & 2. Cæli t. 62. Optimo ineſſe bonum ſine actione. Hinc 12. Metaph. t. 55. reprehenditur Anaxagoras, quod ipſum bonum poſuiſſet ut efficiens, unde ſequeretur illius principium eſſe aliud & quidem melius principium. 2. Omnis appetitus eſt ex indigentia, quæ ex materia provenit ut colligitur ex 1. Phyſ. t. 81. In Deo nulla eſt indigentia. Eſt enim forma, quæ ſe ipſam non appetit. Ergò nullus quoq; appetitus. Si nullus, non igitur movet ut efficiens, quia hoc movet quatenus appetit. 3. Proprium efficientis eſt facere aliquid in aliquo. Deus autem ſimul eſt autor illius in quo, id eſt, materiæ. Non enim difficilius ei eſt ſubjectum quam in ſubjecto aliquid conſtituere. 4. Primus motor dicitur virtutis immenſæ 12. Metaphyſ. t. 41. Si igitur ageret ut efficiens, motus fieret in non tempore. 5. Deus movet non motus. Neque igitur ut efficiens. Nam hoc in efficiente neceſſarium eſſe conſtat ex 1. de ort. & int. c. 6. t. 43. Vbi Ariſtoteles dicit ea facere aut pati propriè non poſſe, quæ ſe mutuò tangere nequeant. Propriè, inquit, quia ut rectè Philoponus, efficientis nomen propriè locum habet in rebus, quæ alterando agunt, quod proprium eſt corporearum contrarijs qualitatibus præditarum. Et t. 45. negat move-*

re idem

re idem esse quod efficere, quia detur movens non motum. Omne autem agens vicissim pati, itemque agere & pati esse in invicem mobilibus & motivis. Quod verò Deus ut finis & desideratum moveat, partim ex jam dictis liquet, partim verò ex 12. Metaph. t. 37. Ubi, postquam multa hac de re disseruisset Aristoteles, tandem concludit; Movere itaq; Deum ut amatum. Nec tamen hoc quisquam putet, ac si Deo creationem hujus Vniversi, quæ maximè ἀϊδιος videtur, denegare velimus. Hâc enim longè eminentiorem rationem ei tribuimus, quam Latini vocant dependentiam per emanationem, quæ cum esse omnibus tribuat, & simul appetitum, dicitur efficere, non tamen ut faber facit, sed improprio aliquo modo, quemadmodum etiam sol dicitur efficere radios aut lumen.

VII.

An primum Ens sit absolutè simplex & purus actus?

Affirm.

Primò. Quod est perfectissimum, illud etiam est simplicissimum. Longè enim perfectius est habere summam & consummatam perfectionem in unitate essentiæ, quam ex plurium junctione. Primum Ens est tale. 1. Cœli. c. 9. t. 100. ubi omnia suum esse & vivere ab eo habere dicuntur. 2. Si DEVS esset compositus, componentia certè priora essent ipso composito saltem naturâ & definitione. At hoc est absurdum: quia sic Deus non esset primum Ens & primæ Quidditas, neq; principium omnium, sed haberet ipse quoq; principia, à quibus dependeret & ejus Quidditas resolveretur in Quidditates principiorum. 3. Si omnis compositio prærequirit componens, quæro, quisnam ipsum composuerit? Non ipse seipsum, fuisset enim antequam esset. Non alius: haberet enim se aliquid prius & superius, quod componens potius esset Deus, à quo ipse fuisset passus. 4. Vel singula componentia habent suum esse proprium non participatum ab alio, vel nullum, vel aliquod, à quo cætera fluant. Singula, quæro iterum, cur componentur? alterum alteri quid prodesset, & quid ea componeret? præterquam quod absurdum sit dare plura entia necessaria. Caderet enim unitas primi principij. Si nullum, Ergò ab aliquo priori producta sunt omnia, & sic Deus haberet causam priorem efficientem. Si aliquod tantum haberet esse suum proprium & completum ex se, reliqua autem ab eo dependerent, jam totum compositum non esset independens, quale tamen esse primum Ens inferiùs demonstrabitur. Deinde, si manarent cætera ab hoc, fieret illud vel naturaliter vel non naturaliter. Si naturaliter: dependerent ergò ab efficiente & haberent materiam, sine qua naturaliter nihil producitur. Si non naturaliter, hoc est, sine efficiente & materia; Continet ergò in seipso eminenter omnem perfectionem. Aliàs enim non

poſſent cætera ab ipſo manare. Hæc igitur, quia ad ipſius Entitatem nihil faciunt, non erunt etiam in ipſo, ita ut ipſum conſtituant, quia ab ipſo producta ſunt.

5. Nullo modo compoſitionis compoſitus eſſe poteſt. Non ex materia & formâ, quia eſſet corporeus. Non ex Ente & eſſentia. Hæc enim non ſunt diſtincta, niſi in iis, quæ habent materiam. Neq; ex ſubjecto & accidente. Accidentium enim cauſa eſt materia.

VIII.

An primum Ens ſimpliciter ſit immutabile?

Affirm.

Fluit tota ferè hæc noſtra aſſertio ex ſimplicitate primi principij in præcedente problemate demonſtratâ. Primò enim, ſi poſſet mutari, haberet potentiam, & ita eſſet compoſitum ex actu & potentia. 2. Si primum Ens, hoc eſt, Deus mobilis eſſet vel mutabilis, aut mutabilis eſſet à ſeipſo, aut ab alio. Non ab alio; de hoc enim rurſus quæretur, an ſit immobile, an verò mobile. Qualecunq; autem eſſet, Deo prius, & potius ipſum Deus eſſet. Non à ſeipſo. Diſtingueretur enim in partem moventem & partem motam, quod oſtenditur 8. phyſ. eſſe neceſſarium, & ſic iterum non eſſet ſimpliciſſimus. 3. Omnis mutatio requirit aliquam compoſitionem. Nam id quod mutatur, neceſſe eſt, ut ſub utroq; termino maneat. Vnde etiam 7. Metaph. oſtenditur generationem atque corruptionem neq; materiæ eſſe neq; formæ, ſed compoſiti. Eadem autem eſt ratio de alijs mutationibus. In omni eſt ſubjectum & duo termini. Eſſet igitur compoſitus ex ſubjecto & uno termino & haberet potentiam. 4. Si mutaretur Deus, vel in melius mutaretur vel in deterius. Non in melius. Nihil enim ſe habet melius, & impium eſt vel umbram alicujus imperfectionis imaginari in perfectiſſimo Ente. Mutari autem in deterius non poteſt, quia eſt optimus eſſentialiter. Extrema verò mutationis ſi ponantur indifferentia, neutrum melius aut deterius, nulla erit cauſa, cur ab uno ad alterum mutetur. Fruſtrà autem Deus nihil facit. 5. Extremorum Entium extremè oppoſita eſt natura. Materia prima in altero extremo eſt infimum Ens & ſex entium, cujus eſſe eſt merum poſſe. Ergò Dei tanquam alterius extremi poſſe eſt merus actus. Si merus actus, Ergò immutabilis.

6. Oſtendit Ariſtot. ſubtiliſſimè 8. phyſ. & 12. Metaph. t. 38. ſme mutatione lo-

ci, quæ eſt prima omnium, nullam aliam eſſe poſſe. Sed Deus eſt exemtus ab hác ut docetur ibidem. Ergò ſimpliciter eſt immutabilis.

IX.

An omnia entia à solo Deo dependeant, ipse verò à nullo?

Affirm.

Probamus hoc 1. ex philosophiæ principe Arist, qui 1. Cœlit. 100. scribit, esse naturam quandam immortalem ac divinam, unde cæteris alijs obscurius, alijs exactius ipsum esse vivereq; dependeat. Et 12. Metaph. t. 38. à tali principio pendere Cœlum & naturam. Rationes, quibus innitimur, has ponimus. 1. Quod est maximè Ens & maximè verum, est causa Entitatis & veritatis in cæteris 2. Metaph. t. 4. Deus est maximè Ens &c. Ergò. 2. Quidquid habet esse à se ipso, non dependens ab alio, id nullâ ratione ab alio dependere potest, neq; esse ejus alterius gratia. Absurdum enim est, habere in se optimum & præstantissimum nempè esse à se ipso, & aliud tamen appetere. 3. Quod si præter Deum plura darentur talia, quæ essent à se ipsis, & non dependerent ab alio, inconspirantem Vniversi faceremus naturam. Alterum enim alteri nihil conferret, sive esset sive non esset. 12. Metaph. t. ult. neq; alterum appeteret, quia unum quodq; haberet perfectionem in seipso. 4. Si Deus non est primum Ens, à quo omnia habent esse dependens, Ens non erit ab uno, sed univocum. Si univocum, erit igitur quædam communis natura Entis, quæ multiplicabitur in materia, & ita Deus erit materiatus. Omnis enim multitudo est à materia 12. Metaph. t. 49. Multitudo principatuum non est bona 12. Metaph. t. ult. At si darentur plura non dependentia, essent plura principia seu plures principes. Nec quicquam proficiunt illi, qui hîc pro materia primâ excipiunt, eam quidem non esse principem, quia sit subjectum patiens; hoc autem non esse absurdum, dari duo principia in æternitate æqualia, quorum unum sit agens, alterum verò patiens. Nam ubi ordo est inter æqualia, ibi est causa ordinans, quæ unum præfecit, alterum subjecit, & hæc causa oportet ut utrumq; coordinatorum in suâ potestate habeat, atq; utrumq; etiam debet causam ordinantem agnoscere tanquam superius principium. Si igitur Deus & materia prima æqualia in æternitate & esse sunt coordinata, aliquid Deo & materiâ superius & prius esse necesse erit, à quo utrumq; dependeat, alioqui ejus imperium non agnoscerent. Sed hoc est absurdum. Ergò & illud. Quia tamen datur ordo, oportet alterum esse ex seipso prius. Ipse igitur Deus sibi ipsi materiam subordinavit, & habet eam in potestate suâ, quod fieri nullo modo potest, nisi secundum esse quoq; ab eo dependeat. 6. principium appetitus est intellectus. Materia prima appetit divinum per se. Ergò quia intellectus ipsa non est, saltem ab intellectu per se dependet. Si autem materia

teria esset substantia per se indepedens, non minor esset ipso Deo, neq; egeret formis, neq; appeteret. Vt igitur servetur ordo & conspirantia universi, dicendum, unum tantum esse principium ex se ipso, & ab hoc uno omnia pendere, & illius ratione subsistere. Vnde sublata prima substantia omnes aliæ substantiæ pereunt, haud aliter, quam sublatis his substantijs, pereunt omnia accidentia, ob quam causam Ens dicitur ab uno, quia accidentia pendent à substantia sensibili, sensibilis ab insensibili & abstracta, hæc autem à nullo amplius, ab ipsa verò omnia.

Επιμετρα.

I.

CORruptibile & incorruptibile genere differunt. 10. Metaph. c. 10. t. 1, & seqq.

II.

Infinitum additione seu multitudine finito tempore percurri non potest. 2. Metaph. t. 13.

III.

Corpus esse divisibile in infinitum cum Aristotele affirmare non dubitamus 1. de ort, & inter. cap. 2.

DISPU-

DISPUTATIO XXXV.

MICHAELIS PICCARTI

QVÆSTIONES MISCELLÆ.

Respondit

Sebastianus Hainlin, Norimberg.

Mens. Octob. cIↃ IↃ c XV.

I.

An Metaphysica oriatur ab experientia?

Affirmatur.

CVm experientia generet scientiam 1. Metaph. 1. experientia autem sit per sensum, ibidem; abstracta verò â materia, sensum effugiant: non quæsiverit quis sine causa, utrum prima philosophia, quæ circa substantiam separatam versatur, oriatur ab experientia? Nos supercilioſa sententiarum enumeratione omissa, litem dirimere conabimur dicentes, scientium separatarum substantiarum esse ab experientia, non quo modo cognoscuntur substantiæ illæ, sed ratione principiorum. Non enim necesse est, ut quæ sub scientiam cadunt, sub propria forma subjaceant sensui & experimento; sed sufficit, si id fiat virtute principiorum cognitionis. Motus v. g. tanquam effectus primi motoris deducit nos in hujus cognitionem, iste autem effectus principium est quoad nos & sensui subjacet. Nec refert licet ipsa motus æternitas sensui nota non sit; non enim necesse est omnes conclusiones experientiâ confirmari, modo principia nota sint. Neq; est quod quis ogganniat: Metaphysicam, quæ aliàs optima scientiarum â philosopho dicitur 11. Metaph. & principalissima 1. Metaph. t. 2. honorabilissima 6. Metaph. t. 2. hac ratione fore incertam: Certitudo enim alicujus scientiæ dupliciter æstimari potest: vel prout â nobis acquiritur, vel ut jam acquisita tenetur, confirmatq; se naturæ & cognoscibilitati rerum. Quamvis itaq; in acquisitione hujus scientiæ, intellectus noster non malè comparetur oculis vespertilionum 2. Metaph. cap. 1. id tamen possessioni malè accomodatur.

II.

Num Metaphyſicus definiat, aut demonſtret? Negatur.

CVm Ens, quatenus Ens, quod ſubjectum eſt Metaphyſices, ſit, quod eſt ſimpliciter & primum, id eſt ſubſtantia 7. Metaph. t. 4. ſubſtantiæ autem ſint indemonſtrabiles, ut apertè ſcribit Ariſt. 6, Metaph. t. 2. poſt. t. 2. quod & ratione patet: in omni demonſtratione neceſſe eſt, ut alterum de altero demonſtretur: cum verò ſubſtantia hujusmodi non ſit, patet eã demonſtrari non poſſe. Quatenus igitur Metaphyſicus agit de ſubſtantia, non demonſtrat. Quin neq; definit: ſiquidem omnis definitio eſt diviſibilis: quippe cum ſit oratio. De quibus verò agit primus philoſophus, ſunt indiviſibilia. Quæ enim nullam habent materiam neq; ſenſibilem neq; intelligibilem, ea indiviſibilia omninò & ſtatim unum eſſe, manifeſtum eſt 8. Metaph. t. 16. Illorum ergo, de quibus agit Metaphyſicus, neq; erit definitio. Non ſequitur autem hinc: viliorem eam aut minus exactam eſſe reliquis ſcientijs, ſiquidem 1. hoc fit propter nobilitatem & præſtantiam ſubjecti (ex ſubjecti autem dignitate æſtimatur dignitas ſcientiæ, ceu colligere eſt 1. anim. t. 1.) quod modum iſtum non admittit. 2. Quia omnium rationes ſeu definitiones, quas cæteræ ſcientiæ ſupponunt, reſolvit in priorem, & tandem in primam irreſolubilem. Hinc tanta ejus dignitas eluceſcit ut ſola mereatur κεφαλὴν ἐχουσα ἐπιστήμη dici 6. Eth. c. 7.

III.

An Metaphyſiſica ſit ſcientia Univerſalis? Affirmatur.

METaphyſicam ſeu primam philoſophiam, ut vocatur ab Ariſt. 6. Metaph. t. 3. & colligere eſt 3. cœl. t. 2. 1. ort. & int. t. 14. univerſaliter de Ente, quatenus Ens eſt, agere, non quemadmodum reliquis ſcientiæ genus quoddam cumſcribentes ſecundum partem, tradit Ariſt. 6. Metaph. t. 1. 11. Metaph. c. 3. At quomodo, ſi unam ſubſtantiam ſibi vendicat, ceu diſtinguuntur invicem ſcientiæ à philoſopho 12. Metap. t. 29. & 5. ejusdem? An quia conſiderat primum analogatũ, cui primò & univerſaliter affectiones per ſe inſunt, in cæteris per analogiam ad primum & per primum? Si namq; non eſſet ſubſtantia aliqua prior naturali, phyſica ageret de Ente tali 6. Metaph. t. 3. Ideoq; cum Ariſt. 7. Metaph. in fine propoſuiſſet agere de Ente, ut Ens eſt, in 8. Metaph. ſtatim incipit agere de ſubſtantia. Non autem hinc ſequitur: Metaphyſicam eſſe omnium generum ſubalternorum ad imas usq; ſpecies ſpeculationem. Hoc namq; ſit in generibus Univocis. Et ita intelligendus eſt Ariſt. 1. poſt c. 23. cum inquit: ejusdem ſcientiæ eſſe, conſiderare totum & partes.

An

IV.

An accidentia ſint Entia per interna quædam principia ſui formaliter? Affir.

QVicquid habet eſſentiam realem & abſolutam habet etiam exiſtentiam ſive eſſe reale & formale; quippe eſſentia & exiſtentia re non differunt: neq; enim differunt Ens homo & homo, Ens color & color, ut colligere eſt 4. Metaph. t. 3. 5. Metaph. t. 4. 10. Metaph. t. 8. Sed accidentia habent eſſentiam abſolutam quæ exprimitur per prædicata formalia Ergo &c. 2. Accidentia dicuntur ineſſe. Ergo eſt aliquid quod in eſt, diverſum ab eo, cui ineſt, atteſtante philoſopho 1. Phyſ. c. 3. t. 25. 8. Metaph. t. 16. dicitur Ens ſtatim eſſe ſubſtantiam, quale &c. vult igitur Philoſophus quodlibet horum habere ſuam propriam Entitatem intrinſecus & formaliter. Sed monemus non ſtrictè & ſecundum rigorem accipiendum eſſe formaliter: *quippe ſolus Deus eſt Ens formaliter: ſolus enim eſt principium omnibus eſſendi 1. Cœl. t. 100. 12. Metaph. t 38. Sed formaliter hic ſumo, quatenus non quidem diſtincta Entia ſed diſtinctos gradus participationis & terminos diſtinctos ſignificat. Declaro exemplo: ſolum animal eſt formaliter ſanum: medicamentum etiam eſt ſanum; at non differt formali ſanitate ab animali ſano: non enim medicamentū in ſe habet ſanitatem formaliter, quemadmodum animal, ſed dicitur per denominationē ad ſanitatem animalis. Interim medicamentum ſanum differt formaliter á pulſu ſano, qui etiam per denominationē dicitur ad animal ſanū; quia alia eſt forma denominativa in pulſu, alia in medicamento. Sic etiā in formalitate res ſe habet: neq; ſubſtantiæ ſenſibiles, neq; accidentia ſunt formaliter Entia: ſubſtantiæ tamē perfectius, accidentia impreſectius. Patet, ut arbitramur, quo modo accidentia ſint Entia formaliter.*

V.

An, quod uni rei eſt ſubſtantiale, alteri poſſit eſſe accidentale? Affir.

DVrior quamvis prima fronte iſthæc appareat ſententia: accuratius tamen in eam intuenti videbitur nullo modo á veritatis centro recedere. Id quod vel inde manifeſtum fiet. Intellectio v.g. Deo eſt ſubſtantialis; cum in eodem intellectus, intellectio & intelligibile non differant, ut diſcere eſt ex 12. Metaph. eadem tamen homini eſt accidentalis. An res procedit, quia univocè de Deo & homine dicitur intellectio? Quin & idē in Synonymis videre eſt. Quandoquidē figura ſphærica cœlo eſt ſubſtātialis, ſeu patet 2. Cœl. t. 22. ligno vero accidit. Sic calor eſt ſubſtantia ſanguinis, eſt ut autē eſt in aqua, eſt ejus accidens. Vberiorus tractationis ergo addo, omnes materiales formales formas: ſi per ſeipſas ſecundū naturā & Entitatis ſuæ gradū cōſiderentur, nihil eſſe, niſi Entia in categorijs accidentiū,

id est, Qualitates aut Quantitates &c. substantiæ autem rationem omnem pendere ex fine. Quæcunq; enim finis & perfectionis rationem habent in materia, dicuntur ejus formæ substantiales 4. Meteor. ult. Patet hinc idem rationem formæ substantialis & accidentalis habere posse.

VI.

An substantiæ nihil sit contrarium? Disting.

Disertè quidem scribit Arist. in categ. substantiæ, substantiam substantiæ non esse contrariam. Verum ibi vel totam intelligit, vel materiã quæ inter principia maximè est substantia. Aliquando tamen concessit substantiam substantiæ contrariam, nempe differentias seu rationes substantiales materiæ esse cõtrarias, & totam substantiam ratione differentiæ, alteri esse contrariam. Id quod probamus 1. Phys. t. 50. dicit, in omni genere uno unam esse contrarietatem, substantiam autem genus unum esse. Item 10. Metaph. t. 13. omnem perfectam differentiam esse contrarietatem, & t. 16. ex quibus ultimis fiunt transmutationes, esse contraria. Ratio etiam suadet: si enim substantiæ nihil esset contrarium, vel nulla esset in substantia mutatio, vel quævis substantia ex qualibet fieri posset. Ratio enim cur nigrum fiat ex albo & non ex dulci, nulla alia est, quàm quia dulce non est contrarium nigro ut album: formæ igitur substantiales corruptibilium necessariò sunt contrariæ. Verum interim nos non latet, ista contraria non ex se habere ut sint substantiæ. sed ex habitudine ad subjectum sive ad materiam quæ ex se est substantia id est subsistens. Hinc dicit Arist. 1. Phys. c. 5. & 6. principia substantiarum esse partim contraria, partim non contraria.

VII.

An cœlum sit ingenerabile atq; incorruptibile? Affirm.

Quicquid generatur aut corrumpitur habet contrarium ex quo generetur & in quod corrumpatur, itemq; subjectum in quo ista contrariorum vicissitudo suscipitur. Corpus autem quod naturaliter in circulum fertur, quale est cœlum, contrarium, non habet. Ergo neq; generari neq; corrumpi potest. Major probatur ex 1. Phys. Minor probatur: Quicquid habet contrarium habet etiam motum contrarium, motui suo naturali, quo scilicet contrarium ipsius fertur; id verò quod circulo fertur non habet motum aliquem suo naturali motui contrarium. Ergo &c. Major patet ex eo, quia motus arguit suum principium, quod est natura; talis autem motus qualis natura & vicissim. Contrariarum igitur naturarum contrarij erunt motus. Quare ubi nullus datur contrarius motus,

tus, neq; natura contraria datur. Motui autem circulari, quem cœlo naturalem diximus, nullum esse contrarium manifestum est: Etenim si quis motus esset circulari contrarius, utiq; esset rectus: hic enim maximè videtur circulari esse contrarius: Si enim rectæ lineæ maximè videtur opposita circulari, quidni motus rectus circulari maximè sit contrarius? At hic circulari non est contrarius. Ergo nullus. Minor ostenditur: Si omnü rectus alteri recto est contrarius, & unum uni tantùm est contrarium ut docetur 10. Metaph. c. 15. nullus igitur rectus contrarius erit circulari. Patet in cœlo non esse contrarium, ex quo sequi possit generabilitas & corruptibilitas.

VIII.

An necesse sit dare aliquam substantiam primam & immobilem? Affir.

CVm neq; in movent ibus & motis, neq; in causis efficientibus essentialiter subordinatis, attestante multis locis Aristot. detur progressus in infinitum; necesse est dari motorem primum immobilem. Licet enim omnibus orbium motoribus hoc proprium sit, ut primi motores dicantur; movent tamen efficienter cum primus simpliciter, non efficienter sed Metaphorico moveat motu. Sed esto moveatur: movebitur ergo aut locali motu aut alio puta alteratione &c. Non posterius: sic namq; corruptioni fieret obnoxius. At hoc absurdum. Quod ita ostendimus: Aut enim mundus est æternus secundum Arist. aut, quod sacræ paginæ loquuntur, est aliquando factus. Si æternus, ergo datur æterna ejus substantia. Si genitus. Ergo ab aliquo. Hoc vel est sempiternum, & habetur propositum, vel factum. Si factum, ergo ab aliquo, de quo rursum quærendum est, & vel infinitum abeundum, vel in aliquo sempiterno standum. Neq; prius, puta, ut moveatur motu locali: Si namq; locali motu moveretur, moveretur circulariter, quippe qui inter locales est perfectissimus 8. Phys. t. 56. est enim mensura omnium cæterorum 4. Phys. t. 133. Verum prima causa non movetur circulariter, eo ipso enim motu movet. Idem autem non movet & movetur eodem motu. Sequitur ergo primam causam esse immobilem.

IX.

An corruptibile & incorruptibile genere differant? Affirm.

QVoniam contraria specie sunt diversa, corruptibile autem & incorruptibile contraria sunt, videri possit specie tantum esse diversa; sed si consideremus, quod inter corruptibile & incorruptible non sit tantum contrarietas secun-

dum formam & actum; sed etiam secundum potentiam & materiam, quia in-
corruptibile talis est privatio, quæ non tantum est actus privatio, sed etiam po-
tentiæ: quia est determinata impotentia scilicet corruptibilitatis, adeò ut etiam
sit contrarietas materiæ: (potentia enim materiam significat) necessarium est
ut dicamus ea non tantum specie sed & genere esse diversa. At quomodo si con-
traria ejusdem sunt scientiæ? ut testatur philosophus 4. Metaph. t. 4. Aut igitur
diversa genera sub unam cadent scientiam? absurdum. Aut corruptibile & in-
corruptibile non differunt genere? An cum Casalp. est respondendum? genera
prædicamentorum non esse genera considerata in scientijs, sed apud Logicos: qui
diversam prædicandi formam respiciunt. Idcirco sub una scientia continen-
tur, quæ in diversis sunt prædicamentis: nam ex eodem genere dicuntur esse
medium & extrema: quia per se sunt.

DISPUTATIO XXXVI.

MICHAELIS PICCARTI

DE DVPLICI RES TRACTANDI MODO

ΛΟΓΙΚΩΣ AUT ΦΥΣΙΚΩΣ.

Respondit

Daniel Hatzkius, Thuringus.

Mens. April. cIↃ IↃ c XVI.

THESIS I.

VErsanti diligenter in lectione Aristotelis non potest non occurrere diversus considerandi res modus: quo & se usum utroque non diffitetur, & observandum etiam à nobis per consequentiam indicat.

II.

In serijs enim disputationibus ait se initio disputaturum λογικῶς, deinde καὶ ἀληθειαν. Priorem modum etiam per vocem Διαλεκτικως effert: posteriorem per Αναλυτικῶς, πραγματικῶς, sæpius autem per Φυσικῶς, per alios item plures terminos, de quibus deinceps.

Videa-

III.

Videamus loca quædam Aristotelis, initio ducto à libris organicis. Primo igitur Top. c. 12. cum Philosophus propositionum & Problematum tria genera constituisset, Ethica, Physica & Logica, subjungit: πρὸς μὲν οὖν φιλοσοφίαν καὶ ἀλήθειαν περὶ αὐτῶν πραγματευτέον. Διαλεκτικῶς δὲ πρὸς δόξαν, *hoc est, de his propositionibus sive Problematibus, ad Philosophiam quidem agendum est ex veritate; ad opinionem verò Dialecticè.*

IV.

Alter locus est 1. posterior. Analytic. c. 16. Κατὰ μὲν ἔνδοξον συλλογιζομένοις καὶ μόνον διαλεκτικῶς. δῆλον, ὅτι τοῦτο μόνον σκεπτέον εἰ, ἐξ ὧν ἐνδέχεται ἐνδοξοτάτων γίνεσθαι ὁ συλλογισμὸς, πρὸς δ' ἀλήθειαν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων δεῖ σκοπεῖν. *Hoc est: Atque ijs quidem, qui suas cõclusiones ad opinionem dirigunt, & Dialecticè tantum disputant, illud modo videndum est, ut sint quàm maximè consentaneæ hominum opinionibus, quæ ad probandum aliquid accipiuntur. Iis verò, qui ad veritatem tendunt, quid in ipsâ re sit, spectandum est.*

V.

III. Locus est 1. Post. c. 19. in disputatione illa nobili de statu scientiarum. Ibi ita inquit: λογικῶς μὲν οὖν ἐκ τούτων ἂν τις πιστεύσειεν περὶ τοῦ λεχθέντος. Ἀναλυτικῶς δὲ διὰ τῶνδε. *Ac Logicè quidem consideranti, hæc argumenta persuadere possunt, id ita esse, quod dico: Analyticè autem, si hæc spectentur ex talibus. Et mox eodem cap.* Ὅτι δ' ἴστανται, δέδεικται λογικῶς μὲν πρότερον, Ἀναλυτικῶς δὲ νῦν. *Statum dari, Logicè quidem ante vidimus: Analyticè verò nunc.*

VI.

IV. Locus est 3. Phys. c. 5. t. 40. & 42. λογικῶς μὲν δὴ σκοπουμένοις ἐκ τῶν τοιῶνδε δόξειεν ἂν οὐκ εἶναι σῶμα ἄπειρον: φυσικῶς δὲ μᾶλλον θεωροῦσι. *Logicè quidem igitur considerantibus ex his talibus, corpus non videtur esse infinitum: Physicè verò magis rem intuentibus ex hisce.*

VII.

V. Locus est 8. Phys. c. 8. t. 70. Οἷς μὲν οὖν ἄν τις ὡς οἰκείοις λόγοις πιστεύσειεν: λογικῶς δὲ σκοποῦσι καὶ ἐκ τῶνδε δόξειε τὸ ταὐτὸ τοῦτο συμβαίνειν: *Hæ igitur talesve quædam sunt rationes, ex quibus, ut proprijs quibusdam, credat quis, motum rectum perpetuò continuum esse non posse. Hoc idem insuper ita se habere videbitur, si & λογικῶς (vertunt differendi modo) considerabimus.*

VIII.

Ex his alijsq; locis Aristotelis, constat: duplicem esse de rebus agendi modum, Logicum & Physicum. Qui verò uterq; sit, & quàm iterum varius, nõ ita liquet. Duce igitur Aristotele, & veluti Theſei filo utentes inquiram utrumque, adhibentes genuinorũ ejus interpretum scholia, & sic, ut spero, nos tandem expediemus.

Primum

IX.

Primem igitur loc.. Alexander, unicus ex Grac.. 1. Topico sumtum quod attinet, ad eum sic notat rum librorum interpres. Εἰπὼν τ̃ σχεδλημάτων ἢ καὶ σχοτάσεων τὰ μὲν ἠθικὰ εἶναι, τὰ δὲ φυσικά, τὰ δὲ λογικά: σχεστήσιν, ὁτὶ τῷ μὲν φιλοσόφῳ καὶ τ̃ ἀληθείς δεῖ τὴν σὲρὶ τούτων γίνεσθαι ἐξέτασίν τε καὶ πραγματείαν. Καθ' ἕκαστον γὰρ εἰδ@ τ̃ σχεσειρημένων, τ̃ τὸ ἀληθὲς χάριν εὑρίσκειν τὴν καὶ ταύτα πραγματείαν ποιεῖται. ἐν μὲν τοῖς πολιτικοῖς Ακροάσεσι σὲρὶ τ̃ ἠθικῶν. ὥστε τὰς ἀληθῶς σχὸς αἵρεσιν καὶ φυγὴν συντεινούσας σχοτάσεις ἐκλέξει, καὶ σὲρὶ τ̃ ἀληθῶς γνωσθῶν ἐν ταῖς θεορητικαῖς τε καὶ φυσικαῖς τὰ ὡς ἀληθῶς ἀληθῆ ζητήσει &c. λογικῶς δὲ ἢ Διαλεκτικῶς σχὸς δόξαν. ὡς ἐντε ταύτῃ τῇ πραγματείᾳ καὶ ἐν τοῖς ῥητορικοῖς, καὶ ἐν τοῖς Ἐξωτερικοῖς: Καὶ γὰρ ἐν ἐκείνοις πλεῖστα καὶ σὲρὶ τ̃ Ηθικῶν καὶ σὲρὶ τ̃ Φυσικῶν ἐνδόξως λέγεται.

X.

Hinc si attendas, λογικῶς considerare rem, est ἐξ ἐνδόξων considerare. Φυσικῶς verò sive κατ' ἀλήθειαν intueri, est rerum ἀκρίβειαν & τὸ ἀληθὲς venari.

XI.

Ad II. locum Philoponus sic commentatur: ὁ Διαλεκτικὸς Συλλογισμὸς τὸ δοκεῖν λαμβάνει ὡς ἀναγκαῖον, ὁ δὲ ἀποδεικτικὸς τὸ δοκεῖν τὸ ἀναγκαῖον, ἀλλὰ τὸ φύσει ἀναγκαῖον.

XII.

Ad locum verò tertium paulò uberius: Ὅλη δὲ μὴ ἐπ' ἄπειρον ἐνδέχεται ἐπὶ τὸ ἄνω ἀνελθεῖν, τοῦτο ἓν δείκνυσι διὰ πλειόνων ἐπιχειρημάτων καὶ πρῶτον μὲν λογικώτερον, ἔπειτα δὲ καὶ πραγματωδέστερον. Λογικώτερα δὲ φησιν ἐπιχειρήματα ὁ Αλέξανδρ@ τὰ ἐπὶ τ̃ ὁρισμῶν, οἷς πρώτως κέχρηται. Ὁ μὲν τοι Φιλόσοφ@ (intellige Ammonium, sic enim eum, ut doctorem suum semper vocat) ἔλεγε, μὴ διὰ τοῦτο λέγειν λογικὰ τὰ ἐπιχειρήματα: ὅτε λογικὰ πάλιν ἔλεγε Φάσκειν τὸν Αριστοτέλη τὰ πιθανὰ μὲν οὐκ ἀληθῆ δὲ: ἀλλὰ τὰ ἐξ ἀληθῶν μὲν σχοτάσεων καὶ ἀληθῆ: Οὐ μὴν τὰ ἀποδεικτικά, ἀλλὰ κινότερα δυνάμενα πλείσιν ἐφαρμόσαι, qua verba repetit ultima rursus pag. 33. b.

XIII.

Ex quibus verbis tantum discas: Logica Epichiremata esse, quæ à definitionibus progrediantur. Id autem ex primo & 8. Topico cap. 4. intelligi potest: ubi Aristoteles docet. A definitione ad definitum concludere, esse petere id quod in principio: quia definitio & definitum sint idem numero. Quomodo autem in demonstrationibus locum habeat hæc argumentandi ratio, docuimus nos in Disputa-

Diſputatione de Inductione. Omnem autem infirmum argumentandi modum Logicum dici, ex conſequentibus diſcemus.

XIV.

Verum mox veluti corrigens ſe, hanc interpretationem ab Alexandro eſſe, ait, cujus Commentarij quia interciderunt, non poſſumus eum excuſare, aliter eum locum Topicum expoſuiſſe vidimus; affertq; aliam Ammonl, ſic ut tertiam quoque tanquam alienam reijciat. Ammonius inquit neque ideò Logica Problemata vocari ait, quod à Definitionibus procedant, neque etiam ideò, quod ſint hominum ſolum opinionibus conſentanea, non autem vera, ſed quia ſint argumenta vera quidem, non tamen Apodictica, ſed communiora, & quæ pluribus poſſint adaptari. Hæc ibi Philoponus.

XV.

Audiamus porrò eundem, quid ad quartum locum, qui eſt in 3. Phyſ. c. 5. t. 40. & 42. commentetur. Οτὶ μὲν οὖν ἐστὶν ἓν τὸ μέγεθος ἄπειρον σῶμα πεπερον μὲν, ὡς φησὶ, λογικῶς δείκνυσι, τελέσι πιθανῶς καὶ ἐξ ἐνδόξων. ἢ λογικῶς φησὶν ἀντὶ τοῦ κοινοτέρως: ἐφαρμόσει γὰρ ἡ δείξις αὕτη οὐ μόνον ἐπὶ τῶν φυσικῶν σωμάτων, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν μαθηματικῶν, ἀφ' ὧν τοῦτο ἓν λογικῶς φησὶν, ἔπειτα καὶ ἀναγκαιοτέρων ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων φύσεως.

XVI.

Pancii interjectis verbis addit. Τὰ μὲν ἓν λογικὰ ἐπιχειρήματα τοιαῦτα. Λογικὰ δ' εἶπε, διότι ὡς εἶπον, οὐκ ἐστὶν ἀναγκαισκὰ, ἀλλ' ἐξ ἐνδόξων: Οὕτι γὰρ ἂν δοίεν οἱ τὸ ἄπειρον πθέμενοι, ὁρισμὸν εἶναι σώματος καθόλου τὸ ἐπιπέδῳ ὡρισμένον: ὥσπερ εἰ τύχοι ὁδὲ τὸ μῆκος ἔχον καὶ πλάτος καὶ βάθος, ὁδὲ τὸ ὄψει ἀντιληπτὸν. Οὐ γὰρ πᾶν περιλαμβάνει σῶμα ἕτερος ὁ ὁρισμὸς: ἕτως ἓν ὁδὲ τὸ ἐπιπέδῳ ὡρισμένον. Εστὶ γὰρ καὶ τὸ ἄπειρον σῶμα, ὃ μὴ ἐπιπέδῳ ὥρισται, οἷον τὸ ὁρίτιον, ὃ γὰρ ἡ ἐκτὸς ἄρισται ἐπιφάνεια.

XVII.

Ex his duobus Philoponi locis rursus triplex significatio emergit. Una, qua Logicum dicitur, quod ἐξ ἐνδόξων colligitur, non ἐξ ἀναγκαίων. Altera, quâ Logicum dicitur, quod κοινοτέρως demonstratur, ex communioribus. non ἐκ τῶν προσηκόντων τῷ πράγματι. Tertia, qua Logicum dicitur, quod petit id quod in principio. Affertur enim definitio corporis, quæ æquè in dubium revocatur ab infiniti Patronis, atque id quod ex eâ colligitur.

XVIII.

Philoponum excipiat Simplicius, qui ad dictum tertij Phyſici locum hæc affert. Logicè primum arguit, hoc eſt πιθανῶς καὶ ἐξ ἐνδόξων: item communius &

διαλεκτικῶς. Dialectica enim eſt communis Methodus ſeu via συλλογιστικὴ περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων, ut ipſe 1. Topico inquit: Vndè & Logicum velut commune conſuevit diſtinguere contrà proprium & eam rem, quæ eſt ſecundum naturam, & demonſtrativa. Et certè talis hoc loco argumentatio eſt, communior videlicet, quia aſſumit corpus intelligibile, quod Phyſicum non eſt: Si corporis definitio eſt ſuperficie terminari, nullum corpus erit infinitum, neque intelligibile, neq; ſenſile.

XIX.

Ad V. Locum, qui eſt 8. Phyſ. c. 8. t. 70. idem Simplicius notat: Οἰκείως, inquit, λόγους dicit Syllogiſmos, qui conficiuntur ex ijs, quæ inſunt rei, de qua agitur, quos aliàs appellare ſolet Demonſtrationes. Logicæ verò rationes ſunt, quæ non conſtant ex propriis & proximis propoſito, ut priores, ſed per communiora & univerſaliora concludunt, quæ poſſunt etiam alijs congruere, quas conſuevit alias Dialecticas appellare δείξεις.

XX.

Ex his jam Græcæ Philoſophiæ luminibus deducamus, quæ poſſumus, ac primum quid ſit Ariſtoteli Logicum. Logicum igitur primum eſt, quod eſt Dialecticum, hoc eſt, ex Endoxis deſumptum, id eſt, ex conſentaneis hominum opinionibus, undè gignitur in nobis πίστις πιθανὴ, ut loquitur Plato in Gorgiâ, aut ut Ammonius, ἐνδοξαστική: Cui opponitur cognitio ἐπιστημονική, quæ acquiritur ex veris, primis, immediatis &c. Alexander τήρησιν ἀναίτιον vocat, & ei opponit ἐπιστήμην αἰτιώδη: illa hominem ἀκίνδυνον, ſive ut Philoponus loquitur, ἀτρεμοῦντα, reddit, hæc, ut Plato, τετραγωνον, ut Ariſtoteles, ἀμετάπτωτον, illa magnum opinatorem, hæc perfectum ſapientem facit.

XXI.

II. Logicum erit Ariſtoteli, quod non ex propriis principijs deducitur, ſed ex remotioribus & communibus ſive univerſalibus. Atque hanc interpretationem ipſemet probat Ariſtoteles lib. 2. de Generatione Animalium, c. 8. ita enim ibi: λέγω λογικὴν ἀπόδειξιν διὰ τοῦτο, ὅτι ὅσῳ καθόλου μᾶλλον, πορρωτέρω τῶν οἰκείων ἐστὶν ἀρχῶν.

XXII.

III. Logicè tractare reſpondet ei, quod eſt παχυλῶς tractare, ſive ὡς ἐν τύπῳ, ſoloci filo, craſſè, populariter, καὶ δόξαν πολλῶν, ſecundum famoſitatem denique, ut loquitur Averroës, cuiq; opponitur agere de rebus κατ' ἀλήθειαν καὶ ἀκριβῶς, quam ſignificationem etiam Ammonius notavit.

XXIII.

In Poſtpræd. enim cap. de Motu, cum Ariſtoteles Generationem & Cor-

& Corruptionem inter ſpecies motus retuliſſet, quæ mutationes in Phyſicis eſſe dicuntur, non motus: notat ibi his verbis: ἐν τούτοις μέντοι ἐπειδὴ εἰσαγωγικὸν τὸ διαλέγειν καὶ λογικὸν μᾶλλον ἢ φυσικὸν ἐστὶν ἀκριβολογεῖσθαι περὶ τούτων, ἀλλὰ καὶ τὴν γένεσιν καὶ τὴν φθορὰν κινήσεις εἶναι λέγει.

XXIV.

IV. Logicè tractare eſt ita tractare, ut fert modus loquendi de rebus, qui conſiſtit in ſubjiciendo vel attribuendo, interrogando vel reſpondendo, cui oppo-nitur φυσικῶς *tractare, hoc eſt, ita tractare, ut fert natura rei, non loquen-di modus.*

XXV.

Atque hoc præcipuè obtinet in Definitionibus: Sæpè enim definimus res κατὰ σχῆμα τῆς προσηγορίας, *ſecundum loquendi modum, nec tamen ei adimi-mus* φύσιν *ſeu propriam naturam & exiſtendi rationem.*

XXVI.

V. g. Cauſam definio id, quod reſponderi poteſt ad quæſtionem quam-obrem res ſit. Atque hæc definitio eſt Logica ſive à poſteriori, Phyſicè cauſa ali-ter deſcribitur, nimirum quod ſit quæ vim aliquam confert ad conſtitutionem vel eſſentiam rei.

XXVII.

Sic definitio definitur Logicè Oratio qua reſpondetur ad Quæſtionem Quid eſt; Phyſicè eſt Oratio explicans eſſentiam rei.

XXVIII.

Genus Logicè eſt, quod de pluribus ſpecie differentibus in quæſtione quid di-citur. Phyſicè eſt natura communis, quæ in pluribus ſpecie differentibus ineſt, & ſingulas cum certis differentijs conſtituit.

XXIX.

Ex hoc ſignificato τοῦ λογικοῦ καὶ φυσικοῦ *commodiſſimè deciditur* ἀντι-λογία *illa in ſpeciem, quæ occurrit apud Philoſophum 4. Phyſ. cap. 3. t. 23. Ubi cum recenſeret modos novem, quibus ἄλλο ἐν ἄλλῳ λέγεται, duos hos quoque inter illos commemorat:* ἄλλον δὴ τρόπον ὡς ὁ ἄνθρωπος ἐν ζώῳ καὶ ὅλως ὡς εἶδος ἐν γένει. ἄλλον δὴ τὸ γένος ἐν τῷ εἴδει, καὶ ὅλως τὸ μέρος τοῦ εἴδους, ἐν τῷ τοῦ εἴδους λόγῳ, *hoc eſt: Alio modo aliquid in alio eſſe dicitur, ut homo in a-nimali, & univerſè, quo ſpecies dicitur eſſe in genere. Alio modo, ut genus in ſpecie, quod univerſè pars eſt ſpeciei, ingrediens ejusdem definitionem.*

XXX.

Ecce enim quid Euſtrathius dicat: Πραγματικῶς μὲν ἐκ τοῦ γένους καὶ τῶν διαφορῶν τὰ εἴδη συνίστασθαι ὡς καὶ τὰ καθέκαστα ἐκ τοῦ εἴδους καὶ τῆς ὕλης.

Λογικῶς δ' ἄυθις καὶ κατ' ἔννοιαν τὸ ἢ εἶδ@ ὅλον τῶν καθ'ἕκαστα, καὶ τὸ γέν@ τ εἰδῶν, hoc est, sic rerum naturam consideres, ex genere differentijsq; quælibet species tanquam ex partibus constituitur, ut individua ex materiâ & formâ. Logicè verò & prædicandi rationem considerantibus, sicut species de omnibus individuis tanquam universalis quædam eorum natura (unde ab Aristotele ἔχ ατον γέν@ alicubi dicitur) enunciatur, ita Genus de speciebus.

XXXI

Audi & Themistium: Μὴ θαυμάσης, inquit, εἰ τὸ ζῶον ἐν τῷ Ἀνθρώπῳ λέγεται, τὸ πλεῖον ἐν τῷ ἐλάττονι. εἰ γὰρ διηρίσεις ἀκριβῶς, εὑρεθὸν ὡς μέρ@ εὑρήσεις τὸ ζῶον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ: ἐν γὰν τῷ λόγῳ αὐτῷ πρῶτ ἔχεται. Noli, inquit, mirari, si animal in homine latius in angustiori esse dicatur. Si enim in scientiarum arcana penetraveris, invenies rem ita se habere, & animal in homine contineri, est enim pars definitionis hominis. Si igitur animal in homine est κατ' ἀκρίβειαν. Homo in animali est λογικῶς, ut Eustrathio quoque dicebat.

XXXII.

Audi Philoponum, qui Themistij verba uberius explicat. Οὐ δεῖ θαυμάζειν, inquit, εἰ τὸ γέν@ λέγεται ἐν τῷ εἴδει εἶναι, τὸ πλεῖον ἐν τῷ ἐλάττονι. τὰ γὰρ γένη εἰσί μὲν καὶ κοιναί τινες φύσεις, πλείοσιν ὑπάρχουσι, καὶ ἢ πλειόνων κατηγορέμεναι: γίνεται ἢ καὶ μέρη τ εἰδῶν, ὅταν εἰς ἤδη ὑπάρξαν@ ἐν τοῖς εἴδεσι θεωρῆται. ὥστε κατ' ἄλλην σχέσιν καὶ ἄλλην τὰ αὐτὰ καθολικώτερά ἐστι, καὶ μερικώτερα. Ὅταν μέν γὰρ μήπω συμπεπλεγμένα θεωρῆται τοῖς οἰκείαις διαφοραῖς, ὁλικώτερά ἐστιν: ὅταν ἢ συμπλακέν@ ἀποτελέσει τὰ εἴδη, τότε μέρη τῶν εἰδῶν γίνεται. Διὰ τοῦτο γ' ἔν εἶπεν ὅτι ἄλλως γέν@ ἐν τῷ εἴδει, ἵνα δείξῃ, ὅτι γέν@ νῦν ἃ λέγεται τὸ ἢ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ τί ἐστὶ κατηγορέμενον, ἀλλὰ τὸ ἤδη συμπεπλεγμένον ταῖς διαφοραῖς.

XXXIII.

Quibus verbis mutæ insignia monet: quorum primùm est hoc: Genera esse communes naturas pluribus inexistentes. II. De ijsdem pluribus dici & prædicari. III. Ea ratione esse adhuc absoluta genera differentijs nondum complicata. IV. Quibus si complicentur, amittere illa nomen communis & universalis naturæ, & transire in partem speciei, quæ per genus & differentias sicut componitur & existit: ita quoque definitur. V. Itaq; cum dicat Philosophus. Genus esse in specie, non intelligere illum Genus, quatenus est universale Logicum, quod de pluribus differentibus specie in quæstione quid est prædicatur, sed quatenus cum differentijs complicatum constituit, ut pars, speciem.

XXXIV.

Ex eádem distinctione conciliatur & illa nobilis controversia, quæ est de differen-

differentijs ſubſtantiarum in categoriâ τ̃ ὐσίας, quas, ut loquitur ibi Ammonius, & συναίρειν ταῖς ὐσίαις, & rurſus Διαιρεῖν τῶν ὐσιῶν videtur. Differentiæ enim Logicè ſunt Accidentia, quia modum prædicandi accidentalem ſequuntur, prædicantur enim in Quale eſt. Phyſicè verò ſunt ſubſtantiæ, quia συμπληρωτικὰ τῶν ὑποκειμένων εἰδῶν: ἃ γὰρ συμπληροῖ τὴν ὐσίαν τὰ συμβεβηκότα, ut ibi nos docuit Ammonius.

XXXV.

Quo nos ipſe quoque ducit Philoſophus 5. Metaph. c. 28. Vbi conſtituit Genus Phyſicum aliud, aliud Logicum. De genere Phyſico accipienda ſunt iſta: ἕτερα τῷ γένει λέγεται, ὧν ἕτερον τὸ πρῶτον ὑποκείμενον, καὶ μὴ ἀναλύεται θάτερον εἰς θάτερον, μηδ' ἄμφω εἰς ταυτόν, οἷον τὸ εἶδος καὶ ἡ ὕλη ἕτερον τῷ γένει. De Genere verò Logico quæ ſequuntur: ἕτερα τῷ γένει καὶ ὅσα καθ' ἕτερον σχῆμα κατηγορίας τοῦ ὄντος λέγεται. Diverſa genera ſunt, quorum primum ſubjectum diverſum eſt, & non reſolvitur alterum in alterum, nec ambo in idem v. g. Materia & forma diverſa genere. Et quæcunque ſecundum diverſam figuram prædicationis Entis dicuntur. Vid. & 10. Metap. c. 5.

XXXVI.

Hinc etenim ita concludo: Quæ ſecundum diverſam prædicationis formam dicuntur, genere differunt. Subſtantiæ & earum differentiæ ſecundum diverſam prædicationis formam dicuntur: ſubſtantiæ videlicet in Quid: Differentiæ earundem in Quale. Ergo differunt genere. Differentiæ igitur Logicè non erunt ſubſtantiæ.

XXXVII.

Neque hoc ignoravit Philoſophus. Libro enim V. Metaph. c. 14. inquit, τὸ ποιὸν λέγεται ἓν μὲν τρόπον ἡ διαφορὰ τ̃ ὐσίας, οἷον, πτηνὸν ἢ ἄνθρωπος ζῷον; δίπουν. ἵππος; τετράπουν. Quale uno modo dicitur differentia ſubſtantiæ, verbi gratia, quale animal homo? bipes. Quale Equus? quadrupes.

XXXVIII.

Octavo Metaph. t. 5. clarius idem teſtatur. Reprehendit enim ibi Democritum inſufficientiæ, quod ex tribus tantum ſubſtantiarum differentias deduceret, Figura, ſitu, & ordine. Addenda enim, ait, multa alia quoque genera, & uno verbo tot, quot ſunt ἕ ὄντος.

XXXIX.

Idemq; obſervavit ipſe in praxi, 1. videlicet de partibus animalium, c. 3. & 4. & 1. Hiſt. Animalium, c. 1. ut notavit acutiſſimus Cæſalpinus.

XL.

Atq; hæ ſunt potiſſimæ ſignificationes vocabuli λογικῶς. Vndè & argumenta Logica variè ab Ariſtotele & interpretibus appellantur, pro illarum ſignificationum

tionum varietate : Dicuntur enim ex 1. significato passim ἔνδοξα, δεικτῶς, συνήθη, εἰωθότως, φαινόμενα, λόγοι μὴ φιλοσόφως λεγόμενοι, λόγοι λογικοί.

XLI.

Ex secundo significato dicuntur ἔξωθεν λόγοι 2. Polit. cap. 4. κοινοὶ λόγοι καὶ κενοὶ 1. Eudem. c. 8. ἀπλότεροι 1. Eudem. cap. 6. λίαν Καθόλου 2. de Gen. Animal. c. 8.

XLII.

Ex III. significato dicuntur λόγοι κατ' ὄνομα, 13. Metaph. c. 1. λόγοι πλασματώδεις 13. Metaph. c. 7. κοινοὶ κατὰ τὸ πρᾶγμα, in Elenchis. λόγοι κατ' ἔννοιαν à Themistio, λόγοι ὡς ἐν τύπῳ 1. de Gen. animal. c. 6. & 7.

XLIII.

Ex quarto denique significato λογικαὶ δείξεις, 3. Phys. t. 18. & 1. Eudem. c. 8. Vbi de Ideis disputare ait esse ἀπατηλοῦς ἐπιβολὰς καὶ τὰ πολλὰ λογικωτέρας.

XLIV.

Quibus omnibus titulis ex adverso respondent λόγοι φιλοσόφως λεγόμενοι 3. Eudem. c. 6. λόγοι οἰκεῖοι καὶ συγγενεῖς, λόγοι ὑπομνηματικοί, ἀποδεικτικοὶ, Analytikaὶ δείξεις, φιλοσοφήματα, λόγοι ἐκ τῶν ὑπαρχόντων τῷ πράγματι, λόγοι κατὰ φύσιν καὶ ἀλήθειαν.

XLV.

Vndè jam Philosophiæ studiosis persuasisse nos putamus, non esse Emplastrum commune, quod ulceribus Peripateticorum apponatur, duplicem hanc tractationem Logicam & Physicam, sed esse ex ipsius Philosophiæ penetralibus intimis erutam, & salutari semper consilio usurpatam, neque negligendam, nisi quis in Philosophiâ tanquam in densissimis tenebris palpitare velit.

XLVI.

Sed colophonis loco addamus & aliam notionem vocabuli Logici, quam observavi apud Aristotelem 5. Topic. Quocum traditurus esset locos proprij asserendi vel destruendi, initio cap. 1. quatuor proprij genera recenset, post subjungit, ea propria esse μάλιστα λογικά, quæ sint καθ' αὑτὰ καὶ ἀεὶ καὶ πρὸς ἕτερον. Vbi Logica interpretatur, quæ sunt maximè fœcunda Epicheiremarum, & multis modis oppugnari possunt. Ita enim Alexander ibi : λογικὰ προβλήματα λέγει τὰ ὑπέχοντα πολλοὺς λόγους καὶ πολλὰ ὑπέχειν, καὶ ἰσχυρά.

XLVII.

Denique & illud notatu dignum apud Galenum, Quæstiones Logicas eas dici, quæ disputabiles in contrarium sunt, sed usum in actionibus non mutant. Quales sunt disputationes illæ : An Dysenteria sit morbus, an causa morbi : An

visus

visus fiat emittendo, vel recipiendo: An pulsus hæc sit an illa definitio verior; Item disputationes de nomine: An hic morbus sic vel alter sit nominandus. Hæ enim disputationes non mutant usum in medendo. Neque enim oculus aliam curam desiderat, si fiat emittendo visus, aliam, si fiat recipiendo. Vid. Galen. lib. 3. de locis affectis, c. 1.

XLVIII.

Et quando in Galeni mentionem incidimus, visum est & hoc addere, non illi incognitum fuisse duplicem hunc considerandi res modum; quanquam alijs nominibus appellarit: Logica enim argumenta, hoc est, ex communi hominum opinione desumpta, rationes Epilogisticas appellat. Argumenta ἐκ τῶν ὑπαρχόντων rationes Analogisticas. Vide eum 1. Prognos. c. 6. & 7. & 2. de Temp. 6. Atque hæc hactenus.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

ARistoteles 8. Metaph. t. 10. Formas esse ait ut numeros, ut doceat esse individuas: cur igitur 2. de anima, t. 30. & 31. Animam, quæ est forma, comparat tum figuris & magnitudinibus, quæ sunt certè dividuæ? An alind est dividi, aliud extendi?

II.

Nutritio in viventibus semper fit) (non semper fit.

III.

Formæ plures in unico composito & sunt & non sunt.

IV.

Actus secundi non sunt accidentia.

V.

Affectiones in externas & internas rectè dividi negat Flaminius, asserit Bonamicus, & hic quidem firmioribus rationibus niti se putat: nos tamen cum Flaminio stabimus adhuc.

VI.

Servo aut Domino hominem accidere in Categorijs dicit Aristoteles, Calliæ item 1. Metaph. c. 1. statuario Polycletum hominem Animal. 5. Metaph. Ea tamen quis putet esse prædicata primi modi per se.

DISPUTATIO XXXVII.

MICHAELIS PICCARTI

QVÆSTIONVM PHILOSOPHICARUM,

Respondit

Johannes Schefferus Rotenburgo-Francus.

Mens. Jun. cIↃ IↃ cXVI.

I.

Num Metaphysica in Scholis sit necessaria, & à Dialectica differat? Affirm.

DE hac quæstione non omnes idem sentiunt. Nos à parte eorum stamus, qui Metaphysicam disciplinam utilem, necessariam, & à Dialectica distinctam esse ajunt. Porrò, cum quæstio proposita bimembris sit, & utrimq; controversa, prius quæstionis membrum probamus rationibus hisce: I. Quia principia reliquarum scientiarum declarantur atq; probantur à Metaph. ut loquitur Arist. 1. Phys. cap. 2. t. 8. 1. post. cap. 7. t. 23. Quibus locis docet, nullam scientiam posse probare sua principia, sed eorum probationem esse rejiciendam ad Metaph. quæ est scientia communis, & tanquam Domina Reginaq; omnium, habet jus atq; imperium in alias scientias. II. Quia ea exstruit & defendit prima, summa, & communissima principia, unde dicitur ἀξιώματα κεφαλὴν ἔχουσα. Caput enim certitudinis omnis sunt duo illa prima principia. III. Quia Metaphysica agit de ijs rebus, quæ per se insunt in alijs omnibus (cujusmodi sunt Ens, Unum, Verum, Bonum, Substantia, Accidens) fieri autem non potest, ut nisi ejusmodi prædicata Metaphysica perspecta & cognita habeamus, scientiam aliarum rerum plenè solideq; consequamur. Nec refragatur, quod multi dicunt, meras subtilitates & argutias in illa tractari, quibus humana vita facile sit caritura: Nam ejusmodi quòq; subtilitates necessariæ & utiles, sine quarum cognitione ea, quæ in alijs disciplinis sunt, perfectè intelligi nequeunt. Alterum membrum probamus hoc modo: 1. Quia Dialectica etiam latè usurpata, tradit modum tantum sive instrumen-

Digitized by Google

ſtrumentum ſciendi, Fonſeca *lib. 2. c. 3. quæſt. 1. ſect. 5. Non igitur eſt Metaphyſica: Abſurdum enim eſt eſſe Ariſt. c. 1 anim. Metaph. ſi nul quærere ſcientiam & modum ſciendi. II. Quia Metaph. & Dial. differunt. 1. Objecto. 2. Principijs. 3. Affectionibus. 4. Conſiderandi modo. Ergo realiter & eſſentialiter differunt. III. Ariſtot. ipſe diſtinguit 4. Metaph. cum dixit, διαλεκτικὴν eſſe πρὸς ἕξιν, quorum Metaphyſica ſit γνωριστική.*

II.

An Dialectica ad alias diſciplinas capeſſendas ſit neceſſaria? Affirm.

Neceſſarium duobus modis ſumitur, 1. ἁπλῶς & abſolutè pro eo, ſine quo aliquid prorſus eſſe non poteſt. 2. Ἐξ ὑποθέσεως, ex ſuppoſitione alicujus cauſæ, propter quam aliquid neceſſarium eſſe dicitur. Priori modo Logicam neceſſariam eſſe ad alias diſciplinas non ſtatuimus. Fonſ. lib. 1. Inſt. Dialect. cap. 1. Et lib. 2. Metaph. c. 3. q. 4. ſ. 2. Poſteriori verò modo, probamus rationibus his. I. Quia ingenium hominis excitat, juvat, acuit, rationis mentisq. humanæ munera promtiſſimè expedit, quæ omnia ad omnes artes & diſciplinas utilia & neceſſaria ſunt. Plato lib. 6. de Rep. II. Quia eſt τρόπος ἐπιστήμης, 1. poſt. c. 2. t. 5. Omnis autem τρόπος ἐπιστήμης eſt neceſſarius, 1. Metaph. cap. 3. t. 5. III. Quia prohibet, ne in varios errorum labyrinthos incidamus, artes & ſcientias confundamus: ac, ut Ariſt. teſtatur multis in locis, ne propter ἀπαιδευσίαν τῶν ἀναλυτικῶν hallucinemur, aut decipiamur. Idem multi præclaris ejuſdem titulis ac encomijs tradidêre. A quibuſdam enim dicitur examen & libra veritatis: Ab alijs formatrix ſapientiæ: Regula & menſura artium: Clypeus diſciplinarum: Mundi rationalis, id eſt, humanæ mentis Sol: Rationis oculus: Scientiæ ordinis: Clavis aurea. Ipſius tandem notitia εὐεξίαν parit τῆς ψυχῆς, ὥσπερ τὰ τῶ σώματος γυμνάσια καὶ τέχνη γυμναστικὴ εὐεξίαν afferunt corpori. Quæ omnia hujus artis non modo nobilitatem, ſed ad alias ſcientias acquirendas neceſſitatem apertè declarant.

III.

Num Syllogiſmus rectè definiatur per Orationem? Affirm.

Ariſt. 1, Top. c. 1. Et 1. prior. cap. 1. Syllogiſmum definit hoc modo: Συλλογισμός ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀναγκης συμβαίνει, διὰ τῶν κειμένων. Caterum magna & gravis hic oritur diſputatio de vocabulo λόγος, quod generis vicem obtinet: an nimirum illud reddendum ſit per orationem, an per rationem, ſeu diſcurſum. Alexander ait: Syllogiſmum

giſmum quo ad genus convenire cum fabula, narratione, precatione, voto: Λόγον autem in fabulæ definitione Agellius vertit per Orationem: Igitur & Syllogiſmi genus oratione vertendum eſt. Eandem verſionem retinuit quoq;, cum de Ariſtotelici ſyllogiſmi interpretatione ageret, cujus ſententiæ nos noſtrum addimus calculum. Cum enim ſyllogiſmus ad diſputandum & aliquid proferendum inventus ſit, certè id mente & cogitatione fieri non poterit, ſed ut ea quæ ſyllogiſmo comprehenduntur, clara ac articulata oratione proferantur, neceſſum erit. Quinq; præterea locos Ariſtotelis & generales & particulares, in definiendo, ac in generum imprimis venatione obſervandos attendit: Vtrumq; etiam verbi Orationis & Rationis vim ac poteſtatem examinat, facilè perſpicit, meliori jure illud quam hoc, ſyllogiſmi genus dicendum eſſe.

IV.

An privatio poſſit dici principium?

Affirm.

In hac quæſtione vel Delio, ut dicitur, natatore opus eſt. Plato enim & nonnulli tam antiquorum quàm recentiorum Philoſophorum, privationem è numero principiorum planè excludunt, & cum Ramo lib. 1. ſchol. phyſ. c. 7. fabuſum ſo mnium appellant, indignum, ut nobile principij nomen ipſi tribuatur. Rectius autem Ariſt. qui eam principijs annumeravit, non quidem ijs quæ in compoſitionem veniunt (ea enim ſunt Materia & Forma tantum) ſed quæ per ſe ad generationem requiruntur. Vt enim corpora naturalia generari & corrumpi poſſint, privatio accedat neceſſum eſt. Vel, ut loquitur Toletus in Comm. phyſ. lib. 5. c. 5. Privatio eſt principium intrinſecum generationis, ſed non rei genitæ. Et hac ratione conſideratur phyſicè. Poteſt & Logicè conſiderari, dum principium dicitur non quidem habitus (nemo enim cæcitatem viſus, aut tenebras lucis principium conſtituet) ſed argutionis, arguit enim privatio habitum, non quidem poſitivè, ſed negativè, neq; tamen negatione ſimpliciter ſic dicta, ſed negatione privante, quia privatio Logica ſignificat abſentiam habitus, cujus ſubjectum per naturam capax fuit. Metaphyſicè tandem conſiderata, principium dici vix poterit, quia privatio eſt negatio Ariſt. lib. 5. Metaph. cap. 22. Et 1. de part. An. cap. 2. Negatio autem nullius Entis principium eſſe poteſt. Fonſ. lib. 5. Metaph. cap 2. quæſt. 3.

V.

Num forma ſit nobilior materia? Affirm.

Non deeſſe argumenta, quæ pro materia etiam nobilitate ac præſtantia pugnent, ac ita dubiam hanc quæſtionem facere poſſint, in propatulo eſt: Dicitur

Digitized by Google

citur enim ingenerabilis & incorruptibilis, cum forma generetur, (si non per se, saltem per accidens) & corrumpatur. Dicitur etiam suam existentiam ex se habere, non pendentem ab hac vel illa forma: Formæ autem existentia pendeat à materia ea, in qua inest. Et quæ sunt alia. Hæ verò omissis, cum tanti non sint momenti, ut Formæ præ illâ excellentiam tollant aut imminuant, sentimus & affirmamus: Formam nobilitate & præstantia materiam longè anteire, idq; probamus rationibus his: I. Quia id quod perficit, nobilius est eo, quod perficitur: Forma autem perficit. Ergo &c. II. In bonis semper est melior actus potentiâ. 9. Metaph. t. 19. Forma autem est instar actus, materia potentiæ. Ergò &c. III. Forma est magis Ens quàm materia 7. Metaph. t. 7. IV. Forma appetitur à materia, ut pulchrum à turpi. Hic verò advertendum est ex disciplina Platonis in Phædro: Pulchritudinem, quod ad rem præsentem attinet, nihil esse aliud, quam splendorem quendam rei, qui visu perceptus, animum allicit. Quoniam verò materia ut est nuda potentia: ita nullum efficienter progignit accidens, quo se spectandam præbeat, necessariò sit, ut ex se pulchritudine illa careat, ac turpis sit. Deinde cum forma colores, cæteraq; ad decorem pertinentia secum invehat, ortum quoq; inde est, ut materia ornatum ab illa mutuetur, eamq; propterea expetat, ut nativam nuditatem & informitatem quodammodo occultet, ejusq; pulchritudinem quasi suam præ se ferat. Unde nonnulli etiam Materiam, descriptâ Lunæ effigie, adumbrant, quod sicuti Luna alieno fulgore conficua est, ac modo hanc, modo illam speciem exhibet: Ita materia non nisi adventitio ornatu splendeat, & ad aliam atq; aliam subinde formam sese effingi patiatur.

VI.

An Materia appetat Formam? Affirm.

Diximus præcedenti quæstione Materiam appetere formam: Illud verò, quoniam controversum & uberiori consideratione dignum, hic resumemus. Cæterum assertionem hanc nostram, confirmamus ipsissimis Aristotelis verbis, qui t. 31. lib. 1. physici dicit: Materiam appetere formam sicut turpe pulchrum, & marem fœmina, quanquam his quasi per accidens contingat appetitus, in Materia verò sit per se. Rationes afferimus has. I. Quia unum quodq; appetit naturaliter bonum sibi appropriatum, quod ex se non habet, & cui copulari ejus est perfectio. Ita materia formam. II. Quælibet res appetit propriam pulchritudinem, Ergò & materia formam. III. Quod excitatur ad appetitum naturaliter, id appetit id ad quod excitatur. At materia per Privationem excitatur ad formæ appetitum. Ergo materia appetit formam.

VII.

Num quatuor tantum sint causarum genera? Affirm.

Aristot. 2. de Dem. cap. 11. tit. 11. dicit: quatuor esse causarum genera. Unum, est forma atq. essentia cujusq. rei: Alterum est, in quo inest necessitudo non absoluta, sed ex adjunctione, si aliqua quædam sint, hoc esse necesse est. Tertium genus est id, in quo inest rei efficiendæ vis primaria: Quartum est finis, cujus causa aliquid fit. Numerum verò hunc ex varietate quæstionum, quibus propter quid aliquid fit, quæritur, c. 7. lib. 2. Phys comprobavit. Nam cum causa sit ratio, quæstionem rè ipsa explicans: tot erunt causarum genera, quot quæstionum ad rationem reducuntur. Hæc autem quatuor sunt. Aut enim quæritur Quid est? & est Forma: Aut ex quo est, & est Materia: Aut unde est principium motus, hoc est Efficiens: Aut cujus gratia est, Finis. Et res ratione non caret. Composita enim naturalia non fiunt ex nihilo, quippe per naturam ex nihilo nihil fit. Fiunt igitur ex aliquo præexistente, quod cum non sit completum (alioqui jam res ante ortum suum existerent quod a fortiori) oportet aliat ex alio quod rem compleat, absolvatq.. At quod præexistit, est pura potentia seu materia: Quod absolutionem affert, est actus seu forma. Igitur omnia composita naturalia constant ex duplici causa interna, videlicet materia & forma. Rursus præter has, quæ nihil à seipso efficere possp, requirunt causam efficientem, a qua producantur. Omne autem Efficiens naturale non agit temerè & inordinatè, sed determinatè ad certum aliquem finem, alioqui non constanter, non ordinatè, non eodem modo plerumq. ageret. Quod si igitur res naturales, quæ omnium maximè compositæ sunt, atq, adeò à pluribus dependens, plures causas non exigunt: planè sequitur causarum numerum ampliorem esse neutiquam posse, si de generalibus causandi modis loquamur. Hoc ipsum quoq. alijs rationibus comprobarunt Alb. M. 3 Metaph. cap. 3. D. Thomas in opusc. 31. Simpl. in 2. phys. ad t. 68. Veterum verò opiniones quæ multæ fuerunt & variæ, inveniuntur apud Laertium in vita Zenonis Citti. Mirand. 1. de exam. Vanitat. cap. 10.

VIII.

Utrum ad fœlicitatem externa etiam bona requirantur? Affirm.

Magna est dubitatio & quæstio de hac quæstione inter Stoicos & Peripateticos. Illi dicunt: Et, cui virtus inest, nihil desse. Hanc enim rem ex sese satis, & nullarum rerum egere. Verba Platonis (cui assipulantur Cicero in Parad. 2. Tusc. quæst. lib. 5. Et Seneca multum in locis) in Lysida hæc sunt: Bonus, ut

Bonus

Bonum, est sibi satis: qui sibi satis est, aliud non expetit. Nos concedimus hoc, si referatur non ad vivendum, sed ad benè vivendum. Nam ad vivendum multis indiget: ad benè vivendum quidem contentus est animo suo, & virtus ac sapientia ei satis est. Nos cum Peripateticis sententiam nostram clarè profitemur, dicendo: Quod nullo egeat, ut part. principalis, sed multis, ut instrumentis: ideò Arist. 1. Moral. Nicom. cap. 8 inquit: Videtur vita beata sine instrumentis, sine amicis, sine divitijs & potentia consistere parum, aliò ne vexpl. Ut 1. Rhet. cap 6. Opulentum & locupletem esse, in parte aliqua virtutis est. Hinc apparet ad Fœlicitatem, imprimis hominis Politici, & qui in Reip. luce versatur, tanquam instrumenta, ad defendendam Rempub. ad beneficientiam exercendam, ad propulsandas injurias, & alia ejusmodi munera, bona externa requiri.

IX.

Utrum Passiones cadant in animum sapientis? Affirm.

Pro negativa parte hujus quæstionis etiam Stoici disputaverunt, dicentes: Eum qui verè sapiens sit, debere animi passionibus omni ex parte carere: pro ijs tamen habere tres εὐπαθείας (quas Cicero constantias nominat) id est, pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem. Verum frequenter eis contigit, ut, quemadmodum à multorum sententia, ita à veritate etiam recedant. Quæcunq; tamen eorum mens fuerit, negari non debet, passiones etiam cadere in eos, qui verè sapientiâ & magnarum virtutum ornamentis præditi sunt. Rationes hæ sunt. 1. Quia naturaliter obvenunt: cumq; eis rationem dominam præficiamus, ad moderationem & mediocritatem adduci possunt, atq; ad virtutum officia revocari, & laudem ac præmium mereri. 2. Quia præclaræ & multæ sunt earum utilitates. Sunt enim per naturam nobis tributæ hæ facultates, quibus turbamur, ut potentius in optatum finem feramur, cumulatius illum consequamur, jucundius eo fruamur, eisq; tanquam rationis ministris utamur, ut loquitur Piccolom. in lib. de virt. materie. Videmus enim iram conducere fortitudini, quatenus vires auget: unde cotidiè fortitudinis dicta. Misericordia facit, quo ergà egentes liberalitatem exerceamus: & sic deinceps. Cum ergò sapiens virtutibus maximè ditatus sit: aut nullum earum opus efficere posset, aut certè non ita frequenter, nisi affectione quadam incitatus & motus, ad istud suscipiendum & exsequendum.

DISPUTATIO XXXVIII.

MICHAELIS PICCARTI

AN FORMÆ EDV-CANTUR DE POTESTATE MATERIÆ?

Respondit

Paulus Lautensack.

Mens. Jun. cIↃ IↃ c XVI.

THESIS I.

TRitum est, omniumq; Peripateticorum consensu firmatum jam pronunciatum: Ex duobus, altero quidem potentiâ & altero actu, fieri unum per se, & hoc quidem Formam, illud esse Materiam.

II.

Ad eam rem concurrere oportet agens, quod uniat ista duo, quomodo autem uniat in controversia positum est: An inducendo Formam in Materiam? an verò educendo è potestate Materiæ? Illud veteribus Academicis, & ex recentioribus Bonamico visum. Nobis Aristotelis sententia verior videtur, qui formas educi è potestate materiæ per efficiens nos docuit.

III.

Quod dum docere instituimus, ut res clarior fiat, formarum genera prius sunt explicanda, & de singulis deinde distinctè respondendum. Forma igitur alia est Naturalis, alia artificiosa; illa rursus vel Substantialis vel Accidentalis. Fiunt & aliæ divisiones, sed nos de his solum in hac disputatione videbimus.

IV.

Primum igitur de Forma substantiali videbimus, de quâ meritò dubitarunt Philosophi; cum enim illa principium constituatur, & quidem a materiâ distinctum, ita concludebant: Forma aut est aliquid ante generationem, aut nihil, si aliquid est, sequitur non fieri per generationem, sed præexistere: si nihil, non fiet per generationem, ex nihilo enim nihil generatur.

V.

" Hinc varietas sententiarum circa modum, quo Forma sit in rerum natura,

qua

quæ tamen ad duo potest reduci extrema. Aliqui enim censuêre Formam actu præexistere ante generationem, alij negarunt, sed demum ab efficiente fieri in materia.

VI.

Pro illo extremo pugnavit Anaxagoras, ut docet Philosophus 1. Phys. t. 34. statuit enim formas rerum præexistere actu in Atomis, ex quarum concursu res omnes componi asserebat.

VII.

A quo non longè recesserunt, aut potius, si credimus Piccolomineo, eum secuti sunt, quos retulit D. Thomas (libro de placitis vet. Philosophorum E. xi.) 1. p. q. 45. art. 8. qui statuerunt, formas actu præexistere in materia, sed latere, fieri autem per generationem manifestas.

VIII.

Verum hos cum ipsa Generationis ratio refelleret: Procedit enim generatio à non Ente simpliciter 5. Phys. t. 5. & 7. 1. de Ort. & Int. t. 11. Igitur fuere qui mollius statuerunt, formas præexistere quidem in materia actu, sed eo inchoato solùm & imperfecto, qui producatur inesse perfectum, per generationem.

IX.

Sed non minus hi generationis naturam ignorarunt, atque illi. Nam quidquid quovis modo actu est, id per generationem produci non potest, quæ est ex Aristotelis doctrinâ, mutatio totius, nullo sensili remanente, ut subjecto eodem.

X.

Manifestatio enim latentis formæ non potest dici generatio, illa enim nihil est substantiale, generatio verò actio substantialis est.

XI.

Inchoatam verò formam, per generationem adduci ad esse perfectum, contra naturam item generationis est, quæ terminatur ad esse novum & id quod ante non fuit: Forma autem inchoata non differt specie à consummata, quia magis & minus hic non variant speciem: unde si generatio formam inchoatam consummaret & perficeret, alteratio solum esset quædam, non mutatio substantialis.

XII.

Duas alias sententias proponunt Sotus & Durandus: ille quidem dicens, quosdam sentire, formæ partem inesse materiæ, quæ per generationem perficiatur. Iste autem, præexistere aliquas in materia, formæ possibilitates aut inchoationes, quæ in generatione non maneant, sed convertantur in formas actu. Sed prior ex male intellecto loco Aristotelis 8. Metaph. t. 29. prodijt, & per se absurda est.

Quia

Quia ſi per partes producitur ſubſtantialis forma, generatio non erit, ſed quædam extenſio, ſequitur etiam, aliquid formæ actu præexiſtere. Poſterior obſcurè loquitur, & poteſt, ut deinceps videbimus, ſano ſenſu acceptari.

XIII.

Veniamus ad alterum extremum: ſub quo continentur, qui docent: Formas non præexiſtere in materia, ſed in virtute tantum efficientis, & vel ſuperioris alicujus, quod, poſtquam inferius diſpoſuit materiam, illas induxit, vel illius, quod materiam diſponit. Sed & hoc generationis naturam abolet, & creationem induxit.

XVI.

At verò noſter Philoſophus, medium inter hæc extrema primus tenuit, aſſeruitq; formas ſubſtantiales continere in potentia materiæ, & ex educi ab agente naturali proximo, & ſimul cum compoſito velut comproduci per veram generationem.

XV.

Quæ ut plenius capiantur, ante omnia ſciendum, neque formam generari per ſe, neque materiam, ſed τὸ ἐκ τινος ſive τὸ ἐξ ἀμφοῖν, hoc eſt compoſitum: ſi verò ſieri latè ſumamus pro eo omni, quod accipit eſſe poſt non eſſe: dicere poſſumus: formam etiam congenerari, vel per conſequentiam fieri.

XVI.

Porrò quod propriè & primò generatur, non generatur ex nihilo, ſed ex ſuis principijs: quorum alterum ut ſubjectum transmutationis præexiſtere debet, nempè Materia: alterum elicitur ex ſubjecto, ut generetur compoſitum, hoc eſt Materia, vi cauſarum agentium præparata, induit ſuam perfectionem, ad quam propendebat, quæ in formâ conſiſtit; qua forma etiam à materia dependet in eſſe & fieri, ſic ut non poſſit fieri, aut eſſe extra illam, vel operari.

XVII.

Unde per regreſſum argumentor: Operationes rei oſtendunt & arguunt modum eſſendi: ſunt enim ut actus ſecundi, aut [illegible] At forma per ſe operatur, non poteſt extra materiam: igitur eſſe ſuum & proinde etiam fieri habet à materia, & per agens Naturale, per eandem generationem, qua fit compoſitum, educitur de potentiâ materiæ, in qua potentia erat ante generationem.

XVIII.

Sed audiamus Philoſophum ſuper hac re ſe conſulentem, [illegible] ne media ſententia. 7. igitur Metaphyſ. 17. proponit quæſtionem, quæ ſit unitas, ut animal & bipes ſint unus homo? Reſpondet, quia alterum ſe habet, ut materia, alterum ut forma, & illud quidem ut potentia, hoc ut actus. Subjungit deinde

ſi ſit

τί ἂν τότε τὸ αἴτιον, ἢ τὸ δυνάμει ὂν ἐνεργείᾳ εἶναι παρὰ τὸ ποιοῦν, ἐν ἅπασι ἐστὶ γένεσις : ἄδέν, hoc est, Quæ igitur est causa, quæ id, quod est potentiâ producat in actum præter id, quod agit aut efficit, in quibuscunque est generatio ? nulla.

XIX.

Et ibidem t. 16. sic concudit : ἐστὶ δ' ὥσπερ εἴρηται καὶ ἡ ἐσχάτη ὕλη καὶ ἡ μορφὴ ταυτὸ, καὶ τὸ μὲν δυνάμει, τὸ δὲ ἐνεργείᾳ : ὥστε αἴτιον οὐδὲν ἄλλο πλὴν ἓν ὡς κινῆσαν τὸ δυνάμει εἰς ἐνέργειαν, h. e. Est verò, ut dictum, ultima materia & forma idem, & hoc potentiâ, hoc quidem actu. Quare nulla alia causa est, nisi quod ex potentiâ in actum promovet.

XX.

Quos textus eruditissimè interpretatus est Averroës his verbis, quæ diligenter reliqui Philosophi notarunt. Est, inquit, in generatione unum, quod primò est in potentiâ, & post transfertur de potentia in actum : translatio enim ejus non largitur ei multitudinem, sed perfectionem, verbi gratia, Sphæra in potentia, fit Sphæra in actu, cum agens extrahit ipsum dè potentiâ in actum.

XXI.

Et ad t. 16. ita commentatur : Quod, inquit, nonnulli circa rationem unitatis rerum decepti sunt, factum est ex eo, quod putarunt, id, quod potentia, diversum esse ab eo, quando id est in actu, cum tamen ista diversa minimè sint ; sunt enim materia & forma unum, exitusq; formæ de potentiâ materiæ non habet causam, nisi motorem extrahentem ipsam de potentia in actum.

XXII.

Averroi consentit Philoponus : Quando quæritur, quomodo ex Materiâ & Formâ fiat unum, inquit, talis est dubitatio, ac si quis quæreret, quid as & rotundum uniat, ut fiat poculum ? Respondetur hîc, quod rotunditas æri ab artifice ita moto conferatur, & id, quod potentiâ erat, fiat actu : sicut enim ibi efficiens ars : ita hîc natura, movens materiam ex potentiâ in actum. Eadem prorsus habet Alexander.

XXIII.

Apertè etiam D. Thomas ad hunc locum. Si, inquit, potentia & actus diversa essent in generatione, tunc necesse esset ea colligari & uniri per aliquod medium, sicut ea quæ sunt diversa : sed hîc se aliter res habet, quia materia ultima, hoc est, adpropriata ad formam, & ipsa forma sunt idem, & nulla causa est faciens ea unum, nisi quod movet potentiam in actum.

XXIV.

Sed & alibi clarius hanc sententiam proponit Averroës 12. videl. Me-

taph. t. 18. Vbi, cum varias de formæ ortu sententias proposuisset, Platonis, Avicennæ, Themistij, Saracenorum, & aliorum, subjungit tandem: Aristotelis verò opinio est, quod agens non facit nisi compositum ex materiâ & formâ, movendo materiam, transmutando, donec exeat de eâ illud, quod est de potentiâ in eâ, ad illam formam in actu. Atque hoc agens apud Aristotelem, non est congregans inter duo revera distincta, sed extrahens illud quod est in potentiâ, ad actum, non destruendo subjectum potentiam recipiens. & tunc dicuntur in composito duo, Materia scilicet & forma. Videatur idem 7. Metaph. t. 31.

XXV.

Concludamus igitur de Formis substantialibus, eas neque actu præexistere, neque de novo creari, sed esse in potentia materiæ, è quâ educuntur per agens naturale in actum, disponendo materiam & adproprinando, ut suam perfectionem inducere possit. Quo pertinet t. 13. libr. 12 Metaph. ubi disputat Philosophus, non opus esse ad generationem Ideis Platonicis, quia quodq; fiat à convenienti, Homo ab homine, Equus ab equo.

XXVI.

Simplicium item dictum 2 de Anima t. 2. susceptivum formarum, oportet habere aliquam familiaritatem cum ipsis, non tamen esse ipsas: aliter si esset, materia nihil esset aliud, nihilq; formæ præstaret ex se amplius, quam locum & susceptaculum cum solâ rei suscipiendæ negatione.

XXVII.

Id verò non sufficere docuit Aristoteles, non enim ex quovis non albo, sed ex albi privatione fieri ad ipsum mutationẽ propriam statuit, atque id pro modo, quo generationem fieri censuit, qui est per eductionem formæ. Eductio autem formæ, requirit & præsupponit adaptionem subjecti ad formam & convenientiam, ut loquitur Averroës, sive familiaritatem, ut Simplicius, mutationem item, quæ fieri non potest, si sit ex mera negatione formæ.

XXVIII

Quod ipsum deduco ex textu 26 lib. 2. Phys. ubi inquit, Ἔστι τῶν πρός τι ὕλη, ἄλλα γὰρ εἶδα ἄλλη ὕλη, h. e. Est insuper materia eorum, quæ sunt ad aliquid. Alia enim materia alia formæ est accomodata, ac vicissim.

XXIX.

Quin magis se explicat Philosophus 2. de Anima t. 26. Vbi inquit: Σῶμα μὲν γὰρ οὐκ ἐστὶν ἡ ψυχή, οὐ μέντοι δεῖ γε μὴ σῶμά τι τοῦτο εἶναι, οὐδὲ σώματι μέν τινι, οὐκ ἄρα ἔδει διαιρεῖσθαι τε πρῶτον· ἐκάστου γὰρ ἢ σωματικοῦ τοιούτου ἢ τοιουτῳδὶ μὴ τὰ εἴδη ἢ τὰ πρῶτα μεταῦτα. h. e. Anima corpus quidem non est, est tamen aliquid corporis, & inest

in cor-

in corpore, & corpore quidem tali; non enim quodvis quidvis ſine diſcrimine videtur ſuſcipere, ſed actus cujuſq. in eo, quod eſt potentia, & in ſuâ propriâq; materiâ, ſuapte naturâ fieri eſſeq; ſolet. Ad quem locum velim omninò videri quæ [illegible] *Themiſtius.*

XXX.

Reſtat alterum genus Formarum naturalium, quod diximus Accidentale, circa quod Diviſio notanda venit, ubi prius docuerimus quid Accidens Naturale appellemus, nimirum quod ſubſtantiæ naturaliter ineſt, eamve denominat. Hæc igitur Accidentia vel diſtincta actione adveniunt rebꝰ, vel per generationem, unâ eâdemque actione.

XXXI.

Quæ eadem actione generationis illis adveniunt, ea comproducuntur cum formâ, & virtute illius quaſi ex conſequenti reſultant: ad quæ ſecundario terminatur generatio ſubſtantialis. Sicut igitur forma educitur è poteſtate materiæ: ita & ipſa Accidentia.

XXXII.

Doceo hoc ex eo quod eſt per ſe: cujus duo modi adferuntur ab Ariſtotele: Primus continet prædicata eſſentialia, quæ ſunt λόγῳ τῆς οὐσίας: ſecundus continet τὰ ἐπεισοδῆ, Accidentia propria, quæ ex eſſentiâ fluunt, ea etiam dicuntur ineſſe per ſe.

XXXIII.

Inde enim ſic argumentor: Quæ eſt ratio eſſendi, ea eſt etiam fiendi, Atqui accidentia illa ſunt in rebus per ſe, ergò & fiunt per ſe, & ſic eodem generationis modo, ac proinde è materiæ quoque poteſtate cum formâ, licet ſecundario.

XXXIV.

Communia Accidentia iterum reſultant vel ab ipſâ materiâ, vel ab actione agentis in materiam hoc vel illo modo, per quam fieri ſolet, ut producatur aliquod extrinſecum: quod ſi extrinſecus prorſus adveniant, per diſtinctam actionem, habet tamen materia obedientialem potentiam ad ea recipienda, de quâ mox.

XXXV.

Reſtat ut de artificioſis quoque dicamus, quæ vel maximè videntur induci ab artifice in materiam, non educi: non enim poteſt hic ſtatui potentia naturalis è quâ educantur formæ: neque enim arbor habet naturalem inclinationem ad menſam, aut marmor ad ſtatuam.

XXXVI.

Respondeo, etsi res naturales non habent illam potentiam inclinantem & tendentem ad formas artificiosas, habent tamen non repugnantiam ἀνάλογον illi inclinationi, quam scholastici vocant potentiam obedientialem, exempli gratia: Etsi arbor non habet aquam naturalem ad mensam, tamen non repugnat fabro præparanti ad recipiendam formam mensæ.

XXXVII.

Quæ non repugnantia sufficit ad id quod volumus, eductionem videlicet itidem formæ. Rationem reddit Averroës in paraphrasi super lib. de Orti & int. Adfert eo loco discrimina inter artem & naturam. inter alia & hoc: Forma, inquit, quæ est ab arte, in sola superficie hæret, caná, incidit, secat, expolit, aut alia ratione appropriat ad formam artifex. Naturalis autem forma viscera materiæ penetrat, eamque intimè informat, unde & major ibi cum formâ comparatio requiritur.

XXXVIII.

Potest & distinctè responderi: Artificiales Formæ aut sunt à causis naturalibus, per applicationem artis productæ, ut vitrum & aurum: Hæ verò non differunt à substantijs, itaque eadem earum producendarum ratio.

XXXIX.

Aut sunt tantum figuræ externæ: Figura autem est modus Quantitatis. Modi autem referuntur ad sua fundamenta, & cum illis comproducuntur.

XL.

Atque hæc de Nobili hac Quæstione breviter ac perspicuè: Sunt qui nimis eam extendant ad cœlum etiam & Elementa, sed de illis alibi à nobis disputabitur.

DISPU-

DISPUTATIO XXXIX.

MICHAELIS PICCARTI

QVÆSTIONVM MI-SCELLANEARUM PHILOSOPHICARUM,

Respondit

Jacobus Renner/ Schmalfeldio-Marchicus.

Mens. Jul. cIↃ IↃ c XVI.

I.

An studium philosophicum sit homine Christiano dignum? Affirm.

QVanquam varij varia regerere audeant, nos tamen putamus verificari hic, quod dicitur: quamlibet rem in suo usu esse bonam. Nam si rem meliori cogitationis penicillo adumbremus, verius putamus asserere: Philosophiam Deo minimè displicere, imò placere, & ideò Christianis nequaquam extirpandam esse. Primùm enim Deus constituit hominem possessorem ac dominum omnium creaturarum, Gen. 1. v. 29. Gen. 9. v. 1. non autem solum ut eis utatur in sustentationem corporis, verum etiam simul pabulum habeat animi, & earum naturam investiget, miretur ac vimetur, id quod exempla prævia ostendunt, ut DEI Lev. 11. Jacobi Genes. 30. v. 37. Jobi Job. 9. v. 9 Davidis Psal. 104. v. 15. Christi Matth. 24. v. 32. II. Cui non poterit constare Christum ipsum aliquando philosophicè convicisse Iudæos Matth. 22. v. 21. 31. & seqq. Joh. 8. v. 42. 47. Et idem promittit Apostolis, quando dicit Spiritum S. ἐλέγχειν Joh. 16. v. 8. sic λογάζεσθαι Paulus Rom. 4. v. 28. & ab Episcopo requirit ἐλέγχειν τὸς ἀντιλέγοντας, Tit. 1. v. 9. III. Theologia his adminiculis carere non potest: Mens enim nostra nequit oraculis divinis se præbere pervulgam ob ingentem illam suffusionem, ex lapsu Protoplastorum in nos derivatam, nisi prius excolatur & acuatur Philosophicis studijs, hinc rectè Molineo dicuntur lima judicij & cos ingenij. Non dicam Theologiam ineruditam multis laborare

borare disputationibus. Non tamen negamus aliud esse Theologiam, aliud Philosophiam, nec volumus ita misceri, *ut confundat multa jura coquus, sed utramq; manere intra suos limites, ut cuilibet sua dignitas incolumis & integra relinquatur.*

II.

An analytica sit solùm Philosophiæ acroamaticum organum? Affirm.

Etiam si seculum, Veteris sapientiæ pertæsum, novitatis pruritu correptum, & Analyticam & Topicam *commiscuit, & ex hisce nescio quæ πραγματεῖα confecit, quæ nunc sub Dialecticæ nomine venditat, nos tamen, aversantes illud confusum chaos,* Aristotelis insistens vestigijs *dispescimus, & Dialecticen, utpote multò humiliorem, & δοξαστὴν potiùs quam ἀληθευτικὴν venantem, hoc loco relinquimus, atq; adeò Analytica πρώτων, acroamatica Philosophiæ Organi palmam porrigimus, his inducti rationibus.* I. *Quia ea præcipuè docet, quod Philosophiæ munus est, nempè quodlibet πάθος ad suum proprium subjectum, causas & principia reducere, ita ut aliter sese habere nequeat, id quod luculenter patet* ex 1. post. cap. 2. ex Monlorio & Conimbr. in præf. priorum, Scherb. de diffr. Dial. & Anal. Rudolpho. Goclen. in Lex. Phil. & alijs, II. *Quia Analytica doctrina propter Philosophiam est inventa.* Zabarel. de nat, Logic. l. 1. c. 10. *Esse autem propter Philosophiam deduci potest* ex 1. pr. c. 1. 2. post. c. 17. & deduxére hinc Alexander, Philoponus & Themistius, sicut referunt Conimbr. l. 1. de priore resol. adstipulantur Monlor. I. de ratiocin. & Scaynus in Paraph. 1. priorum. III. *Quoniam hæc sola rebus applicata, in nobis parit perfectam scientiam: Reddit enim nos ἀμεταπώτους & τετραγώνους: Ostendit quippe modum demonstrandi ex primis, veris, & immediatis ea, quæ sub scientiam cadunt, ut videre est* ex 1. Post. c. 2. Ruv. in Dial. Aristot. quæst. procem. 1. Monlor. in præf. 1. pr. Tolet de Dial. in communi quæst. 1. *Et hoc asseriscosejungitur à Dialectica.* Scherb. de diff. Dial. & Anal. Zabarel de nat. log. l. 2. c. 10. *Et hinc Aristoteles sæpè vellicat Veteres, objiciens eis ἀπαιδευσίαν,* ut 4. Met. 4. 1. Phys. t. 21. 8. Phys. t. 26. & alibi. IV. *Occurrit plusquam aurea vox Aristotelis* 1. Cæl. t. 23. *Modicus in principio à veritate recessus, discentibus sit longè decies millies major.* Eod. *modo res se hic habet; si enim Analyticam pro genuino Philosophiæ organo agnoscere dedignamur, extra Philosophiæ chorũ salramus, siquidem rem non scimus, nisi prius cognoscatur aliter se habere non posse, ut constat ex* 1. post. c. 2. *id, quomodo consequamur docet Analytica: tum enim scire nos dicit, quando demonstravimus.* 1. Rhetor. ad Theod. c. 2.

Non

Non igitur audimus Fr. Patricium, *quem tom.* 3. *discuss.* Peripat. *l.* 4. *effutire non pudet, post infinitos labores & inextricabiles labyrinthos nos, tantùm ex doctrina Analytica proficere, ut ἀμεθόδως evadamus: Scimus enim illum crebrò in Aristotelem citra ejus meritum invehi. Faciant etiam Novatores, sufficiant Philosophiæ suæ, quam tanti jactitant, spernentes interim Analyticam & Glauci Marini colligentes contusas tabulas.*

III.

An Demonstratio sit nobilissimus sciendi modus? Affirm.

Hic iterum, more solito, refragatur Fr. Patric. tom 3. discuss. Peripat. l. 4. *dicens: nullam dari in rerum natura Aristoteleam demonstrationem. Vereatur, ne detorqueatur in illum, quod* Scaliger Exerc. 307. s 12. inquit, *nempe: Aristotelem nonnullos mures è pistrino, vexare adortos esse. Interim resistimus ei argumento, quo* Philoponus in suis comment. *red. arguit eos, qui contendebant: non dari Syllogismum:* Patricius *negans dari demonstrationem, aut probat, quod asserit, aut non probat; si non probat, non consentiendum ei; si probat, facit id aut* ἐνδόξως, *aut* σοφιστικῶς, *aut* ἀποδεικτικῶς, *si* ἐνδόξως, *adversamur ei* ἐνδόξως; *si* σοφιστικῶς *Sophistæ nomine, diffamamus, si* ἀποδεικτικῶς, *habemus, quod expetimus. Nos aliâ incedentes viâ dicimus, non solum dari demonstrationem, sed etiam principalem sciendi modum vocamus. Nam l. per demonstrationem, ut apparet ex* 1. c. 2. & 10. *proximam causam, & proprium subjectum accipimus, uti etiam asserit* Cæsalp. l. 1. quæst. Peripat. q. 2. *ex cujus essentia proprium producitur* πρῶτ. Scalig. Exerc. 325. s. 2. *II. Ducit nos ad perfectam scientiam* Conimbr. l. 1. de post. resol. c. 17. *habitu enim demonstrativo acquisito certò & perfectè scimus: hinc,* teste Zabarella, Aristoteles ipsemet 2. Post. c. 17. ἀποδεῖξιν καὶ ἐπιστήμην ἀποδεικτικὴν τῶν ait, *quoniam perfectam demonstrationem consequatur, ut pariat perfectam scientiam, id quod apparet* ex 1. pr. c. 30. *Non autem excludimus hoc modo reliqua tria instrumenta, seu modos docendi, quæ constituit ex Aristotele* Scalig. Exerc. 1. s. 3. *nec reprobamus, sed tantum præferimus demonstrationem, puta in qua, ceu in centro omnes confluunt, ut ita absoluta* ἀποδεικτικὴ μέθοδ. *existat, quæ, ut loquitur Eustratius* τὴν λογικὴν ψυχὴν *perficiat, & qua, tanquam ancyli cælitus delapso, possimus evitare omnes errorum impetus.*

IV.

Compositum num semper melius componentibus? Disting.

Quæ componuntur, ad minimum ex duobus componuntur: In generatione verò

verò alterum rationem habet materiæ & potentiæ, alterum rationem formæ & actus, quæ duo cum longo ab invicem distent intervallo: ab actu enim perfectio, à materia imperfectio; inde fit ut compositum ab altero habeat imperfectionem, ab altero perfectionem. Si verò ex permixtione omnium oppositorum vis refringitur, ex secretione restituitur & intenditur: Nunquid aliud concludemus, quàm quod ex materia imperfectionis participatione, forma perfectio labefactetur, ex ejusdem secretione splendorem suum recipiat? Forma ergo perfectior composito, quia materiæ additamentum adimit potius ei aliquid perfectionis, neq; enim operari eam semper sinit. Hinc est quod Aristoteles formam finem generationis appellat, non compositum. Hinc est quod D. Thomas lib. 2. contra Gentiles cap. 12. *DEVM & creaturam esse quid minus, quam Deum solum, id quod explicat* Montecatinus 3. Politico, *quia Deus non præstantior evadat, rerum minus præstantium gubernatione & regimine, qui in se sit beatissimus. Hinc est, quod* Aristoteles Platonem *reprehendit in divisione Bonorum: Dicebat ille: Bona alia per se solum expeti, alia tantum propter aliud, alia simul & per se & propter aliud: & hæc postremo præstare aliis opinabatur. Minimè inquit Aristoteles. Additio enim propter aliud, imperficit Bona per se. Hinc est, quod qui virtutes solùm liberales possidet, melior censetur à Philosophis, quàm qui simul serviles habet. Hinc denique fluxit, quod Philosophiolim, si accederent ad Rempublicam, imperfici se putabant: Id quod docet elegantissimum Epigramma* Themistij, *quo vocatus ab* Imperat. Juliano *ad Consulatum, exhortatur seipsum, ut rejectis illis vanis honorum insignibus, ad studium sapientiæ redeat, quod Latine ita reddidit Vir Magnus:*

Curribus ætherijs sub vectum, heu dedecus ingens,
Nunc juvat argento rheda coruſca brevi.
Vilior es multò, quò dignior ante fuisti.
Ima pete, ut scandas; nam cadis alta petens.

An forte Senecæ *ista legerat: Descendere videtur sapiens, cum sellam curulem conscendit. Sed de re clara satis.*

V.

An aër sit calidus? Affirm.

Observandum hic est, ut monet Zabarella lib. de reg. aëris, *aliud esse: primas qualitates seu elementa in suæ naturæ puritate considerare, aliud, extra suam puritatem. Priori igitur modo statuimus aërem esse calidum: Est enim velut vapor 2. Gen. & Cor. c. 3. Vapor autem calidus est & à calido conser-*

conſervatur, à frigore autem condenſatur 1. Meteor. c. 10. II. *Aer eſt levis & fertur ſurſum,* lib. 4. Meteor. c. 7. lib. 4. Cæl. c. 4. *Levitas autem ſequitur calorem, quia hic fertur ſurſum,* Problem. ſ. 13. p. 5. *quod eſt indicium levitatis.* 1. Cæl. c. 3. III. *Si aër non eſſet calidus, tolleretur illa conjugatio elementorum, ab Ariſtotele* 2. de Gen. & Cor. *tradita: conveniunt enim vicina elementa altera qualitate, quam* ſymbolam qualitatem *vocat* Cæſalp. quæſt. Peripat. lib. 4. q. 3. *Convenit autem cùm aqua, humiditate* lib. de ſenſu & ſenſ. *Conveniet igitur cum igne caliditate, quamvis diſpari temperatiori, ſiquidem ſimul humidus & calidus, ut loquitur* Scal. Exer. 10.

VI.

An eſſentia differat ab exiſtentia? Affirm.

Hujus quæſtionis viam ſternit Ariſtoteles 3. Met. c. 2. *inquiens:* τωὐτὸ γὰρ εἶς ἄνθρωπος καὶ ὢν ἄνθρωπος καὶ ἄνθρωπος. *Exinde enim quæritur, an eſſentia, quam* homo, *& exiſtentia, quam* ens homo *innuit, prorſus ſint idem? Nos obſervantes* conſilium Ariſtotelis 6. Ethic. c. 1. δεῖ τὸ μέσον αἱρεῖσθαι, ὡς ὁ λόγος ὁ ὀρθὸς λέγει, μὴ τὴν ὑπερβολὴν μήτε τὴν ἔλλειψιν: *mediâ eamus viâ, & hæc duo nec realiter à ſe invicem diſtingui, nec planè eſſe eadem, ſed tantum* τῷ λόγῳ *ſeu* conſiderandi modo *differre pronunciemus, ſuffulti his rationibus.* I. *Quæcunq; intellectus diſtinctè concipit, illa* τῷ λόγῳ *differunt. Nam ſecundum* Averroëm *intellectus facit diſcrimen rationis. Atqui eſſentiam & exiſtentiam intellectus diſtinctè concipit: Poteſt enim concipere roſam, nivem &c. etiamſi nunc non exiſtat.* II. *Quia hæc duo ad ſe invicem ſeſe habent, ut* potentia & actus: *nihil enim exiſtit niſi habeat eſſentiam: Exiſtentia verò eſt ultima perfectio, ſeu actualitas omnis formæ.* Fonſeca & Scaynus in lib. 4. Met. III. *Eſſentia & exiſtentia differunt, ſicut* Ens & unum: *hæc autem differunt ſolum ratione* 4. Met. c. 2. *Ergò & illa.* IV. *Ipſemet Ariſtoteles diſtinguit inter hæc duo, quando* 2. Poſt. c. 7 *dicit* τὸ γὰρ τί ἐστιν ἄνθρωπος καὶ τὸ εἶναι ἄνθρωπον, ἄλλο. *Patet idem, quod initio* 2. Poſt. *diſtinguit quæſtionem* εἰ ἔστι καὶ ἔστιν, an ſit & quid ſit. *Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, ſententiam noſtram, quâ eſſentiam & exiſtentiam differre quidem ait, ſed tantum* τῷ λόγῳ, *eſſe veriſſimam. Verum, licet exiſtentia non pertineat ad notionem eſſentiæ, non tamen ideò dicendum, quod ipſa exiſtentia eſſentiæ ſit accidens, alioquin etiam eſſentia actu exiſtens, eſſet accidens, id quod pronunciat* Scayn. in lib. 5. primæ Philophiæ. *Vide* Ariſtoteles 7. Met. c. poſtr. *inquit; dum quæritur, ſi eſt tonitru, quari: an ſit aliquid, quod pertineat ad eſſentiam tonitru.*

VII.

An voluptates corporis præstent voluptatibus mentis? Neg.

Et si voluptates plerique omnes expetant, duum tamen generum esse videmus, corporis & animæ, seu sensuum & mentis, quorum illud ferè omnes avidius sequuntur. Nos tamen circumspicientes quid homo sit, & quis esse debeat, *voluptates mentis* ἀμεταπτώτους *esse asserimus; longo enim intervallo has illas à tergo relinquere autumamus. Siquidem mens, cui insunt hæ voluptates, longe meliori loco & conditione est, quàm corpus: Est enim* τὸ θεῖον 2. de Gen. animal. c. 3. *scil. comparatione aliarum ignobiliorum partium animæ, ut vult* Zabarel. lib. de mente hum. c. 9. *quippe quæ multò propius abest ab illo præstantissimæ & sapientissimæ mentis* Numine. Flam. Nobil. de vera & falsa volupt. II. *Mens propria est hominis* 1. Met. c. 1. *qui est omnium animalium præstantissimum & felicissimum.* 6. Eth. c. 7. 10. Eth. c. 8. Cic. 1. de nat. Deor. & 1. de Leg. Zabarel. de mist. c. 13. III. *Voluptates animi possessorem non solum reddunt bonum, sed ad summum etiam bonum,* ὁμοίωσιν *videl. divinam ducunt, Corporis verò bestiali potius induunt larvâ, ut præclarè innuit* Nobilius *suprà allegato loco, quoniam bestiarum magis sunt quàm hominum* 7. Eth. cap. 12. & 13. *unde & brutæ nuncupantur.*

SENECA Ep. XXXVIII.

Pauca sunt, quæ dicuntur; sed si illa animus benè exceperit, convalescunt & exurgunt.

DISPU-

DISPUTATIO XL.

MICHAELIS PICCARTI

De

SCIENTIÆ NATURA.

Respondit

Johann Schwäger/Villaco-Carinthius.

Mens. Maj. cIↃ IↃ c XVIII.

THESIS I.

PErfectionem Hominis consistere ἐν τῷ θεωρεῖν, sicut animalis ἐν τῷ αἰσθάνεσθαι, Alexander asseruit, nec repugnat Philosophorum puriorum Schola, estq; argumento infallibili naturalis ille appetitus sciendi 1. Metaph. c. 1. à Philosopho nostro ostensus.

II.

Vnde mirari satis vix possum, ausos quosdam fuisse negare: Dari ullam scientiam de rebus; quos ego, si daretur alloqui, interrogarem: certum ne ipsis esset an incertum quod assererent? si incertum; cur assensum ab alijs expostulant, cum sibi ipsis nondum persuaserint? sin & certum ipsis est, quod dicunt, jam inviti fatebuntur vel unius alicujus scientiam dari.

III.

Sed nec illorum sententia nobis placet, qui scientiam quidem aliquam relinquunt, sed eam nihil aliud esse volunt, quam ἀνάμνησιν & Recordationem sive Reminiscentiam.

IV.

Scientiæ, inquit Plato, sunt in nobis, & opus est tantum earum excitatione: Mens enim ingressa in corpus, habitat juxta flumen oblivionis, opus est solum excitatione, ut sensilibus objectis recordetur eorum, quæ noverat.

V.

Rationes tamen Platoni non desunt, quibus hanc, quam improbamus, sententiam defendere conatur. 1. inquit, Qui naturaliter ad rem aliquam contendunt,

dunt, faciunt id propter suam formam, quæ est caussa motuum & imperuum. At verò homo naturaliter fertur ad scientiam: habet igitur talem formam, ut scientia possit ei inscribi.

VI.

II. *In Phædone ait: Nisi homo innata haberet rerum scientias, non cognosceret rerum essentias, & principia constituentia. At verò cognoscit hæc. Ergò & illud concedatur oportet. Ratio connexi exinde deducitur, quia, nisi quid animæ humanæ naturaliter inscriptum esset, nihil cognosceret, nisi quod sensus ei offerrent. At verò sensus nihil menti offerunt nisi accidentia, figuram, sonum, colorem, numerum, quæ sunt accidentia fundata in Quantitate, Qualitate, & alijs: ab essentiâ verò rerum distincta & longè imperfectiora, unde ab illis essentiam haurire non licet, sed excitatur solum mens per illa oblata accidentia, ut inscriptæ sibi rei essentiam recolligat, & ejusdem perfectè recordetur.*

VII.

III. *In Menone ait: Qui rectè interrogatus est, rectè respondet, & solâ interrogatione excitatur vera responsio: Quid ni igitur & responsionum subjectum sit in mente & excitetur?*

VIII.

IV. *Animus humanus non pendet à materiâ, etsi in illâ sit; non enim est productus mutuâ actione primarum qualitatum; unde nec subjectus est alterationi, sed est forma ἀύλω in se considerata æterna & immortalis: Animus igitur non patitur, non mutatur, aut aliter se atq; aliter habere potest. Recordabitur igitur tantum eorum, quæ per naturam habet, eaq; evolvet.*

IX.

V. Videtur hoc ab ipso Aristotele probari. Nam *1. de Cælo c. 2. t. 22. & 1. Meteorolog. c. 3.* ait: scientias esse æternas; non enim posse à quoquam homine referri auctores scientiarum primos, sed tantum recuperatores seu renovatores. Talis autem reintegratio non fieret, nisi aliquid in homine esset, quo scientiæ niterentur.

X.

VI. *Physicorum* lib. 7. c. 3. t. 20. *ita loquitur Philosophus*: ἀπὸ δὲ ἐξ ἀρχῆς λήψεως τῆς ἐπιστήμης γένεσις μὲν οὐκ ἔστι, δὲ ἀλλοίωσις. τὸ γὰρ ἐφρονεῖν καὶ τὴν διάνοιαν ἐπίστασθαι καὶ φρονεῖν λέγομεν. εἰς δὲ τὸ ἐφρονεῖν οὐκ ἔστι γένεσις. *hoc est. Scientiæ à principio adquisitio generatio non est, neq; alteratio: cogitationem enim in quiete & statu positam sine & sapere dicimus. Ad mutationem autem, quæ est ad statum, nulla est generatio. Si igitur non generatur in animo scientia, oportet antea ibisse & quiesse.*

VII. *Idem*

XI.

VII. Idem ſuadere videntur & illa Ariſtotelis verba 2. Poſt. c. ult. *ubi ſimili utitur militari: Exercitus, inquit, profligatus ab hoſte, & in fugam verſus, ſe quandoq; recolligit, ſic, ut primum unus miles conſiſtat, inde duo, poſt tertius quoque & quartus, & ſic totus tandem reparatur exercitus: ſubjungit deinde:* ἡ δὲ ψυχὴ ὑπάρχει τοιαύτη οὖσα, οἷα δύνασθαι πάσχειν τοῦτο. *Talis videtur & anima noſtra, & aliquid tale ei evenire. Objecto videlicet uno per ſenſum individuo, mox altero, tertio, quarto, excitatur latens in animo Univerſale.*

XII.

VIII. Et quis dicere poteſt, quando didicerit iſta communia Axiomata: Totum eſſe majus ſua parte, bis duo eſſe quatuor. Fuere igitur menti inſcripta naturæ digito.

XIII.

IV. Quid? quod, ſi quis velit attentius quid conſiderare, adducit quaſi animum à ſenſibus, & in intimos convertitur mentis receſſus, tamquam ſi velit literas menti inſcriptas, & pene obliteratas revidere & evolvere.

XIV.

X. Deniq; Socrates olim in hanc ſententiam: Scientia non generat in te ſcientiam, ſicut calor calorem; ſed excitatione mea generatur in te; non ego imprimo tibi aliquid, ſed quod poteſtate jam ſcis, in actum educo. Atque hinc ſe obſtetriciam artem exercere dicebat: Obſtetrix enim ipſa non parit, ſed quod in gravidæ utero eſt, ad eductionem promovet. Vid. Plutarch. 1. Quæſt. Platonicâ.

XV.

Hæc & alia pro ſuâ ſententiâ Plato: ſed falſum tamen ipſum eſſe liquidò adſerimus: Primum autem deceptus eſt in eo, quod duo tantum extrema agnovit, Perfectè ſcire, & perfectè ignorare. Ariſtoteles agnovit & medium, partim ſcire, partim ignorare, 1. Poſt. 1.

XVI.

Concluſiones enim principijs cognitis poteſtate tenemus, quæ in principijs ſunt, ut ſemen poteſtate eſt arbor, in vite vinum, in apibus mel.

XVII.

Habetq; ſe res in ſcientiâ generandâ, ut in rebus Phyſicis, ubi etiam verum; quod omne, quod fit, jam aliquid factum eſt, & omne quod movetur aliquid habet motum. Hoc ſcientiæ medium rectè quis dicat auroram ſcientiæ ſive cognitionis, neq; enim plenè ſcimus, neq; plenè ignoramus.

XVIII.

II. Deceptus in eo quoque est, quod censuit, non hominem sed mentem in se consideratam, discere aut cognoscere: cum actiones & passiones sint compositorum. Et certum est concurrere plures facultates ad generationem scientiæ, de quare 2. Post. c. ult.

XIX.

Adversatur præterea dogma Platonis experientiæ; nam qui recordatur alicujus rei, agnoscit se aliquando sciviſſe. At qui discit aliquid, non meminit se antea sciviſſe.

XX.

IV. Certum est nos, quidquid scimus, scire vel per Definitiones, vel per Demonstrationes 1. Metaph. t. 48. 1. de animâ. Illæ colliguntur per experientiam & sensum: Generis definitio per ea, quæ speciebus insunt singulis, observata colligitur: Speciei, per ea, quæ singulis individuis. Demonstrationes habent sua principia, quæ item sensu & experientiâ colligi d. l. 1. Posterior. docetur. Non ergò petimus scientiam ab innatis animæ rationibus.

XXI.

V. Ἀνάμνησις sive recordatio non fit sine memoriâ, memoria verò tantum est Phantasmatum, quæ pertinent ad animam sentientem. Unde & memoria tantum ex eventu est universalium, quatenus videlicet illa in imaginatione relucent.

XXII.

VI. Adde, si scientia nihil esset nisi recordatio, nulla foret opinio falsa; opinio enim est scientiæ umbra, falsa autem menti non erunt inscripta.

XXIII.

Denique, si excitatione solum indigeret latens illa in mente scientia, quid opus foret tam accurata Demonstrationum methodo? Leviſſima videlicet quæq; signa vim haberent excitandi.

XXIV.

Neque verò rationes Platonis tanti sunt, quanti à quibusdam fiunt. Primum, enim, ex naturali propensione ad scientias, non colligitur quod illi volunt: Omnia, enim, propendent ad ea, quorum habent facultatem, non tamen sequitur, habere statim actum. Δύναμις videlicet illa commutanda est in actum. Ignis, verbi gratiâ, naturâ sursum fertur & contendit, non tamen illi impreſſus est locus superus.

XXV.

Accedit, quod appetitus præsupponit defectum; neq; enim appeto id quod jam

jam habeo: unde quia scire naturaliter homo appetit, sequitur non impressam esse illius menti: quod si impressa jam esset, cessaret appetitus, aut non inesset.

XXVI.

Ad II. dico: Essentias rerum definitione propositæ cognoscimus, venamur autem illas ex accidentibus, ut illi volunt, sive actionibus. τὰ γὰρ συμβεβηκότα συμβάλλεται μέγα μέρος πρὸς τὸ εἰδέναι τὸ τι ἐστί, *& operationes sunt signa habituum sive formarum.* 1. de Animâ cap. 1. t. 11. 2. de Animâ cap. 4. t. 33.

XXVII.

Ad III. dico: Per interrogationem non excitatur scientia in animo latens, sed per facultatem naturalem, quæ est in homine, qua aliud ex alio colligimus, quæ dicitur Διάνοια *sive Discursus, & agitatio sive ambulatio mentis. Hujus beneficio fit, ut rectè respondeamus ad interrogata: Quæ vis ut in alijs atq; alijs est acutior aut obtusior: ita fieri consuevit, ut rectius meliusq; respondeatur, aut minus accommodatè.*

XXVIII.

Ad IV. Mens nihil novi in se accipit, cum discimus, sed cognoscit ea quæ in Phantasia sunt: habilitatem, ergò solum adquirit discendo, facilius inquirendo. Quod si omninò pugnes: recipere aliquid, infero: illam receptionem non esse corruptivam sed perfectivam; sicut verbi gratia. Luna & Corpus cœleste, lumen recipiunt à Sole, non tamen corrumpuntur propterea. Vid. 7. Phys. c. 3. t. 17. & 18.

XXIX.

Ad V. dico: sensum locorum illorum esse: Nihil dici posse, quod non dictum sit prius, & quidem ante multas annorum etiam myriades: cum enim æternum Aristoteles statuerit mundum, quid mirum, si eadem placita etiam infinities revocata scribat? At pro tabulis menti inscriptis nihil ista faciunt.

XXX.

Ad VI. Eadem est responsio, quæ fuit data objecto quarto, & rem illam pulcherrimè explicuit 7. Phys. t. 17. & 18. c. 3. In VII. sophisma committur: Disputat enim eo loco Aristoteles 2. Post. cap. ult. quomodo incipiamus progredi ad scientiam. Ibi primum sensus offert unum singulare, mox aliud & aliud, conservat memoria per Phantasian, gignitur experientia, intellectus distinguit & separat, & facit universale sibi abstractum à rebus sensibilibus.

XXXI

Ad VIII. Deducimur in cognitionem Axiomatum ope sensuum, memoriæ, experientiæ. Id sic capiendum: Quemadmodum se oculus habet ad lumen:

ita mens

ita mens noſtra ad principia. Iam ait lumen habet oculus propenſionem naturalem ad id, adeo in tenebris agrè ipſi eſt, per lumen verò cognoſcit colores. Sic mens noſtra fertur ad principia, quæ immediatè cognoſcit, concluſiones per principia, tamquam oculus colores per lumen.

XXXII.

Ad IX. dico, non abducere nos animum à ſenſibus ideo, quaſi velit inſcripta menti evolvere: ſed impedimenta removeri debent, phantaſia jam phantaſmatibus repleta, ut poſſit mens exactius diſtinguere, ne novis accedentibus phantaſmatibus turbetur.

XXXIII.

Ad Socratem denique quod attinet: ad ingenerandam alteri ſcientiam, certum eſt plura requiri: non enim ego poſſum meam ſcientiam imprimere tibi, ut meæ manus calorem, imprimere tuæ manui poſſum: ſed requiritur imprimis in te aptitudo animi, quam Docilitatem appellamus, ut inſtitutionem meam admittas, percipias, eidem ſtudium & exercitum adjungas, ſic paullatim ſcientiam comparabis.

XXXIV.

Ad Perſonam Socratis hoc addo: ſi verè ſenſit ſcientias hominum animis à naturâ eſſe impreſſas, latere tantum & excitatione indigere. Quomodo conſtabit ſibi in eo, quod profeſſus ſcribitur, unum ſe ſcire, quod nihil ſciat. Si enim ſcientia eſt recordatio tantum, debuiſſet meminiſſe ſe omnia ſcire.

XXXV

Refutatis hactenus erroneis de Scientiâ opinionibus, nunc, quid veritatis de hac re ſit, paucis aperiamus. Dicimus igitur Scientiam, quæ verè hoc nomine venit, & propriè ita appellatur, acquiri ſtudio noſtro & labore, eamq; naſci ex præcedenti aliqua cognitione, quæ ſit clarior, qua præcedens cognitio confuſa adhuc eſt, paulatim deinde perficitur.

XXXVI.

Nihil enim abſurdi eſt, aliquid quodammodo cognitum eſſe, & tamen ejusdem cognitionem ulteriorem haberi. 1. Poſt. c. 1. ubi de hac replenè.

XXXVII.

Perfectè autem & plenè ſcire dicimus illum rem aliquam, quando cauſſam cognoſcit propter quam res eſt, quod illius cauſſa ſit, & quidem ita, ut propter eam rem aliter ſe habere non contingat.

XXXVIII.

Ex qua notione apparet, tria conjuncta facere ſcientiam. I. Si habeatur non concluſionis tantum, ſed rei potiſſimũ cauſſa, eaq; proxima & adequata. Cauſſæ autem vocabulum hîc non reſtringimus ad Efficientem ſolùm. Nam cum con-

cluſiones

clusiones sint de proprijs παθεσι, illæ autem à formâ manent, forma hîc minimè excludi debet, immò nec aliæ.

XXXIX.

II. *Quia fieri potest, ut & effectum sciamus & caussam, quæres sunt separatæ, non autem connectamus, hoc est non ita cognoscamus, ut hoc sit illius caussa, hic hujus caussæ effectus; ideò ad perfectam scientiam requiritur, ut quis cum proprio effectu propriam caussam conjungat, & sciat se hujus rei veram caussam tenere.*

XL.

III. *Requisitum est, ut sciat illum effectum, & istam caussam ita inter se connexa esse, ut aliter se habere non possint, sed uno posito alterum poni, uno sublato alterum tolli.*

XLI.

Ex his tribus conjunctis efficitur hoc, ut animus scientis sit ἀμετάπτωτος & immobilis, ἀμετάπειστος, ut in aliam sententiam pertrahi non possit, immò ut à contrariâ opinione aut diversâ, toto pectore resiliat.

XLII.

Talem verò scientiam assequimur beneficio Demonstrationis, quam exinde Philosophus definit Συλλογισμὸν ἀποδεικτικὸν, Syllogismum faciens scire. De quo aliàs.

ΠΑΡΕΓΑ.

I.

MAlè Portius in libello quem inscripsit: An homo sponte fiat aut invitè bonus? Voluntatis nullum objectum esse censuit ex his fundamentis: Motus non movetur. Voluntas est motus. Ergò. II. Objectum est facultatis tantum cognoscentis. Voluntas autem non cognoscit. Ergo.

II.

Malè item Plato, qui censuit neminem sponte fieri malum, quia nemo sponte ægrotet corpore, malitiam autem animi morbum esse.

III.

An verò & illud erroneum, quod censuit idem Plato? Virtutes morales solum materiâ, specie verò non differre? ἐπέχω.

IV.

Quod Themistius ait, aliquando τὸ ὅτι cognosci posse sine cognitione τοῦ διότι, absurdum alicui videatur: verum tamen esse docebimus.

DISPUTATIO XLI.

MICHAELIS PICCARTI
DISPUTATIO PHILOSOPHICA
De
NATVRA ACTVVM SECUNDORUM,

Respondit

Conradus Hatzkius.

Mens. Maj. cIↃ IↃ cXVIII.

THESIS I.

PHilosophus noster investigaturus lib. 2. de Animâ c. 1. 2. Animæ Genus, ita progreditur: Cum, inquit, duo genera τῶν ὄντων alibi à nobis constituta sint, substantia videlicet & Accidens: ad alterutrum horum duorum generum, Anima revocanda erit: non verò ad Accidens, igitur ad Substantiam.

II.

Porrò pergit, Substantia dicitur ut Materia, ut Forma, ut Compositum: Anima non materia, non compositum. Ergo Forma. Vt verò Materia Potentiam: ita Forma Actum notat, qui duplex in rebus, primus & secundus: ille habitui similis, hic, operatio ex habitu fluens.

III.

De hoc Actu secundo, adeoq; de operationibus fluentibus à formâ, magna disputatio inter Philosophos, accidant ne rebus, an verò sint ipsis essentiales, pertineantq; ad τὸν τῆς οὐσίας λόγον? illud pluribus, posterius nobis placet.

IV.

Id verò primum ex hoc ipso, quem adduximus, loco colligimus: Partitur enim hic Philosophus substantiam, in potentiam, actum, & compositum: actum subdividit, in primum & secundum. Jam quod de superiore præmittitur, fundatur etiam ad inferius. Si actus in genere est substantia, etiam primus & secundus.

Verum

V.

Verum, quia objici nobis poterat, eam partitionem non tam univoci cujusdam esse, quàm illius quod habet se deinceps, qualis fuit partitio principij in 1. Posterior. de qua Averroës, in eâ, sicut & aliis, parum absurdi esse, quod de communi prædicatur, parti alicui repugnare; ideò huic assertioni nostræ, alij tibicines, qui eam sulciant, substituendi.

VI.

Sic igitur argumentor: Quorum absentia rem perimit aut enervat, contrà præsentia perficit, & facit verè esse unumquodq; id, quod est, aut esse debet, illa non rectè dicuntur rebus illis accidere. Actuum secundorum absentia, rem imperficit aut etiam perimit, contrà præsentia perficit, & verè facit formam esse id, quod esse debet. Ergò Actus secundi rebus non accidunt, sed pertinent ad τὸν τῆς οὐσίας cujusq; λόγον.

VII.

Major extrà dubitationis aleam posita est: Confirmanda igitur Minor nobis est, Auctoritate veterum Sapientum, & rationum evidentium momentis. At primum quidem de priori dispiciendum: nititur illud auctoritate primum Aristotelis. 4. enim Meteorolog. cap. ult. Μᾶλλον γὰρ δῆλον ὅτι ὁ νεκρὸς ἄνθρωπος ὁμωνύμως: οὕτω πίτυν καὶ χεῖρα πλευτῆσαι φασι, καθάπερ καὶ αὐλοὶ λίθινοι λεχθείησαν, *hoc est, Apertum videlicet, quod manus emortui hominis, æquivocè manus dicatur, sicut & ipse mortuus sive cadaver æquivocè homo, haud aliter quam tibiæ lapideæ homonymos tibiæ dicuntur.*

VIII.

Rationem mox subjungit: Πάντα γὰρ ἐστὶν ὡρισμένα τῷ ἔργῳ. τὰ μὲν γὰρ δυνάμενα ποιεῖν τὸ αὐτὸ τῶν ἔργον, ἀληθῶς ἐστίν ἕκαστα. οἷον, ὁ ὀφθαλμός, εἰ ὁρᾷ. τὸ δὲ μὴ δυνάμενον, ὁμωνύμως, οἷον ὁ τεθνεὼς, ἢ ὁ λίθινος. οὐδὲ γὰρ πρίων ὀξύλινος, ἀλλ' ἢ ὡς ἡ εἰκών, *hoc est, Munere suo ac officio definita sunt universa, nam quæ suo munere fungi queunt, singula verè sunt, ut oculus, cum cernit: quæ verò nequeunt, æquivocè, ut emortuus lapideúsve oculus: non enim serra, lignea verè serra est, sed tantum serræ cujusdam imago.*

IX.

In 1. Politico. c. 2. eadem repetit: Ἀναιρεμένου, *inquit,* τοῦ ὅλου, οὐκ ἔστι πούς, οὐδὲ χεὶρ, εἰ μὴ ὁμωνύμως, ὥσπερ, εἴ τις λέγει τὴν λιθίνην, διαφθαρεῖσαι γὰρ ἔσται τοιαύτη. πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὥρισται καὶ τῇ δυνάμει: ὥστε μηκέτι τοιαῦτα ὄντα, οὐ λεκτέον τὰ αὐτὰ εἶναι, ἀλλ' ὁμώνυμα. *Sublato toto non erit pes, neq; manus, nisi æquivocè, perinde, ac si quis dicat lapideam: quæ enim interijt, ejusmodi erit: cuncta autem opere ac facultate sunt definita; quare quæ non am-*

plius sunt ejusdemmodi, (intellige, ut operari suum opus possint) non est dicendum, illa amplius esse, sed æquivoca.

X.

In 1. Topico. c. 1. Eum Paralogismum, qui in formâ peccat, Syllogismi appellatione non dignatur, quia syllogisticam necessitatem non præ se ferat, quæ jam virtus est, seu munus & ἔργον syllogismi. Ἐπειδὴ, *inquit,* Φαίνεται μὲν συλλογίζεσθαι, συλλογίζεται δ' οὔ. ἐλεγχος μὲν συλλογισμὸς δ' οὔ, *hoc est, ἀληθὴς & verè.*

XI.

Præceptori consentit Alexander Aphrodisiensis, qui in 1. Quæstion. Natural. substantiam, quæ suo munere fungi non posset, ambiguè substantiam appellat: Cumq; Homo perficiatur τῷ θεάσασθαι, sicut animal τῷ αἰσθάνεσθαι, audet & ipse, & alij plures, hominē rudem appellare homonymως hominem. Averrois certè verba in Proœmio Physico sunt hæc: constat ultimam perfectionem, & integram veluti essentiam hominis esse, si perfectè obtineat scientias speculativas: Quod autem hoc sit hominis ultima felicitas & vita perpetua, per hanc scientiam satis apparet, cum nomen hominis, quod dicitur de eo, qui est in scientijs speculativis consummatior, & de eo qui non est in eis perfectus, aut non est habilis, ut in eis perficiatur, profectò æquivocè dicatur de ipsis: quemadmodum quoq; dicitur homo de vivente & de mortuo, de rationali, & picto in lapide, æquivocè aut homonymως.

XII.

Accepere hoc fortasse à Pythagorâ, de quo Iamblichus in vitâ ejus cap. 8. eum, cum in Italiam venisset, ut Crotoniatas juvenes ad studia literarum & disciplinam excitaret, in gymnasio concionem habuisse, in qua inter alia dixisset: τὴν ἀγωγὴν διαφέρειν τοὺς μὲν ἀνθρώπους τῶν θηρίων, τοὺς δὲ Ἕλληνας τῶν βαρβάρων, τοὺς δὲ ἐλευθέρους τῶν οἰκετῶν, τοὺς δὲ φιλοσόφους τῶν τυχόντων. *Institutione & eruditione homines à bestijs, Græcos à Barbaris, liberos à servis, & Philosophos à vulgo separari.*

XIII.

An verò Platonem imitari voluerunt, qui in libb. de Republicâ vitiosum hominem negavit esse hominem, à quo Boëthius lib. 4. de Consol. Quem transformatum vitijs videas, hominem existimare non potes. Aut Aristippum, à quo cum quis pecuniā peteretur, quid boni eruditio filio suo allatura esset? si nihil aliud, respondit, hoc certè, quod in theatro lapis in lapide non sedebit. Indoctum lapidi comparans. Idem satius esse dicebat fieri mendicum, quam indoctum, quod ille tantum pecunijs indigeat, hic humanitate: nihilo enim minus homi-

nem

nem esse cui desit pecunia, at cui eruditio desit, hominem nequaquam esse, ut autor est Diogenes Laërtius.

XIV.

Vidit hoc Cicero, qui : mihi quidem, ait, qui nihil agit, esse omninò non non videtur ; & eruditissimus Poeta cum canit.

Hector erat, tùm cum bello certabat, & idem.
Tractus ab Aemonio, non erat Hector, equo.

Ex quibus hactenus commemoratis id deduci potest perspicuè, privationem actus secundi, & ἀπουσίαν sive absentiam enervare & perimere rem, quod & rationibus suis munitum fuit. Videamus nunc, quid earum praesentia rei afferat.

XV.

Prodeat igitur Philosophus noster rursus, cujus haec est assertio 2. de Animâ t. 56. Tunc quaq; res id maximè est, quod est, cum operatur naturae suae congruenter : ὁ ἤδη θεωρῶν, inquit, ἐντελεχείᾳ ὢν καὶ κυρίως ὑπάρχων, is qui jam contemplatur actu est & proinde revera sciens. Rationem reddit 2. de Cœlo t. 17. ἕκαστον γάρ ἐστι, ὧν ἐστιν ἔργον, ἕνεκα τοῦ ἔργου : Unumquodq;, quorum est aliquod officium seu operatio, gratiâ illius officij seu operationis est.

XVI.

Clarius 9. Metaph. t. 16. ἅπαν inquit, ἐπ' ἀρχὴν βαδίζει τὸ γινόμενον καὶ τέλος : ἀρχὴ γὰρ τὸ οὗ ἕνεκα, τοῦ τέλους δὲ ἕνεκα ἡ γένεσις. τέλος δ' ἡ ἐνέργεια, καὶ τούτου χάριν ἡ δύναμις λαμβάνεται : Quidquid fit, ad principium finemq; contendit, id enim cujus gratia principium est : generatio autem ipsius finis gratia est, finis verò est ipsa operatio, cujus gratia potentia suscipitur.

XVII.

Illustrat hoc exemplo : Non, inquit, Animalia vident, ut videndi potentiam habeant, sed ideò potentiam videndi habent ut videant, quemadmodum aedificandi quoq; facultatem habent homines ut aedificent, non contrà, & contemplandi potentiam ut contemplentur.

XVIII.

Et amplius : Unde, quemadmodum Praeceptores, cum discipulum operantem exhibent, docendi sese officio satisfeciisse putant : sic & Natura perfectè rem produxisse se censet, si naturae suae convenienter agat.

XIX.

Et paulò pòst interpositis paucis verbis rursus inquit : τὸ γὰρ ἔργον τέλος, ἡ δὲ ἐνέργεια τὸ ἔργον, διὸ καὶ τοὔνομα λέγεται ἐνέργεια κατὰ τὸ ἔργον, καὶ συντείνει πρὸς τὴν ἐντελέχειαν : Opus enim finis est, operatio autem est opus,

quocirca dicitur ab opere ipso, & tendit ad perfectionem sive consumationem rei, quia tum demum perfecta res est, cum operatur.

XX.

Atq; hinc fluit, quod 1. Ethicor. c. 6 (in quibusdam est. c. 7.) contra Stoicos asserit, εὐδαιμονίαν non in Virtutis habitu, sed operatione consistere : rationem enim reddit hanc : ὥσπερ γὰρ αὐλητῇ, καὶ ἀγαλματοποιῷ, καὶ παντὶ τεχνίτῃ, καὶ ὅλως ὧν ἐστιν ἔργον τι καὶ πρᾶξις, ἐν τῷ ἔργῳ δοκεῖ εἶναι τἀγαθὸν καὶ τὸ εὖ οὕτω δόξειεν ἂν καὶ ἀνθρώπῳ. Ut enim tibicini, & statuario, omnique adeò artifici. & in universum ijs, quorum est aliqua operatio, in ipsa operatione bonum & perfectio consistere videtur : sic & homini.

XXI.

Idem agit 1. Magn. Moral. c. 3. ὧν, inquit, καὶ ἡ χρῆσις καὶ ἕξις ἐστὶν, ἀμείνων καὶ αἱρετώτερον ἡ χρῆσις τῆς ἕξεως. ἡ γὰρ χρῆσις, καὶ ἡ ἐνέργεια τέλος. ἡ δὲ ἕξις, τῆς χρήσεως ἕνεκα : Quorum usus & habitus est, eorum usus semper est melior & optabilior habitu : Usus, enim ille sive operatio, finis rationem obtinet, habitusq; in operationem, tanquam in finem dirigitur, & ab operatione habitus perficitur.

XXII.

Quid quod habitus latet, nisi prodat eum operatio. Ita Philosophus eod. 1. Mag. Moral. c. 20. τὴν ἐνέργειαν τῆς ἕξεως βελτίω φαμὲν εἶναι. οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὸν σπουδαῖον θεωρεῖντες, κρίνουσιν ἐκ τοῦ πράττειν, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι δηλοῦσθαι τὴν ἑκάστου προαίρεσιν, ἣν ἔχει. Habitu actionem meliorem esse dicimus : Probum enim intuentes, ex operatione talem judicant homines, cùm non possint cujusquam προαίρεσιν, & animum perspicere aut pervidere.

XXIII.

Quod ipsum & Proclus agnovit lib. de Animâ & Dæmone : Potentiæ, inquit, & sunt, (notæ & sunt) & cognoscuntur per operationes, quarum ipsæ matres sunt : media namq; inter actionem & essentiam est ipsa potentia, quæ producta est ab essentiâ, actionem verò producit, per quam quod insit cognoscitur.

XXIV.

Hinc est, quod Aristoteles 2. de Animâ t. 33. inquit : περὶ πέρατα γάρ εἰσι τῶν δυνάμεων αἱ ἐνέργειαι καὶ αἱ πράξεις κατὰ τὸν λόγον : Operationes actionesq; potentijs priores sunt ratione. Ad quem locum ita Philoponus commentatur : προεῖπεν, ὅτι τῷ λόγῳ : αἱ μὲν γὰρ δυνάμεις τῷ χρόνῳ πρότεραι τῶν ἐνεργειῶν : αἱ μέντοι ἐνέργειαι τῷ μὲν χρόνῳ δεύτεραι, τῷ δὲ λόγῳ πρότεραι. τῷ λόγῳ ἀντὶ τοῦ τῇ διδασκαλίᾳ : σαφέστεραι γὰρ ἡμῖν εἰσιν αἱ ἐνέργειαι τῶν δυνάμεων.

Subjun-

XXV.

Subjungit deinde Alexandri interpretationem: ἢ, ὡς Ἀλέξανδρός φησι, τῷ λόγῳ ἀντὶ τοῦ, τῇ τελειότητι: τελειότης γὰρ τῇ δυνάμει ἡ ἐνέργεια: ταύτης γὰρ ἕνεκα ἡ δύναμις, τὸ δὲ οὗ ἕνεκα πρότερον τοῦ ἕνεκα τοῦ.

XXVI.

Verba Alexandri sunt, si quis ipsum loquentem audire malit: πρότερα καὶ σαφέστερα πρὸς ἡμᾶς τῶν δυνάμεων εἰσὶν αἱ ἐνέργειαι: πρότερα τυγχάνομεν γὰρ αὐτὰς, καὶ τὰς δυνάμεις ἀπὸ τούτων ὑπονοοῦμεν, καὶ τὸ εἶδος δὲ ἑκάστης, καὶ ὁ λόγος κατὰ τὸ ἔργον: τούτων γὰρ αὐτῶν ὁ τέλος ἐστίν. *Quæ accedit & Simplicius: operationes, inquit, sunt priores* λόγῳ τῶν δυνάμεσι, *quia perfectæ sunt. Perfectum verò arguit id, quod est imperfectum.*

XXVII.

Cujus, non possum, quin alium quoq; locum ad confirmationem sententiæ meæ adducam, qui est ad textum 17. lib. 7. Phys. quem suo loco considerabimus: Quidquid, inquit, propriam virtutem & operationē consequitur, propriam adquirit naturam, siquidem propriam recipit perfectionem, atq; tunc verè est id quod est. Vnde Anima amittens congruam suæ naturæ virtutem, & non potens exercere suas operationes, non est anima propriè, neq; vita rationalis, sed quædam mortua vita.

XXVIII.

Deduco hoc ipsum ex alio quoq; Aristotelis loco: lib. 5. de Generat. Animal. c. 1. movet dubitationem: Vigiliæ ne prius insint animali an somnus? & somnum quidem, in primâ generatione, prius in animali fuisse, suaderi putat duplici ratione posse: unâ, quia in vitam primum eductum vigilat statim animal, contrarium ei prius insuisse, adeoq; somnum verisimile est. Alterâ, à non esse ad esse transitum fieri per medium: idem verò affine est: id verò medium sive interliminiū vivendi & non vivendi, somnus esse videtur: dum enim dormit animal, neq; perfectè est, neq; prorsus non est.

XXIX.

Post ita subjungit: Εἰδ' ἐστὶν ἀναγκαῖον ἔχειν αἴσθησιν τὸ ζῶον, καὶ τότε πρῶτόν ἐστι ζῶον, ὅτε πρῶτον αἴσθησις γένηται. τὴν μὲν ἐξ ἀρχῆς διάθεσιν οὐχ ὕπνον, ἀλλ' ὅμοιον ὕπνῳ δεῖ νομίζειν. *Quod si animal sensum habere necesse est, & tunc primùm est animal, cum primum contingit id sentire, primam illam dispositionem, non somnum, sed similem somno esse putandum.*

XXX.

Hinc enim ita concludo: Si animal non est verè animal, nisi contingat id actu sentire: certè operatio, & ipse actus sentiendi animal perficit, & complebit ejus εἶναι. Verùm prius: ergò & posterius:

Sic igi-

XXXI.

Sic igitur & Minor Argumenti noſtri ſatis roborata videtur. Vtamur verò & alio argumento, idq́, ſic concipiamus: Generatio tantum eſt ſubſtantiarum. Tranſitus ab actu primo ſive à formâ ad operationem dicitur generatio. Actus igitur ſecundi ſubſtantiæ ſunt, certè non accidentia.

XXXII.

Major item extrâ controverſiam eſt: minorem ſumo ex t. 17. & 18. lib. 7. Phyſ. ubi ita Philoſophus: Οὐ μὴν τοι τὰ γινόμενα ἀλλοιοῦται. καὶ ἡ γένεσις αὐτῶν ἀλλοίωσις ἐστιν. ἀλλά μὴν οὔτε αἱ ἕξεις, οὔτε αἱ τοῦ σώματος ἅπασαι τῆς ψυχῆς αἱ ἀρεταὶ ἀλλοιώσεις (αἱ μὲν γὰρ ἄρσεις, αἱ δὲ κακίαι τῶν ἕξεων) ἀλλ' ἡ μὲν ἀρετὴ τελείωσίς τις ἐστίν, ὅταν γὰρ λάβῃ τὴν ἑαυτοῦ ἀρετὴν, τότε λέγεται τέλειον ἕκαστον, τότε γάρ ἐστι μάλιστα τὸ κατὰ φύσιν. *Quæ generantur non alterantur, nec eorum ortus alteratio: atqui nec habitus, & quæ ad habitus referuntur virtutes & vitia, ſive corporis ſive animæ alterationes ſunt: ſed virtutes ſunt perfectiones rerum: unum quodq́, enim perfectum dicitur, cum ſuam ipſius virtutem nactum eſt, quippe cum maximè ſecundum naturam tùm habeat.*

XXXIII.

Verùm quia hic nihil de ἐνεργείᾳ audis, ſed de habitu: fortè ſubſiſtis? & inconvenienter allegari locum cenſes? Accipe igitur alium locum ex 2. de Animâ t. 56. & 58. Facit ibi Philoſophus triplicem ſcientem: Vnum, qui ſcientiam nullam dùm didicit, capax tamen ejus eſt, quippe homo: Alterum, qui ſcientiam in animo habet, non autem exercet aut actu contemplatur, poteſt tamen cum vult, & cum nullum illi objicitur impedimentum: Tertius, inquit, eſt, qui actu contemplatur, & hic eſt verè propriè ſciens, quia actu ſit.

XXXIV.

Priores duo, inquit, potentia ſunt ſcientes tantum, ille enim indiget diſciplinâ, quæ eum alteret & ex ignorante faciat ſcientem: alter indiget operatione, quæ ex otio & quiete ad agendum provocet. Paſſio quoq́, hic non ſimplex, ſed alia Φθορὰ ὑπὸ ἐναντίου, *alia* σωτηρία μᾶλλον δυνάμει ὄντος, ὑπὸ τοῦ ἐντελεχείᾳ ὄντος καὶ ὁμοίου, οὕτως ὡς δύναμις ἔχει πρὸς ἐντελέχειαν. Θεωροῦντι γὰρ γίγνεται τὸ τὴν ὄψιν ἔχον, ὅπερ ἢ ὄψις ἐστὶν ἀλλοιοῦσθαι, (εἰς αὐτὸ γὰρ ἡ ἐπίδοσις καὶ εἰς ἐντελέχειαν) ἢ ἕτερον γένος ἀλλοιώσεως. Διὸ καλῶς ἔχει λέγειν τὸ φρονεῖν, ὅταν φρονῇ, ἀλλοιοῦσθαι. ὥσπερ οὐδὲ τὸν οἰκοδόμον, ὅταν οἰκοδομῇ, &c.

XXXV.

Video, uti neget alterationem preſsè dictam dici non poſſe, ſi forma tranſeat ad actum, niſi quis, quod addit, duos alterationis modos ſtatuere velit, cum

videli-

videlicet mutationem, quæ ad privatas eſt diſpoſitiones, pro uno alterationis modo accipiendo, eam verò, quæ ad habitum atq; naturam eſt, pro altero.

XXXVI.

Sed hoc modeſtiæ eſt Ariſtotelicæ: Alexander lib. 3. Quæſt. quæſt. 2. plus animi habet: Μήποτε οὖν γενέσεις αὐτὰς λέγειν πρὸς, εἴγε πρὸς τὴν τελειότητα τῶν οὐσιῶν, ὧν εἰσι, συντελοῦσιν: *Nonne, inquit, præſtet generationes dicere, ſiquidem ad ſubſtantiarum, quarum ſunt operationes, perfectionem faciunt.*

XXXVII.

III. *Argumentum ſuppeditat mihi Ammonius Comment. in Categorias: Quærebatur ibi, annon Forma eſſet in materiâ tamquam in ſubjecto & ſicut Accidens: Negat Ammonius, quia inquit,* τὸ εἶδος συμπληρωτικὸν ἐστι τῆς ἑκάστου οὐσίας, καὶ τοῦτο φθαρέντος φθείρεται τὸ ὑποκείμενον: τὸ δὲ συμβεβηκὸς ὅτε συμπληροῖ τὴν οὐσίαν τοῦ ὑποκειμένου, καὶ φθαρέντος οὐκ ἐφθάρη τὸ ὑποκείμενον.

XXXVIII.

Hinc ita arguo: Si forma propterea non eſt accidens, quia perficit compoſitum, ipsâq; pereunte perit compoſitum, quod Accidentis natura repugnat, quæ neq; perficit compoſitum, neq; ſuo interitu, interitum ſubjecti ſecum trahit: ex eadem ratione, neq; actus ſecundus erit accidens, quippè quem ſatis docuimus σωστικὸν εἶναι τῆς ἕξεως καὶ συμπληρωτικὸν. *Verum autem prius. Ergò & poſterius.*

XXXIX.

IV. *Cum vult nobis Ariſtoteles indicare ſummam perfectionem ſubſtantiarum immortalium: ex eo deducit, quod ſint ſemper in actu, 2. de Cœlo, 12. Metaphyſ. & alibi. Quomodo igitur operatio poteſt accidere inferioribus, cum præferat ſubſtantias ſeparatas, & omnibus inferioribus anteponat?*

XL.

Alexander deniq; 4. l. Quæſtion. quæſt. 1. diſputat, Bene vivere ad vivere relatum, non eſſe purum accidens, quia facultas quæq; debeat menſurari per verum finem, per rectum uſum, & per id ad quod ordinata. ἡ γὰρ κρίσις ἀπὸ τῆς Δυνάμεως ἀπὸ τοῦ τέλους, τοῦ βελτίονος, καὶ τῶν προηγουμένων.

XLI.

Stabilitâ hoc modo aſſertione noſtrâ, videndum nunc, quid contrà aſſerri poſſit. Opponitur autem vel maximè, Accidentis pervulgata definitio, quâ Accidentis ea dicitur eſſe ratio, quod citra ſubjecti corruptionem adeſſe, etiam abeſſe poſſit: quod ipſum in actiones habituum competat, quæ ſalvo habitu frequentiſſimè ire & redire conſueverint:

Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen, atq;
Optimus est modulator, ut Alphenus vafer omni
Abjecto instrumento artis, clausâq; tabernâ
Sutor erat.

XLII.

Quid hic dicendum? Scutum suppeditat Ammonius, loco suprà à nobis laudato: τὸ συμβεβηκὸς ἐ συμπληροῖ τὴν οὐσίαν τοῦ ὑποκειμένου. Limitanda igitur ea definitio: Accidens videlicet esse, quod possit adesse vel abesse, sic tamen ut subjectum non perficiat, sed ab illo perfectionem accipiat.

XLIII.

At verò functio etsi ab habitu abesse potest, cum tamen ejus sit perfectio, accidens dici non potest. Immò non solum perfectio est habitus, sed ipsa essentia ejus. Operatio enim nihil est aliud, quam forma in actu. Vnde Themistius & Averroës Formam dividunt in quiescentem & operantem.

XLIV.

Audiamus Themistium: in 2. de Animâ sic loquitur ex Aristotele: εἰ γὰρ ζῶον ἦν ὁ ὀφθαλμὸς ὄψις ἂν αὐτοῦ ἡ ψυχὴ ἦν. αὕτη γὰρ οὐσία ὀφθαλμοῦ ἡ κατὰ τὸ εἶδος καὶ μορφή. Si oculus, inquit, esset animal, anima ipsius foret visio: haec enim essentia oculi, & species, & forma, quæ duo postrema verba Themistius de suo addit: ὄψις inquit, non solum est οὐσία oculi, sed & εἶδος & μορφή.

XLV.

Rursus ita: ὁ ὀφθαλμὸς ὅταν ἤδη γένηται ὀφθαλμὸς, ἐνέργειαν ἔχει τὴν ὅρασιν: αὕτη δ' ἡ ἐνέργεια τῆς μορφῆς οὐδὲν διαφέρει. τοῦτο γὰρ ἐστὶν ὀφθαλμῷ εἶναι τὸ οὕτω κατ' ἐνέργειαν. Oculus, quando jam factus fuerit oculus, actum habet visionem: qui actus vel quæ operatio à formâ nihil differt, hoc enim est oculo esse, videre sic.

XLVI.

Neque hoc fugit Aristotelem. 4. enim de Cœlo t. 27. docet perspicuè: formam gravium levium q; esse, cum possunt operari secundum suam naturam, non eâ potentiâ, quæ sejungitur ab actu, sed eâ, quæ cum actu copulatur. Cum, inquit, generatur grave & leve, statim in simul illud deorsum, hoc sursum fertur, si nihil impediat externum: internum enim nihil impedire potest, quia immediatè fertur actus primus in secundum, cum sint re idem.

XLVII.

Sed quia secundus actus quandoq; sine externis concurrentibus exerceri non potest: idcircò externi adminiculi defectus, impedimento esse potest, quo minus actus primus ad perfectionem suam perveniat, quod erat ultro sursum, remotis

motis tantum impedimentis externis. V. g. si genitum grave detineatur, non sequitur actus secundus, ferri videlicet deorsum, non, quia caussa primaria desinat; ea enim jam fecit, quod debuit, nempe generavit grave, sed quia externum est impedimentum, quod quicunq; removet, is dicitur per accidens esse caussa motus deorsum.

XLVIII.

Ex quâ Philosophi disputatione duo haurio: Unum, quod Themistius monuit, operationem à formâ reipsâ non differre, sed tantum λόγῳ sive ratione: Alterum, tantum abesse, ut functio sive operatio sit accidens formæ, ut potius, si quis formæ vim interius scrutari velit, hoc fateri necesse habeat, illud potius accidere formæ, si cesset ab opere, quam si operetur.

XLIX.

Semper enim forma per se & suâ naturâ operaretur, nisi forinsecus, sive ab externo aliquo impediretur: id verò, quod impedit externum, accidens est, cur non igitur & ipsum impedimentum?

L.

Atq; hinc est, quod substantiæ separatæ in perpetuo sunt actu, quia extrinsecus impediri non possunt, quo minus operentur.

LI.

Concludo igitur: Operationem non dicere aliquid distinctum à re, sed ultimum rei actum secundum suum esse. Tunc enim res maximè id est quod est, quando est in actu suo ultimo, qui est operatio.

LII.

Quod si conciperetur operatio, ut motus transiens à substantiâ in objectum, posset fortasse accidens dici: sed falsò sic concipitur: actus enim secundus nihil aliud est quam actus primus perfectus. Atq; sic Definitio Accidentis sententiam nostram non convellit.

LIII.

Sed & aliter telum illud elidere licet: In definitione enim Accidentis ita dicebatur, Accidens esse, quod salvo subjecto possit adesse & abesse: Nego autem ego, functionem sive operationem salvo subjecto, hoc est, forma seu habitu abesse posse: id quod ex ijs quæ hactenus disputata sunt facilè colligi potest.

LIV.

Forma enim otiosa imperfecta est, & perfectionis suæ indiga, quæ formæ quidem ineſt naturaliter, sed impeditur ab externo, quo minus perfectionē suam exseret & operetur. Quomodo autem salvum dici potest, quod à statu suo naturali per impedimentum dejectum est? Sanum certè animal non dicitur, cujus

actiones naturales impeditæ sunt. Pulchrè Philoponus t. 38. 1. de Animâ: ἐκεῖσε γοῦν χωρίζεται μετὰ τῆς ἑαυτῆ τελειότητος· ἂν δ' ἐκεῖσε τι τῷ πάσχειν ἢ ἀς τελειώσιν, ὅπερ φθορὰν νέμει τοῦτο.

L V.

Non sunt igitur Actus secundi Accidentia, quia non distinguuntur à formâ, formas verò substantias esse extrà controversiam est. Loquuntur autem de formis substantialibus, non accidentariis: Quod si contendas actus & substantias dici nobis, dabis tamen, ut συνεστωμένας dicamus cum Alexandro & Philopono, sive consubstantiales. Vid Philoponum 1. de Animâ t. 37. & 38. Atq; hæc magnis ducibus præeuntibus, & vera censemus, & juventuti Philosophiæ studiosæ utilia.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

MIrum, quomodo dicat Philosophus 2. Poster. Analyt. t. 68. Mathematicum demonstrare per caussam materialem, cum ille abstrahat à materiâ.

II.

Modus facit, ut contradicentes propositiones non semper dividant verum à falso.

III.

Qui dicunt, mortem naturalem aliquam esse, ex eo, quia calor nativus paullatim absumat humidum radicale, neq; satis Philosophicè, neq; satis Medicè disputare videntur.

IV.

An pugnat secum Aristoteles, cum ait 2. de Partib. Animal c 3. sanguinem non esse proprio calore calidum sed alieno, ut aquam calidam: cum rursum ait 4. Meteorolog. sanguinem, cum suam naturam retineat, esse calidum; cum ab eâdem recedat, non esse calidum: ut censuit pugnare Franciscus Vallesius? An mentem Aristotelis parum vidit? hoc puto verius.

DISPU-

DISPUTATIO XLII.

MICHAELIS PICCARTI

De

IVRE VICTORIÆ BELLICÆ.

Respondе

Leonhardo **Grundherr**, Patric. Noric.

Mens. Jun. cIↃ IↃ c XVIII.

THESIS I.

Vidimus de jure Belli, videamus & de jure Victoriæ, quod ab illo diversum esse, res ipsa, & tractatio nostra docebit. Cicero a) *hoc jus, Ius Imperatorium appellat, procul dubio ex eo, quod duces Belli, partâ aliquâ de hostibus victoriâ, militum acclamatione Imperatores salutari consuevissent.*

a) Verrina 5.

II.

Hoc jus, perperam nobis facere videntur, qui totum in arbitrio & potestate victoris ponunt, ut justum sit, quicquid illi statuere collibuerit in victos. Licentia haec est, & barbaries ac feritas mera, non jus. Itaq; non placent nobis Menippi apud Livium a) *verba, Legati Antiochi, qui victoris jus atq; arbitrium esse dicebat, quid vellet de victis statuendi.*

a) l. 23.

III.

Est quidem victoris leges dare, victi accipere; sed ratio tamen in omnibus & moderatio quædam adhibenda est : Sæpè etiam victoribus considerandum, non tàm quid victos pati, quàm quid ipsos facere & statuere deceat. Ita enim Polybius · Οἱ νῦν ἔχοντες, ἐπὰν ἀμύνασθαι κρίνωσι τοὺς ἐχθρούς, ὐ τοῦτο πρῶτον σκοποῦσι, ἢ παθεῖν ἄξιος ἐστὶν ὁ πολέμιον, ἀλλὰ ἢ ποιεῖν αὐτοῖς πρέπει, *hoc est : Viri prudentes & cordati, quando hostes volunt ulcisci, nequaquam illud primùm considerant, quid ille dignus sit pati, quod cum illis res est; sed illud potius, quid sibi facere conveniat.*

a) l. 12.

IV.

Exemplum alibi a *) sistit Scipionem, quem ait diligenter secum considerasse,* οὐχ οὕτω τι δέον παθεῖν Καρχηδονίους, ὡς τι δέον ἦν πρᾶξαι Ρωμαίους, *non tam quid digni essent pati Carthaginienses, quàm Romanis, quod facere conveniret. Et D. Chrysostomus in hanc rem eleganter:* ὁ γὰρ ἐκεῖνος ὁ Δαβὶδ, τι παθεῖν ἐκεῖνον ἄξιον ἦν, ἀλλ' ἐποίησε, τι καὶ ποιῆσαι, καὶ εἰπεῖν τι αὐτὸν πρέπον ἦν.

a) l. 12.

V.

Rationem autem hujus moderationis ab eodem Polybio petamus, sed contractioribus paullò verbis: Qui bellum, inquit, gerunt, finem sibi statuunt. si sapiunt, non victoriam ipsam, & ut imperio suo cuncta subjiciant, sed jucundum aliquod, vel honestum, vel utile, quod ex victoriâ sequi videtur.

VI.

Vidit hoc, & eo quidem amplius Augustissimus Imperator olim, Divus Carolus V. qui Antonio Levæ, aliisq; ducibus, Iulij Cæsaris & Alexandri exempla laudantibus, neque uti scire Carolum suis victorijs, ad potentiæ & magnitudinis incrementum adferentibus & querentibus, gravissimè in hæc verba respondit: Alexandro & Iulio solum Honorem & Gloriam fuisse propositam pro scopo, sibi verò & omnibus Christianis Principibus, ad honorem sic respiciendum & gloriam, ne dum illam aucupentur, animæ salutem deperdant; victoriâ proinde sic utendum, ut Deo quoq; actionum suarum rationem reddere possint.

VII.

Sed videlicet nimis verum est, quod Hasdrubal Hædus Carthaginiensium Legatus apud Livium a *) ait: Rarò simul hominibus bonam fortunam, bonamq; mentem dari, rectéq; adeo Cicero:* b *) licet omnia misera sint in bellis, miserius tamen nihil esse ipsâ victoriâ, quæ etiamsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresq; reddit, ut, etiamsi tales naturæ non sint, necessitate tamen penè tales esse cogantur.*

a) l. 30. b) l. 4. Ep. 3. ad fam.

VIII.

Itaque dispiciendum, quousq; jura bellicæ victoriæ extendantur, & quæ circa illa observanda? quod ut rectius à nobis fiat, initio hoc sciendum: duo esse summa capita, in quibus jus Victoriæ consistat: Injuriæ acceptæ ultionem, & in posterum securitatem.

IX.

Quemadmodum enim, docentibus ita ICtis a *) non decet paci componendæ prius

de prius incumbere, quàm punita delicta sint: ità victoriâ obtentâ, de ultione justa prospiciendum fuerit ante, ut succisis sic belli omnis quasi radicibus, pax haberi certior & securior possit.

a) Bald. l. 1. de nov. op. nunc. Alex. ad l. 18. C. de Transf.

X.

Duo quoque tempora distinguenda sunt, quæ passim confundi videmus: Unum est, dum bellum adhuc geritur, victoriaq; paratur: Alterum, cum partæ plenè victoriâ est, finiq; bello impositus. Priori illo tempore plura victori licent, quàm hoc posteriori, in superbos & stantes, quàm in debellatos aut deditos supplicesq;.

XI.

Ita majoribus placitum, (rescribit Claudius Imp. Eunoni apud Tacitum) a) quantâ pervicaciâ in hostem, tantâ beneficientiâ in supplices utendum. Et Augustinus b) eleganter alicubi: inquirendi quàm puniendi major necessitas est: adhoc enim & mitissimi homines, facinus occultatum diligenter atque instanter examinant, ut inveniant quibus parcant. Debellandi videlicet cum Virgilio c) superbi, sed parcendum subjectis.

a) l. 12. Ann. c. 20. b) Ep. 159. c) Aen. 6.

XII.

Pœnarum etiam quædam genera, plena crudelitatis usurpari sine reprehensione non possunt, veluti oculorum a) effossio, manuum b) pollicumve c) vel pedum d) amputatio, quæ etiam jure civili in maleficos & sontes prohibentur humanitatis ratione: non enim infligi debent pœnæ deformatrices naturæ & quæ monstra faciunt.

a) Vid. Zonaram in Basilio. b) Paul. Æmil. lib. 5, cujus verba: licentia belli potius, quam humanitatis jure, præcisis dextris, Almericus comes à Monteforti quosdam ex Ludovici Caesi militibus captos dimisit. Vid. & Florum l. 3. c. 4. c) Athenienses Æginetis quia classe prævalerent, pollices præciderunt. Vid. Cic. 3. off. Ælianus l. 2. Plutarch. Lysandro. Val. Max. l. 9. c. 2. d) Plin. lib. 8. c. 7. Zon. de Annibal.

XIII.

Sed fortasse quandoq; caussa subest, & quidem justissima ita sæviendi? qualis Davidi a) in sacris propter læsos legatos, qualis Cæsari b) in illos quos Vxelloduni cepit, quibus omnibus manus præcidit, vitam concessit, quo tessatio esset pœna improborum.

a) 1. Paralip. c. 20. vers. 3. b) l. 8. Bell. Gall. c. 44.

Jus e-

XIV.

Ius enim Talionis, inter hoſtes, & jure gentium juſtiſſimum eſſe arbitrantur homines, quod inter cives, ne leges quidem, niſi rarò exercent. Mihi ſecus videtur, placetq; illud Senecæ: a) *numquam committet virtus, ut, vitia dum compeſcat, imitetur ipſa; alienæ quippe culpæ aut malitiæ imitationem malè innocentiam vocaveris.*

a) Senec. l. de Irâ. 1. controv. in Troad.

XV.

Diſtinguo etiam: ſæviendum aliquando in eos, qui verborum contumelijs non abſtinuere in nos. Rectè enim Plutarchus: a) *Hoſtibus vim conceſſam, non virulentiam: virulentia enim ex odio eſt, & multi verba gravius, quam facta ferunt, contumeliam item, quam detrimentum. Probóq; adeo Meninonis* b) *factum, traijcientis ferro militem, qui Alexandro hoſti maledixerat, addito Elogio: Pugnare te contra Alexandrum volui, non ei maledicere*

a) in Timoleonte. b) idem Plutarch. in Apopht. Regum.

XVI.

Diſtinguo etiam inter Hoſtes; juſti enim hoſtes mitius tractandi, injuſti & vix hoſtes, quales ſunt piratæ, latrones fugitivi, ſeverius. Et quamquam juſti nobis hoſtes ſint Turcæ, tamen quia internecinum bellum nobis cum ipſis eſt, jura gentium quidem illis omnia ſervari debent; ulciſci verò eos, & punire pro moribus & crudelitate eorum, haud iniquum fuerit.

XVII.

Sed preſſius paullo, & veluti per ſpecies quædam tractemus; nam generales regulas ſive præcepta in his rebus ſicut & alijs Politicis conſtituere, difficillimum, vel potius ἀδύνατον. Immò nec in ipſis quidem ſpeciebus, ultionis ac pœnarum definitiones tales tradi poſſunt, ut non multas recipiant exceptiones, & magnam pro circumſtantijs varietatem.

XVIII.

Initio hoc certum eſt, quod Xenophon a) *pronunciat: Æternam inter omnes homines legem eſſe, ut tam corpora devictorum, quàm fortunæ illis debeantur, qui victores exſtitere; nihilq; adeo reliqui fiat victis, ut Saluſtius.* b) *Unde frequenter hoc inculcant ICti,* c) *& conſentit Philoſophus.* d)

a) l. 7 παιδ. Κύρ. b) in Catilin. c) l. hoſtes. & l. ſi quid in bello. ff. de capt. l. naturalem. § ult. ff. de adquir. rer. dom. cap. jus gentium. 1. diſt & alibi infinities. d) Ariſtoteles 1. Polit. c 4.

XIX.

Hoc tamen obſervato diſcrimine, ut quod durante adhuc bello hoſtibus eripitur, jure gentium fiat capientium, a) *quod verò hoſtibus devictis capitur, id*

omne

omne ſive mobile ſive immobile in jus & poteſtatem b) *Imperatoris aut Ducis exercitus veniat. Tum enim ea, capientium fieri non poſſunt militum, quia non capiuntur amplius ex hoſtibus; partâ quippe victoriâ, deſinunt omnia eſſe hoſtium, & concedunt in jus Victoris, unde ſi militum capientium fierent, caperent illa ex Rep. cujus poteſtati & imperio, id totum, devictis hoſtibus, ſubjectum eſt.*

a) l. naturalem 5. in f. ff. de adquir. rer. dom. & §. item ea quæ ex hoſtibus. Inſtit. de rer. divis b) cap dicat aliquis 23. quæſt. 5. Hugo Donell. l. 4. comm. de jure civili c. 21.

XX.

Ex his tamen, quæ devictis hoſtibus cepit Imperator, quædam inter milites dividere debet, pro ratione meritorum, id quod jure non modo civili a) *ſed & divino* b) *cautum videmus. Unde Iulius Cæſar* c) *in Gallia, militibus pro labore & tolerantia (qui brumalibus diebus, itineribus difficillimis, frigoribus intolerandis, ſtudioſiſſimè permanſerant in labore) ducenos ſeſtertios, centurionibus duo millia nummûm, prædæ nomine condonanda pollicitus eſt; & L. Æmilius Paulus, Perſeo victo, ex prædâ, peditibus in ſingulos centenos, duplex centurioni, triplex Equiti dedit.*

a) D. c. dicat aliquis 23. quæſt. 5. l. ſi quis pro redempt. 35. §. ſimili etiam modo. C. de Donat. b) Deut. 20. Joſ. 8. c) A. Hirtius l. 8. Bell. Gal. d) Livius l. 45.

XXI.

Sed de rebus videamus, ac primum quidem de ſacris. Vrbe igitur aliqua, vi & virtute captâ vel deditâ, ſigna & ornamenta templorum, aliaq; victis auferre licere, non Romani a) *modo, ſed & cæteræ* b) *gentes judicaverunt. Eſt igitur jus Gentium. Iſta enim omnia, in quibus & donaria ponimus, non ita DEO ſacra vel DEI eſſe dicuntur, ut juris publici* c) *propterea non ſint, vel extra omne commercium etiam poſita: nam & abipſis, quorum ſunt, alienari* d) *certis de cauſſis poſſunt & ſolent.*

a) l cum loca. ff. de Religios. 36. l. 4. de ſepulch. violato. b) Pauſan. vide in Arcadicis l. 8. qui Auguſtum excuſat, quod victo Antonio, Minervæ Aleæ ſignum, & dentes apri Caledonij Tegeatibus abſtulerat, quod tralatitium jam ab antiquo eſſet. c) l. 83. §. ſacram rem 5. l. 137. §. cum quis ſub hac conditione 6. de Verb. oblig. d) l. 21. extremâ C de ſacroſanct. Eccleſiis. Novell. 120. c. 9. & 10. Videatur etiam de hoc jure. Cic. Verina 3. Liv. de Marcello lib. 25. idem lib. 5. de Camillo Junonem Vejentium auferente.

XXII.

Quo accedit, quod non natura res ſacræ a) *& religioſæ fiunt, ſed hominum inſtitutis: unde quæ aliquibus ſacra & religioſa ſunt, alijs itidem non con-*

tinuo sacra sunt aut religiosa: Denique si maximè sacra illa fuerint, victoria tamen facit omnia profana eo ipso momento, quo hostes victi sunt.

a) §. 8. sacræres, & §. 9. religiosum. Instit. de Rer. Divis.

XXIII.

Honestius tamen, & ad laudem potius faciunt, qui ab his rebus abstinent: atq; ita Cicero a) *Pompeium laudat, quod Hierosolymis captâ, è templo (quod jure victoriæ ingressus erat, ut scribit Tacitus* b) *nihil abstulerit, verba ejus rationem reddent: At Cn. Pompeius, inquit, captis Hierosolymis, victor, ex illo fano attigit nihil. Inprimis hoc ut multa alia sapienter, quod in tam suspicaci & maledicâ civitate, locum sermoni obtrectatorum non reliquit: non enim credo religionem Iudæorum, & hostium, impedimento præstantissimo Imperatori, sed pudorem fuisse.*

a) pro Flacco. b) 5. Hist. c. 9.

XXIV.

Atque hanc in illo abstinentiam Iosephus a) *quoque laudat, qui contrà Crassi* b) *in simili causâ avaritiam detestari non satis potest. Polybius* c) *sanè graviter in hanc rem:* τοὺς *inquit,* ναοὺς ἅμα καὶ τοῖς ἀνδριάντας, καὶ πᾶσαν δὴ τὴν τοιαύτην κατασκευὴν λυμαίνεσθαι πῶς ἂν εἴποι τις εἶναι τρόπῳ καὶ θυμῷ λυττῶντι ἔργον: *Templa, statuas, atq; his similia templorum ornamenta perdere, quis neget opus esse hominis, & moribus & irâ furentis?*

a) l. 14. c. 8. b) lib. cod. c. 12. c) l. 5. Hist. locus est insignis sed longior, quem vide.

XXV.

Idem Polybius a) *gravissimè & prudentissimè disputat: non rectè à Victoribus fieri, si quævis etiam ornamenta captarum urbium, in patriam transportent. Rationes affert has.*

a) l. 9.

XXVI.

I. *Quia ea res faciat ad invidiam, rem* τῆς ὑπεροχῆς φοβερωτάτην, *hoc est, formidandam vel maximè illis, qui potentiam habent.*

XXVII.

II. *Subit aliqua statim spectatores miseratio eorum, quibus illa ablata sunt, odium contrà illorum, qui in spoliis devictorum superbiunt.*

XXVIII

III. *Ipsis denique, quibus illa erepta cladium suarum memoria, illorum ornamentorum ostentatione refricatur, & novo subinde velluti fomes iræ accenditur, adversus rerum illarum potientes.* ἡ γὰρ τῶν ἰδίων περιπετειῶν ἀνάμνησις οἱονεί πως ἐστὶ πρὸς τὴν τῶν πλαξάντων μῖσος. *Proprietum videlicet*

calami-

calamitatum recordatio, quasi quædam est adhortatio ad odio habendos illorum auctores.

XXIX.

Stultescere denique videntur, qui alienas calamitates suæ patriæ decus esse sibi persuadent. Hæc Polybius.

XXX.

De publicis minor dubitatio relinquitur: omnia enim illa sine controversia, in jus & ditionem victorum concedunt: Ideoq; de urbibus alijsq; rebus statuere possunt pro arbitrio. In quo tamen rectè consulerandum monet Cicero, a) *ne quid temerè, ne quid crudeliter fiat.*

a) 1. off.

XXXI.

Vrbes interdum diruendæ sunt, (intellige de captis, a) *non item de deditis; captis item sive vi, sive operibus* b) *aut munimentis) si videlicet opportunitas loci, hostes ad rebellandum invitet, ut Corinthus* c) *à Mummio, & Carthago* d) *à Scipione Æmiliano; vel ob contumelias, ut Numantia, vel ad aliorum terrorem, ut Megara,* e) *vel quia teneri commodè præsidio non possit,* f) *vel si hostium receptaculum esse posset, vel ad memoriam sceleris notandam, vel alijs gravibus de caussis. Iustissima est, si pro hoste communi steterint, ut Thebæ,* g) *quæ ideo & communi Græciæ consensu funditus eversæ.*

a) apud Liv. lib. 37. Phocæensium urbe capta, cum ad prædam Legiones Rom. discurrerent, Æmilius resistit & revocat dicēdo: captas, non deditas diripi urbes, & in his tamen arbitrium esse imperatorum non militum. b) ita distinguit Liv. lib. 5. de Veijs, fato urgente, operibus non vi expugnata est. Ita lib. 10. de Nequino dicit. c) Cic. 1. offic. quem vide, & de Corynthi situ Plutarchum in Arato. d) Cic. ibid. Vell. lib. 1. Hist. Excisa Carthagine & Numantiâ, ab alterius nos metu, alterius vindicavit contumelijs Scipio. Vid. Historic passim. e) Vid. Liv Dec. 3. lib. 4. f) 13. Annal. c. 41. de Artaxatâ. g) Liv. lib. 1. de Poliorcia.

XXXII.

In rebelles maximè justa est ira. Crebris rebellationibus Tusculani meriti, ut funditus urbem amitterent, inquit Valerius. a) *Et de Iudæis suis Iosephus:* b) *Qui semel subjectus est, & deinceps defecit, contumax magis servus, quàm libertatis ostenditur amator: Iure igitur omnia pœnarum exempla in ipsos, Vrbemq; ipsorū edita, cum ab alijs, tum à Tito imprimis, qui præter alia, singulis diebus, quingentos Iudæos crucibus affigendos curavit, ut auctor est idem Iosephus.* c) *Atque hic deditio quidem relevat rebellionem. Vid. Liv. de Satrico.* d)

a) lib. 7. c. 3. Exemplo 9. b) lib. 1. Bell. Iud. c) lib. 6. cap. 12. d) lib. 7.

XXXIII.

De ducibus hoſtium gravis quæſtio eſt: An capti necari debeant? Et, licèt, verius eſt, multò certè magis, quam in ipſam multitudinem ſævire, præſertim ſi impulſa in bellum à Ducibus fuerit, ut plerumq; evenit. Vnde generosè admodum Sthennius apud Plutarchum: a) *cum Pompejus Victor Mamertinos, quod hoſtium partibus adhæſiſſent, omnes interficere ſtatuiſſet, adijt ipſum, & his verbis compellavit: Non æquum facis, Pompei, qui propter me unum noxium, multos innoxios occidere paras.*

a) in Apophthem.

XXXIV.

Nam & juri ſacro hoc placere video. Achitophelis verba hæc ſunt ad Abſolonem: Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgens perſequar Davidem hac nocte, inq; eum irruam: regem autem ſolum percutiam, univerſum verò populum reducam, quomodo unus homo reverti ſolet: unum enim virum tu quæris, & omnis populus erit in pace.

a) l. 2. Samuel. c. 17. verſ. 1. 2. 3.

XXXV

Idem obſervatum à Romanis, ut auctor Portius Latro: a) *Necem, inquit, paucorum, aut unius hominis, calamitati publicæ majores noſtri ſemper antepoſtendam eſſe putaverunt. Teſtantur idem Hiſtoriæ: Nam Reges gentium exterarum, devictarum Ducesq; in Triumpho ducere, inde in carcerem, denique necare conſueverunt: non omnes tamen, ſed ſi qui ſingularibus de cauſſis id commeriti erant, quales fuere Ariſtonicus* b) *& Iugurtha.* c)

a) Declam. in Catilin. apud Salluſt. b) Eutrop. l. 4. c) Salluſt. Jugurth.

XXXVI.

Non tamen necari debent atrocibus aut immanibus ſupplicijs, ſed militaribus, & convenientibus dignitati Ducum: Vnde non probare poſſumus Conſtantini factum, qui Francorum & Alemannorum devictorum captos Duces regesq;, etiam beſtijs objecit in ſpectaculum muneris: Fallitq; adeo Euſebius, a) *qui id recepto jure factum ab eo ſcribit. Deteſtamur etiam factum Saporis* b) *Perſarum Tyranni, qui Valerianum Imperatorem excoriavit, & aliorum ſimilia.*

a) lib. 2. de Victor. Conſtantini. b) Agath. l. 4.

XXXVII.

Improbiſſimum autem factum Caroli Andegauenſis, Neapolitani Regis fuit, in Conradino Sueviæ Principe, ſed non ijs tamen rationibus, quas vel ipſe moriens afferebat, vel alij ſummi Viri protulerunt, ſed illâ unâ, quod juſtus hoſtis

cum

cum esset, de eo, ut privato aliquo criminis alicujus reo, vel, ut Sigonius ait, quasi de latrone, judicum sententia, supplicium sumtum fuerit. Rectè enim Demosthenes: Malefici est, judicum sententijs condemnatum mori.

XXXVIII.

Nec nobis sufficiens caussa est, quam praetexuit Pontifex, vitam Conradini, mortem Caroli rescribens, mortem Conradini, vitam Caroli fore: huic enim metui carcere remedium afferre potuisset, ut exempla multorum docent. Neque hic mihi quis regerat, periculosam esse hujusmodi captivorum custodiam: Custodia enim ea institui potest, cumq; custoditis sic agi, ut odium in amorem migret ac transeat.

XXXIX.

Libertas saepè etiam eripitur victis, non quidem ut planè mancipiorum conditione sint, sed ut vectigales sint, stipendiarij, serviq; populi Romani, ut de Annibale & Carthaginiensibus Livius a *) scribit. Annibal vectigalis, stipendiariusq;, & servus pop. Rom. à Patre relictus. Et Antiochus inservientium Regum ditissimus appellatus à Tacito.* b *)*

a) l. 20. b) 2. Hist. c. 81.

XL.

Sed hoc in populis vel nationibus universis verum est: nam singuli quidem homines bello capti, quin veram justamq; servitutem subeant, & mancipia capientium fiant, nemo unquam dubitavit: unde & jura Postliminij nata.

XLI.

Caeterum, apud Christianos inter se, nulla talis servitus esse, vulgo debere putatur, quod & de Graecis inter ipsos olim Socrates, a *) ut qui communis quasi patriae cives omnes essent, eorumdem sacrorum socij.*

a) Plato 5. de Rep.

XLII.

Sed reclamat disertè D. Paulus a *) & sacra scriptura non uno in loco, utilius certè esset, veram & justam servitutem inter Christianos esse, vel eâ ratione, ne tam multi interficerentur. Quod in bellis quoque civilibus saepe accidisse scriptores tradunt, quod nec ibi victi aut captivi cives fierent capientium. Illis enim bellum sine hoste, immò non bellum sed contentio, non item tot carnificibus opus foret, qui in fontes lege agerent.*

a) Eph. 6. vers. 5. & seqq. item in epist. ad Philemon.

XLIII.

Ioh. Bodini a *) Disputatio contrà Servitutem tota est inepta; melior pro*

Digitized by Google

ſervitute ſententia Augerij Giſelini Busbequij b) *D. Ferdinandi Imp. ad Turcam legati.*

a) 2. de Rep. c. 8. b) epiſt. 3. Itiner. p. 116.

XLIV.

Sed ad rem. Interdum libertatis ereptio utilis ac ſalutaris populo illi eſſe conſuevit, cui erepta eſt. Apud Livium: a) *cum Æmilius Paulus Proceres Perſei, utpote regio more vivere conſuetos, cum filijs, qui annum decimum quintum ætatis exceſſiſſent, urbes ſuas relinquere, & in Italiam, Romam migrare juſſiſſet, quamquam mandata illa acerba videbantur, cognovit tamen plebs, utiliter eâ ſervitute ſuæ libertati conſultum eſſe. Et avorum ſeculo feliciſſimo Coſmi Medicis* b) *Dominatu, nihil magis Florentinorum civitati, varijs ſeditionibus ante illa tempora exagitatiſſimæ, ſalutare, vel optari potuit. Sic enim & ſeſſa civilibus diſcordijs Romana* c) *Reſp. ultrò in Auguſti Principis imperium conceſſit.*

a) lib. 45. b) Bodin. de Rep lib. 4. c. 1. c) Tacit. 1. Annal.

XLV.

Eſt & illud jus Victoriæ, tributa victis imponere, vel ſtipendia, ſimiliaq; ad ſervitutis notam. Sic Pœtus apud Tacitum a) *ſe tributa, ac leges, & pro umbrâ Regis, Romanum jus victis Parthis impoſiturum minatur. Et Cerialis apud eundem* b) *ad Gallos: Nos, quamquam totiens laceſſiti, jure victoriæ id ſolum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendijs, neq; ſtipendia ſine tributis haberi queunt.*

a) 15. Annal. c. 6. b) 4. Hiſt. c. 74. Vid. Cic. 1. ad Q. Fr. 1.

XLVI.

Idem & dicendum de agris, quibus jure mulctantur victi, idq; ſollenne Romanis & juſtum, tum ut exſtet memoria belli, tum ut defectionem victi non facilè cogitent.

XLVII.

Reperio & victis quandoq; pudenda ſigna erecta: Quale fuit illud Seſoſtris apud Diod. Siculum, a) *qui cippos, ubique terrarum bello acquiſitarum erexit, ſacris Ægyptiorum literis, hoc verborum indicio inſcriptos: Hanc provinciam armis ſuis devicit Regum Rex & Dominus Seſoſtris. In cippis autem illis τὸ αἰδοῖον ἀνδρὸς apud gentes ſtrenuas & pugnaces: apud ignavas autem molles & timidas τῆς γυναικὸς expreſſum erat, expræcipuo hominis membro, animorum in ſingulis adfectionem, poſteris evidentiſſimam fore ratus.*

a) lib. 1. Eadem & Herodotus Euterpe. Idq; eam rem nos plura Dec. 4. obſ. Hiſt. c. 8. Adjunge & faſtum Brenni apud Plutarchum in Camillo.

Verùm

XLVIII.

Verùm rationem hanc probare non possum, cum videam improbatam & L. Floro a *) Historico insigni, qui, ubi bellum Allobrogicum descripsit, subjungit: Victoriæ quod quantumq; gaudium fuerit, vel hinc existimari potest, quod & Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus ipsis, quibus dimicaverunt, locis, saxeas erexêre turreis, & desuper exornata armis hostilibus tropæa fixêre, quum hic mos fuerit inusitatus nostris: Numquam enim Populus Romanus hostibus domitis victoriam suam exprobravit.*

a) lib. 3. c. 2.

XLIX.

Exemplo sit apud Livium a *) is, de quo ante, Æmylius Paulus, ad quem cum captivus adduceretur Perseus Macedonum Rex, iq; terram intuens fleret tantum, nihilq; nec interrogatus, nec accusatus responderet: Vtcumq;, inquit, Perseu, hoc, ut bellum cum Romanis quam pacem malles, incideris, sive errore humano sive casu, seu necessitate etiam, bonum animum habe: multorum regum populorumq; casibus, cognita populi Romani clementia, non modo spem tibi sed prope certam fiduciam salutis præbet. Hæc Græco sermone Perseo: Latine deinde suis: Exemplum insigne cernitis, inquit, mutationis rerum humanarum: vobis hoc præcipuè dico, juvenes: ideo in secundis rebus, nihil in quemquam superbè ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cum, quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo efferet, nec adversa infringet. O magnum & verè Romanum virum.*

a) lib. 45.

L.

Improbius factum est eorum, qui devictorum hostium ossibus illudunt, & ex calvarijs pocula faciunt, quod fecisse legimus Alboinum a *) Longobardorum Regem, qui, Clotosindâ mortuâ, Rosimundam, Gepidarum Regis à se prælio cæsi, filiam duxit, & ex calva Patris poculo facto, uxorem inde bibere coëgit, quæ res illi exitium properavit. Chrunum* b *) item Bulgarorum Regem cæso Nicephoro Græcorum Imperatore.*

a) P. Æmilius in Cherebertho l. 1. b) lib. 14. in Carolo Magno.

LI.

Id notatu dignum, quod Paulus Æmylius a *) scribit à Carolo Magno Saxonibus sub jugum missis, ademtam libertatem testandi, restitutam postea à Ludovico Pio Caroli filio, eamq; restitutionem tam grato animo accepisse addit Saxones, ut magis pro Francorum gloria ex eo tempore pugnaverint, quam ante pro libertate suâ adversus eosdem decertassent.*

a) in Carolo magno l. 3.

Illud

LII.

Illud denique & juſtum & uſitatum eſt, ut victi victoribus, ſumtus in bello factos, aliaq; damna reſtituant. Quod & in civilibus cauſſis, & forenſibus controverſijs locum habet, niſi juſtam cauſſam fortè litigandi victus habuiſſe cenſeatur: cui exceptioni moribus potius, quam lege aliqua introductæ, in bello lotus eſſe non ſolet.

LIII.

Poſtremò graviſſima quæſtio eſt, & inter Illuſtres ſuas relata ab Hottomanno a) *ICto acutiſſimo, an jus Victoriæ ſit quoddam jus univerſale, an verò in ijs tantum rebus valeat, quas occupavit? hoc verius ille exiſtimat, illud Albericus Gentilis,* b) *& cum hoc videntur Hiſtoriæ ſtare: unde veteres Imperatores & Duces ita cenſuiſſe contra Hottomannum, ſalvâ ſummi Viri auctoritate, diſputabimus.*

a) Quæſt. 5. b) l. 3. de Jure belli c. 5.

LIV.

Sicut & ab eodem recedimus in Quæſtione illâ aſperâ & vehementi, ut illam appellat Quinctilianus, a) *de Theſſalis, quibus Alexander Magnus chirographum quoddam Thebanorum donaverat: nam Theſſalis jus ex eâ donatione verum optimumq; quæſitum fuiſſe, docent nos item Hiſtoriæ & Exempla ſimilia, & confirmant inſuper Albericus* b) *Gentilis & Balthazar* c) *Ajala ICti CLmi.*

a) l. 5. c. 10. b) d. l. 3. de Jure belli c. 5. c) l. 1. de belli jure & officijs c. 5.

LV.

Atque hæc de Iure Victoriæ in vi & armis, aut etiam munimentis ſubjugatos ſufficiant: in Deditijs omnia mitiora obtinent. In illis tria potiſſimum notanda: primum, qui dici poſſint deditij: An ſolùm illi, quorum murum aries nondum percuſſerit, ut volunt antiqui? a) *an qui etiam poſt vim adhibitam ſe dedunt? id Ciceroni* b) *placuit. Virig, deditij dici poſſunt.*

a) Inprimis Fulvius apud Liv. lib. 38. & 39. de Ambraciâ.
b) 1. de off.

LVI.

Alterum eſt, an deditij ſemper recipiendi? Si nimia multitudo eorum eſſet, juſta cauſſa viſa Romanis aliquando non recipiendi: apparuit id in exſcidio Vſpenſium apud Tacitum; a) *ſi item jam jam capiendi ſe dedere velint, non recipi coguntur.*

a) 12. Annal.

LVII.

Tertium eſt de Iure Dedititiorum. Quod ſic veſtigabitur: Dediti vel per pactio-

Digitized by Google

pactiones dedêre se, vel sine pactione: si cum pactis, illa servanda sunt: si sine pactis & simpliciter, pro modo meritorum nunc mitius, nunc durius haberi possunt, semper tamen stat pro illis favor. Atque de his hactenus.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

AN fœminæ etiam & pueri in bello capi possint, quæritur? Posse suadent nobis Historiæ, & ratio evincit.

II.

An deditus hostibus, & ab ijs non acceptus maneat civis? in C. Mancini exemplo valde apud veteres dubitatum fuit. Negativa nobis placet.

III.

Rectè Cicero *a)* de Romanis: Majores nostri semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruerunt. Exemplo fuere Q. Fab. Max. pater apud Liv. *b)* in deliberatione de Classio Altinio Arpinate transfuga. Marcellus *c)* in L. Bantio Nolano. Scipio *d)* Nasica in Gracho. Octavius Cæsar in Antonio. *e)*

a) in Orat. pro L. Manilia. b) lib. 24. c) apud Liv. lib. 23. d) Val. Maximus lib. 3. cap. 2. Appianus 1. Civil. e) Cicero Philip. 8.

IV.

Generosè, & pro majestate imperij sui Romani *a)* Leptinen. Cn. legati sui occisorem, à Demetrio ad supplicium dedirum acceptare noluerunt, ne publicas injurias privatis supplicijs ulcisci viderentur.

a) apud Polyb. in excerpt. legat. sect. 122.

DISPUTATIO XLIII.

MICHAELIS PICCARTI

De

MODIS INVESTIGANDÆ DEFINITIONIS.

Respondit

Nicolaus Zuberus.

Mens. April. cIↃ IↃ c XIX.

THESIS I.

AXioma est Aristotelis non uno loco ab ipso allatum: *Quidquid sciamus, scire nos vel per Definitionem, vel per Demonstrationem. Unde sicut Demonstrationis magna habenda ratio ei, qui in scientijs cum fructu versari cupit: ita Definitionis quoq;, quippe quæ non minus in rei cognitionem nos deducit, ut taceam, quod quandoq; ex ipsâ Demonstratione quoq; tamquam fructus resultet.*

II.

Ejus investigandæ modos, sive ad eam perveniendi rationes, hac Disputatione considerabimus: ac primum quidem de eâ dicemus, quam in Thesi primâ attigimus.

III.

Demonstrationem docet Aristoteles esse Accidentium, eorumq;, non communium, sed propriorum, quorum certa aliqua & immediata caussa est in ipsâ essentiâ subjecti, utpote à quâ Accidentia illa fluunt necessariò, sic ut datâ tali essentiâ, necessariò tales dentur affectiones, & datis talibus affectionibus, necessariò ponatur talis essentia.

IV.

Non verò Substantiarum, quippe quæ sui caussam non habeant àliam extra se, unde nec per aliquam caussam demonstrari possunt. V. G. Non per aliquam caussam Homo est, homo sed per & propter seipsum.

Hujus

V.

Hujus Demonſtrationis fructus, inquit, Ariſtoteles, eſt Definitio plena & perfecta Accidentium, theſi ſolum terminorum ab eâdem differens, hoc eſt πτώσει ſeu caſu: Demonſtratio enim fit in obliquis caſibus, Definitio concipitur in recto.

VI.

Exemplo res fiet illuſtrior: Quæritur cur tonitru fiat in nubibus? Cur Homo ſit Docilis? Reſpondetur ad prius Problema, Quia exſtinguitur ignis. Ad poſterius, quia Homo eſt ratione præditus: Hinc oriuntur Demonſtrationes hæ: Prior.

Omnis exſtinctio ignis excitat ſonum,
In Nubibus exſtinguitur ignis
In Nubibus igitur excitatur ſonus, qui proprio quidem nomine appellatur tonitru, ad differentiam aliorum ſonorum.

VII.

Ex hac Demonſtratione fluit perfecta Definitio Tonitru: quæ & eſſentiam, ut loquimur in Scholis Logicis, & cauſſam, διὰ τί ἐστιν complectitur, eſtq; hæc: Tonitru eſt ſonus in nubibus, per & propter exſtinctum ignem.

VIII.

Poſterior Demonſtratio eſt talis:

Omne Rationale eſt Docile, hoc eſt, aptum ad percipiendum facilè tradita.
Omnis Homo eſt Rationalis,
E. omnis Homo eſt Docilis.

Hinc Definitio Docilitatis hæc: Docilitas eſt aptitudo in Homine, ad facile percipiendum tradita, per & propter rationem.

IX.

Hic igitur eſt unus modus inveſtigandi Definitionem, proprius Accidentium, quo Definitio educitur ex Demonſtratione, eſtq; hic perfectiſſimus & firmiſſimus, de quo multa Philoſophus 2. Poſt atq; hujus ratione propriè dictum eſt, τὸ δι ἐστὶ εἶναι πτῶσις τῆς γνώσεως.

X.

Alter modus veſtigandæ Definitionis, ſubſtantijs maximè ſervit: Eſtq; hic: In definiendis ſpeciebus, reſpiciendum eſſe ad ſingularia, videndumq; quid illa habeant commune, quod tamen in quid eſt de ipſis prædicetur: Illud enim commune definitionem ſpeciei ſuppeditabit: In Definitione Generum eadem πτῶσις notanda, reſpiciendumq; ad ſpecies Generi ſubjectas. Quæ verò ſint prædicata Eſſentialia, Loci Dialectici libri IV. Topici docebunt.

XI.

Ad hunc modum facit ex sententiâ Aristotelis aliquid Divisio, tamquam ministra: quam tamen Plato voluit esse Dominam, & vim habere demonstrandi Definitionem: quod Philoponus quidem à Platone removere conatur, sed frustrà, ut ego quidem arbitror.

XII.

In Sophistâ enim, ubi varias exposuit artium divisiones ac varia genera, ita colligit tandem secundam Sophisticæ artis definitionem: Age nunc jam colligamus dicentes, apperere secundo: Sophisticam esse &c.

XIII.

Et paulò deinde inferius, colligens tertiam Sophistæ Definitionem sic habet: Hoſp: Illud igitur genus artis acquirendi, perpetuo tu appellabis Sophisticum? Theætet. Necesse est: τῷ γὰρ λόγῳ δεῖ συναπολυθεῖν: nam rationi assentiri oportet.

XIV.

Quibus locis cum primum dicit: Age nunc jam colligamus, & deinde: Necesse est, nam rationi assentiri oportet: quid aliud significare videtur, nisi necessariâ ratione, & illatione ex divisionibus colligi definitionem?

XV.

Neq; hoc latuit Galenum: is enim 4. de diff. pulsuum cap. 7. expressè dicit: Plato in Sophistâ & Civili docet nos atq; exercet, quemadmodum ex viâ & ratione dividendi, faciamus Definitiones. Hoc ferre non potuit Philosophus noster: itaq; 2. Post refellit opinionem istam, negatq; Divisionem habere τὸ βιαιοτικὸν τῆς ἀποδείξεως.

XVI.

Fundamenta ejus ibi loci sunt: quia Divisio videatur petere id quod in principio: quia non sufficiat omnibus Quæstionibus: quia peccet in leges Syllogismi, & quæ alia eo loco affert: Interim non negat μικρὸν τι μόριον εἶναι Methodi definiendi.

XVII.

Vestigat enim Divisio Differentias, & veluti institor exponit merces, unde definiens eligat idoneas suo instituto, quod ipsum docuit quoq; 7. Metaph. t. 36. II. Ordinem tradit in partibus definitionis: proponit enim primo loco Latiores differentias, deinde minus latas, quæ ordinis ratio in definitionibus quoq; observari debet. Denique Divisionis beneficio accidit, uti nihil in Definitione eorum, quæ in quid prædicantur, omittatur.

Atq;

XVIII.

Atq; ad hos usus adhibuit ipse Aristoteles Divisionem: In definitione Naturæ, 2. Phys. Motus, 3. Phys. Animæ, 2. de Animâ cap. 1. Seminis, in lib. 1. de Gen. Animal. c. 18. & alibi pluries.

XIX.

Est porrò & alius modus investigandi Definitiones familiaris Galeno: quem sic proponere lubet: Ex Aristotelis quoq; sententiâ lib. 6. inprimis Topico declaratâ, constat: in omni definitione colligendâ, procedendũ esse à Notioribus: Illud verò Notius duplex est, alterum sensui, alterum intellectui. Ex utroq; conflatur Definitio.

XX.

Exemplo rem illustremus: Videamus quomodo Galenus exstruat morbi Definitionem. Primum sumit hoc ἐναργὲς, hoc est sensui notum: Actiones à sanis edi integras: V.G. manum apprehendere, pulmonem respirare, oculum videre, aurem audire: Vnde sensui hoc quoq; notum est, ab ægris seu morbo affectis edi actiones non integras.

XXI.

Hoc ἐναργὲς sequitur Φανόμενον, hoc est intellectui notum: Cum enim ab hoc homine aliâs edantur actiones integræ, nunc non edantur, esse aliquid colligit ratio præter illius hominis naturam, quod actiones ejus naturales & solitas inhibeat.

XXII.

Ex priori igitur & sensui noto nascitur mihi hoc: Sanitas est Actionum naturalium aut voluntariarum integritas: Ergo: Morbus est Actionum impedimentum vel læsio. Ex posteriori & intellectui noto nascitur illud: Sanitas est constitutio secundum Naturam: Ergo: Morbus est constitutio contra Naturam.

XXIII.

Ex his duobus Notis prodit mihi Definitio Morbi: Morbus est constitutio seu dispositio præter Naturam, lædens actiones. Sed quia actiones etiam lædunt causæ morbificæ: addendum discriminis caussâ: primò. Hæc est Methodus Galeni, qua & Definitionem pulsus indagavit, & Definitionem optimæ constitutionis, in lib. prop. Definitionem lassitudinis, in 3. de tuend. valet. Virtutis, 7. de Decret. Hipp. & Platon.

XXIV.

Aristoteles quoq; sic 1. Metaph. Definitionem Sapientiæ inquisivit: Definitionem quoq; loci, 4. Phys. & Augmenti, in lib. de ortu & interit.

XXV.

Observandum & hoc esse, quasdam rationes Philosophis λελημμένας *definiendi, sic ut definiant, cum tamen minimè definivisse parùm oculatis videantur: Id quod non ignoravit quoq; Galenus. Lib. enim 4. de Diff. pulsuum cap. 2. admonet, non semper esse exspectandas istas expressas definitiones, sed satis esse, si rerum natura copiosè tractetur, diligenterq; evolvatur.*

XXVI.

Sic Composita non facilè definivit Aristoteles, sed formas solum, quoniam composita ipsa, quod sunt hoc aliquid, quodq; certam speciem habent, formæ potissimum referunt acceptum: Unde percepta forma vi, continò ipsorum quoq; essentia intelligitur: παντὶ γὰρ τῷ ἐνύλῳ καὶ τὸ εἶδος ἐστὶ ὁ λόγος, *inquit, Alex. ult. quæst. lib. 1.*

XXVII.

Hinc non animalis, sed animæ vides ab Aristotele afferri definitionem, non mixti corporis sed mixtionis, non colorati, sapidi, odorati, putris, sed coloris, saporis, odoris, putredinis. Sic Naturæ definitionem accuratè Philosophus tractavit; eâ enim constitutâ, qui nescire se dicat, quid sit corpus Naturale, cum parùm judicio valere censuerim. Sic Generatio & res genita idem significant.

XXVIII.

Aliquando tamen contra facit, & concretum considerat, ejusq; notas proponit, indeq; Abstracti essentiam & naturam deprehendi posse ait. Sic 3. Ethic. notas Viri fortis proponit, deinde subjungit: Ex his constare potest, quid sit Fortitudo.

XXIX.

Docet idem Philosophus: uno contrario definito, alterum despici, quia ex unius contrarij Definitione, alterius contrarij definitio facile possit colligi.

XXX.

Sæpè etiam Philosophi separatim docent Genus, & per illud similitudinem essentialem, & rursus separatim differentias, & per illas dissimilitudinem essentialem; numquam tamen connectunt, quos si tu neglecta definitionis arcesseris velis, hospes in Philosophia videri possis. Vid. 4. Phys. c. 1. t. 8.

XXXI.

Philosophi quoq; nostri monitum est: Si universale aliquod multas sub se contineat species, multisq; differentijs distinctas, præstare enumerare istas differentias & species, quam universum definire. Siquidem dum enumerantur, nominantur, ac quasi conferuntur inter se, emicant similitudines dissimilitudinesq;

dinesq; earum, ex quibus deinde ſpecierum definitiones colligi poſſunt, atq; adeo ex illis natura quoq; Vniverſi.

XXXII.

Verba ſunt 1. Polit. ubi de Virtutibus primarum ſocietatum: οἱ γὰρ καθόλου λέγοντες ἐξαπατῶσιν ἑαυτούς: πολὺ δὲ ἄμεινον λέγουσιν οἱ ἐξαριθμοῦντες, ὥσπερ Γοργίας, τῶν ὅλως ὁριζομένων. *In Menone qui universè definiunt, decipiunt ſeipſos, multò autem melius dicunt, qui ipſas ſpecies enumerant, ut Gorgias, quam qui Vniverſale definire præſumunt.*

XXXIII.

Idem & 2. de Animâ monet t. 30. Vt, inquit, in figuris una communis ratio fieri poteſt, quæ cunctis quidem figuris accommodabitur, nullius autem erit propria: Sic & in animabus dictis fieri poteſt. Ridiculum igitur ζητεῖν τὸν κοινὸν λόγον, καὶ ὅπου τούτων καὶ ἐφ' ἑτέρων, *& quæ plura ibi ſequuntur.*

XXXIV.

Atq; hæc fortaſſe cauſa eſt, quare Galenus nullam adtulerit expreſſam Febris definitionem, propter multitudinem videlicet differentiarum. Quod ſi in Synonymis, quæ multas ſub ſe habent ſpecies, enumeratio ſpecierum præſtat definitioni univerſali, quantò magis in illis ratio dicta obtinet, in quibus unitas generica nulla eſt. Atq; hæc hactenus.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

RAtio, an debebat prævalere experientiæ quæritur? Ariſtoteles 1. Metaph. videtur Empyricum Theoretico præferre: Galenus Theoreticum illi, cum quo & Rhaſis ſentire videtur; nobis placet diſtinctio Averrois.

II.

Tria ſunt præcipuè Methodi vitia: In Diviſionibus λεπτυγρία & καινοτομία. In Definitionibus φιλοτιμία. In Regulis κοινότης & κενότης. Primum notavit Plato, alterum Galenus, tertium Duarenus JCtus.

Quod

III.

Quod Aristoteles 2. Phys. cap. 8. t. 86. dicit, ἡ τέχνη οὐ βουλεύεται, Ars non consultat, non est in universum de omni arte accipiendum, aut certè aliquibus circumstantijs est restringendum.

IV.

Mirum est, quod Aristoteles 8. Phys. c. 5. t. 43. dicit: Ἅπτόμενα πῇ τι ἄμφω ἀλλήλων, ἡ θατέρου θάτερον: h. e. quæ quidem aut sese mutuo tangunt, alterum tangit alterum. Quid enim? Estne contactus aliquis non mutuus?

V.

Idem Philosophus 1. de Cœlo c. 6. t 44. Ὡρισμένου δὲ τοῦ μέσου, καὶ τὸν ἄνω τόπον ἀνάγκη ὡρίσθαι. Medio finito, superiorem quoq; locum finitum esse oportet. An id universale, ut, medio finito existente, finita quoq; sint extrema? Non videtur: Tempus statuit Aristoteles infinitum, id solum de extremis capiendum, præterito & futuro; medium autem τὸ νῦν sive præsens est finitum.

DISPU-

DISPUTATIO XLIV.

MICHAELIS PICCARTI

De

ORDINE DOCTRI-

NÆ IN TRADENDIS DISCIPLINIS, &c.

Respondit

Fridericus Braun, Norimberg.

Mens. Maj. cIↃ IↃ c XIX.

THESIS I.

EGimus superioribus annis de Notiorum discrimine, & exposuimus, quid Philosophis dicerentur Notiora Natura, quid item Notiora nobis? Idq; fecimus eo consilio, uti Disputationi illi subijceremus alterã, de ordine videlicet Doctrinæ, unde ille petendus esset: à rerum-ne Naturæ, an à nostræ facilioris cognitionis ratione & modo? Eam Disputationem nunc cum Bono DEO, ne vaniloquidori fuisse videamur, tractandam suscipiemus.

II.

Videtur autem hæc controversia inter antiquos etiam agitata fuisse, ut ex Averroë in sequentibus constabit: superioribus autem annis calidissimè resuscitata est, à duobus Clarissimis nostri seculi Philosophis, Iacobo Zabarella, & Francisco Piccolomineo, Italis, & Patavinæ Academiæ luminibus.

III.

Origo hujus controversiæ, revocatæ ab his, quos dixi, fluxit ex commentario Averrois in textum 1. & 2. 1. libri Phys. *Quibus cum Aristoteles docuisset initio agendum esse de principijs rerum Naturalium, quia ex eorum cognitione aliorum cognitio dependeat, perveniri autem ad horum cognitionem, per innatam nobis viam, ex notioribus & manifestioribus nobis, ad manifestiora & notiora Naturâ. Averroes, textus illos exponens, ait: Aristotelem ideo de principijs, tanquam universalibus agendum proponere, quia universalia sint nobis*

notiora quam particularia: notioribus autem nobis semper esse in scientijs progrediendum.

IV.

II. *Inquit Averroes dicto loco: Ideo de universalibus primo loco agendum, ne cogamur idem multoties repetere, si particularia præmittantur, quod effatū fuit Aristotelis* 1. de part. Animal. Φανερὸν δὲ (*inquit*) ὅτι καὶ μέρος μὴ λέγοντες πολλῶν ἐρεῖμεν πολλάκις ταὐτά. *Addit ibidem & III. rationem, ut nimirum propriæ affectiones postea reduci possint ad primum cujusq; subjectum, quod faciendum præcipitur.* 1. Post.

V.

Hanc Averroïs interpretationem & has interpretationis rationes aggressus est Fr. *Piccolomineus, primùm in introduct. ad scientiam de Natura* cap. 16. *easq; leves admodum esse ait initio: deinde potiores prætermissas arguit. Primam enim inanem & falsam ait. docetq; ex eo, quia Principia Naturalia nobis sint ignotissima, Prima V. G. Materia & Primus Motor.*

VI.

Neq; porrò addit juvari Averroem verbis illis textus. 2. quia illa accipienda sint de Via Doctrinæ, non autem de Ordine Doctrinæ, quorum illam à Notioribus Nobis progredi certum sit: Ordinem non item. Reliquas etiam duas rationes eludere conatur ibidem, & tandem concludit, ideo in Physicis primo loco de principijs agi, quia ordinem illum rerum Natura præscribat: quam sententiam etiam omnibus studijs propugnat in Introduct. ad Philosoph. Civ. c. 17. 18. 19. & Comite Polit. parte 5.

VII.

Contra hunc Francisc. Piccolom. pro Averroe movit se Iacobus Zabarella, eumq; acriter & nervosè defendit initio libri. 1. de Method. c. inprimis. 5. 6 7. & 8. Deinde in apolog. lib. 1. c. 3. usq; ad 10. & in Appendice Apolog. quam edidit sub nomine Ascal Persi. Atq; hujus quidèm sententiam, ut veriorem, amplecti nunc nobis placet.

VIII.

Initio autem statum controversiæ rectè constituamus, sic enim reliqua, quæ dicemus, planiora erunt. Quæstionis igitur cardo in hoc versatur: An in tradendis scientijs res scibiles ita disponendæ sint, ut se ex sua natura consequuntur? An secundum nostrum cognitionis modum, prout facilius à nobis apprehenduntur? Posterius membrum nobis placet, primus Piccolomineo & qui eum sequuntur.

IX.

Primum autem urgemus subjectum Quæstionis: quod est Ordo Doctrinæ, quod

quod arguit Disciplinas aut scientias tradi, non ut rebus Ordo statuatur, eum enim Natura jam ipsis constituit: sed ut nostræ cognitioni statuatur. Hinc verò apparet, eum ordinem constituendũ, qui nos facilius meliusq; in cognitionẽ ducat.

X.

Nam, ut res sunt propter se ipsas, ita Doctrinæ sunt propter nos. Quemadmodum igitur Natura generando sequitur ordinem fini suo convenientissimum: Ita Doctor in docendo fini suo convenientissimum sequi debet: Quis verò Doctoris finis est? Transfundere doctrinam in discentem. Qui igitur ordo faciliorem hujus finis assequendi rationem illi monstrabit, illum utiq; tenebit.

XI.

Sed audiamus secundo loco Aristotelem & ex ipso fundamenta nostræ sententiæ petamus: cum enim ille à rectè sentientibus & olim habitus sit, & habeatur hodieq; pro Methodi parente & optimo magistro: non errabimus, si ductum ejus, tanquam Ariadnes filium studiosè sequamur.

XII.

Consideremus ergò 1. nobilem illum locum 5. Metaphys. c. 1. ἀρχὴ *(inquit) sive Principium dicitur, hoc quidem illud rei, à quo quid primum movetur. Ex oppositio autem illud quoq; principium dicitur, unde quodq; optimè fiat, ut doctrinæ: non à primò ac rei principio aliquando inchohandum, sed unde quis facilius discat. Verba Philophi si quis ipsa habere malit, hæc sunt:* ἀρχὴ ἡ μὲν λέγεται, ὅθεν ἂν τὸ πρᾶγμα κινηθείη πρῶτον, ἐξ ἐναντίας δὲ ἑτέρα: ἡ δὲ ὅθεν ἀνσπάλιστα ἕκαστον γίνοιτο: οἷον καὶ μαθήσεως: οὐκ ἀπὸ δ πρώτου καὶ τῆς τοῦ πράγματος ἀρχῆς ἐνίοτε ἀρκτέον, ἀλλ' ὅθεν ῥᾷστ' ἂν μάθοι.

XIII.

In hoc loco duæ proponuntur Principij significationes. I. Est, Vnde res incipit moveri: II. Vnde optimè incipit moveri: Prior significatio proponit principium in determinatum, undecunq; principium motus fiat: V. G. Principium dicitur, sive Athenis Thebas eas, sive Thebis Athenas. Posterior significatio determinatur, τῷ καλλίστῳ *optimo, ideoq; opponitur priori:* ἐξ ἐναντίας ἑτέρα *inquit. Tale autem Principium ait esse in Doctrinis, quarum Principium est unde optimè fit* διδαξις *actus docentis recipiendus in discentem 3. Phys. t. 19. Vnde certè discentis ratio haberi debet.*

XIV.

Verùm huic loco duo opponuntur ab adversa parte, Primum enim locum hunc nobis adversari dicunt ex eo: statuimus nos: semper & universè in docendo faciliorem cognitionis rationẽ habendam, hoc verò loco dici: aliquando tantum faciliorem cognitionis rationem ducendam, ac proinde non semper. II. Contendunt hunc locum non de Ordine, sed de via Doctrinæ accipiendum esse.

XV.

Priori objectioni nunc satisfaciamus, nam posterius, quia sæpius regerunt, una opera ad extremum illud ipsis eripere laborabimus. Primus igitur quod attinet: falluntur & fallunt; neq; enim dicit Philosophus: aliquando tantùm à facilioribus esse progrediendum: sic enim rectè inferri videretur; aliquando à facilioribus non esse inchoandum: sed dicit: aliquando non à primo rei principio inchoandum: quibus verbis hoc significare vult: si principia rei non sint simul principia cognitionis, tum illorum rationem non haberi, sed potius facilioris cognitionis.

XVI.

Vidit hoc Averroës, cujus hæc sunt ad illum locum & ad sequentia verba: Principium etiam illud dicitur, ex quo fit facilius. Est enim in scientijs duplex principium: aliud in rei veritate, aliud facilioris cognitionis, & in quibusdam disciplinis accidit, ut principium essendi (principium rei) sit idem cum principijs doctrinæ, (facilioris cognitionis) & in quibusdam non: atq; ab his multis in locis exorsus est Philosophus, principio rei neglecto, ut alibi à nobis determinatum est.

XVII.

Lubet etiam argumentum in ipsos retorquere. Dicunt Aristotelem hic dicere: aliquando tantum à nobis notioribus incipiendum. Quare igitur interpretantur locum de via, quum asserant nobiscum; in viâ Doctrinæ semper à notis initium faciendum.

XVIII.

Alter textus Aristotelis est 1. Phys. t. 1. Vbi Philosophus docet: ideò à Principijs: exordiendum esse in scientia Naturali, quia sic demum in cognitionem rerum naturalium deveniamus, non fortè ex eo, quod sint prima & rerum principia; sed quia sine illis alia cognosci nequeant, illis verò cognitis alia facilius cognoscantur. Verum si adversarios audiamus, in hujus quoq; loci productione nihil agimus: Oggerunt enim: primam rationem non esse in illis verbis allatam, sed resolvendam in superiorem aliam: itaq; sic illi mentem Aristotelis exponunt. In qualibet Methodo, quæ habet principia, à principijs est exordiendum: cur? quia principijs cognitis alia facilius cognosci possunt. Cur hoc? Quia videlicet Principia sunt prima secundum Naturam.

XIX.

II. Dicunt hunc quoq; locum de via Doctrinæ, non de Ordine capiendum. Ad primum objectum respondeo. Interpretationem illam & repugnare præcepto Aristotelis, & πράξει ejusdem. Præceptum est in posterioribus. Analyt. Vbi jubet in docendo primam sive ultimam causam proponere, quâ allatâ cesset omnis dubitatio:

bitatio: repetit 2. Phyſ. t. 38. *Oportet, inquit, ſemper cauſam uniuscujusq; ſummam quærere: ut homo ædificat, quia ædificator eſt, ædificator autem eſt, quia habet artem ædificandi: hæc igitur prior cauſa eſt, & ſic in omnibus.* Πεφύκασιν *Ariſtotelis in omnibus libris ejus apparet. Quare igitur hic neglexiſſet?*

XX.

Dicunt: allatam minus principalem rationem, quia ſit illa manifeſtior: Iugulant igitur ſeipſos. Quod ſi enim in una alicujus rei ratione producenda, noſtræ facilioris cognitionis ratio habita eſt, quidni & in tota aliqua ſcientia tradenda ejusdem ratio habeatur? Iterum dicunt, non fuiſſe Ariſtotelis principaliter hoc loco curæ, de ordine agere: Mirum verò in principio totius ſcientiæ phyſicæ neglectum à Philoſopho, quod in particulari πραγματείᾳ *de Partibus Animal. non omiſſum eſt* c. 1. *Vbi monet, minimè ignorandum eſſe, an communia ſint præmittenda. De altero ſuo loco.*

XXI.

Tertius locus eſt 3. Phyſic. t. 2. *Vbi ait Philoſophus: de conjunctis motui, V. G. de Loco, Tempore, vacuo agendum propterea, quod cunctis ſint communia & univerſalia hæc omnibus: addit rationem:* ὑστέρα γὰρ ἡ περὶ τῶν ἰδίων θεωρία. *Speculatio enim de proprijs poſterior eſt eâ, quæ eſt de communibus. Cur hoc? rationem reddit* 2. de Ort. & Inter. c. 9. t. 51. Ῥᾷον γὰρ οὕτω τὰ καθ' ἕκαστα θεωρήσομεν, ὅταν περὶ τῶν καθόλου λάβωμεν πρῶτον. *Sic enim ſingularia facilius conſiderabimus, quando de univerſalibus acceperimus primùm. Viden', ut faciliorem noſtram conſiderationem attendat, non rerum ordinem in Naturâ?*

XXII.

IV. Locus idemq; manifeſtiſſimus eſt 1. Nicom. c. 2. *Dubitat eo loco: An Ethica diſciplina tradenda ſit Ordine compoſitivo, quem vocat à Principijs, an reſolutivo, quem vocat ad principia: hancq; dubitationem motam, ait, à Platone, nec injuria: Poſtea quæſtionem ipſe diſſolvens, nil, ait, eſſe potius reſpiciendum, quam, ut à notis doctrina procedat, ſic ut facilius apprehendatur, ſine conſideratione ea, an ſint principia rei nec ne. Verba Philoſophi ſunt:* Μὴ λανθανέτω δ' ἡμᾶς, ὅτι διαφέρουσιν οἱ ἀπὸ τῶν ἀρχῶν λόγοι, καὶ οἱ ἐπὶ τὰς ἀρχάς· ἓν γὰρ καὶ Πλάτων ἠπόρει τοῦτο καὶ ἐζήτει. Ἀρκτέον μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν γνωρίμων. Ταῦτα δὲ διττῶς. τὰ μὲν γὰρ ἡμῖν, τὰδε ἁπλῶς. ἴσως μὲν οὖν ἡμῖν γε. ἀρκτέον ἀπὸ τῶν ἡμῖν γνωρίμων. *Verum hoc ignorare non debemus, intereſſe inter eas diſputationes, quæ à principijs proficiſcuntur, & eas, quæ ad principia fuerunt. Rectè enim etiam Plato de hoc dubitavit. Initium verò à notis ſumendum, quæ cum dicantur duobus modis: alia enim nobis ſunt nota, alia ſimpliciter & abſolutè. Fortaſſe igitur initium à nobis notis ſumendum erit.*

XXIII.

Ex quo loco præterid, quod posuimus, aliud quoq; cum Zabarellâ exstruimus argumentum: si enim in disciplinis tradendis Ordo Naturæ sive principium rei spectandum venit, aut unus dabitur Ordo tantum, aut multiplex & it incertus, Vtrumq; absurdum. E. & illud, sive Antecedens. Vnum tantum non dari, patet ex πράξει. Alios enim libros ordine compositivo, alios resolutivo scriptos à summis Methodi Magistris Aristotele & Galeno novimus. Et est super ea re monitum Philosophi lib. 7. Metaph. t. 23. 7. item Eth. c. 8. *Consequentiæ ratio patet: Si enim ordo Naturæ & rerum sequendus, dabitur solum unus Ordo, Compositivus videlicet: Hic enim Ordo Naturæ est, ut simplicia præcedant composita: A simplicibq ad composita igitur eundum erit, quod est Methodi συνθετικῆς.*

XXIV.

Si verò regeratur, ordinem Naturæ duplicem esse, alium quidem generationis, ubi locum habet Methodus compositiva: alium intentionis sive dignitatis & perfectionis, ubi resolutiva Methodus locum habeat: sequitur sanè alterum absurdum, ut incerti constituamur, utrâ Methodo uti debeamus in tradendâ rerum Naturalium disciplinâ. unde ad alterutrum confugiamus oportet, ut vel dicamus, posse eam utrovis modo pro arbitratu nostro tradi, aut inter illos duos deligendum illum, qui in discentibus facilius cognitionem rerum Naturalium generet. Quorum illud cum non modo Aristotelis adversetur sed, & absurdum prorsus sit: posterius concedatur oportet, Et sic habemus quod volumus.

XXV.

Verum quomodo hæc quoq; argumenta eludere conentur, videbimus, ubi unum adhuc adjecerimus his duobus συγγενὲς, & ab ipsismet adversarijs veluti in manus nobis datum. Sic igitur argumentamur: Inde est accipiendus Ordo Doctrinæ, unde fluunt ordinis differentiæ, quæ sunt Compositio & Resolutio. Atqui hæ Ordinis Differentiæ nõ prodeunt ex rerum Naturâ, sed ex nostro modo cognoscendi. Ab illo igitur Ordo Doctrinæ fluit. Major est, ut dixi, ipsorum Adversariorum, itaq; probari à nobis non debet. In minore dissentimus: Illi enim ita ex majori inferunt: Atqui Naturæ Ordo facit differentias Ordinis, quas diximus. Nos autem id nostrũ cognoscendi modum facere dicimus, id quod sic ostendimus: An non enim in artibus ex fine melius cognoscuntur media? Et si sine fine cognosci possent, finis non proponeretur, ut fit in Natura. Contra in contemplativis, an non melior cognitio est à primis, nisi quid impediat plerumq; tamen? Vterq; igitur Ordo est à facilliori nostra cognitione.

XXVI.

Quid verò illi contra hæc affetunt? 1. Canunt solitam cantiunculam, accipiendum esse locum de via, non de Ordine, id q; docere volunt ex vocabulo λόγου

item

item τὸς ὁδῦ, quorum hoc viam disertè significet, illud rationes sive discursus, Ordinem verò non facere discursus, sed viam. Idem adserere nituntur ex duplici Notiorum significatione allata & quæ alia adjungunt.

XXVII.

Alterum argumentum, quod thesi 24. attulimus, invertere conantur adversum nos: Idem, inquit, incommodum patiuntur, qui ordinem à nostro cognoscendi modo peti debere contendunt. Nam cum Nota nobis duplicia quoq; sint: alia Nota nobis notitiâ confusâ, alia nota nobis Notitiâ distinctâ: itidem incerti erimus, an Ordo peti debeat à notis nobis notitia confusa, an verò à notis nobis notitiâ distinctâ.

XXVIII.

Deinde respondent concedendo duplicem esse Naturæ Ordinem, neq; tamen incertum ex eo fieri, utro uti debeamus, rerum enim tractandarum naturam & circumstantias nunc συνθετικὴν methodum suadere, nunc ἀναλυτικὴν: Perpetuum nihil ominus esse illud, quod à natura rerum petatur Ordo Doctrinæ. Atq; hac responsione evitare etiam se credunt argumentum theseos 23.

XXIX.

Porrò quia quasi generali quodam solutionum fonte utuntur adversus nos, de illo accuratiùs agendum. Omnibus igitur argumentis nostris respondent: malè à nobis Ordini tribui, quæ de Via à Philosopho dicta sint. Quare ut constet de veritate, ante omnia videndum, quid Philosopho sit Via, quid Ordo.

XXX.

Ordo igitur rerum dupliciter consideratur initio: Uno modo ut est Ordo rerum, qui nobis, ut res quædam cognoscendus proponitur; altero modo, ut est instrumentum nostræ cognitionis sive ordo acquirendi res istas, sive perveniendi in illarum cognitionem. In priori significato cardo quæstionis non volvitur, sed in posteriori, quo definimus, cum Zabarella, Habitum instrumentalem, per quem apti sumus, cujusq; disciplinæ partes ita disponere, ut quantùm fieri possit, optimè ac facilimè illa disciplina addiscatur & comprehendatur.

XXXI.

Via verò sive Methodus presbè sic dicta, cum eodem, nobis est progressus in docendo ab uno noto ad aliud ignotius, estq; adeò ordo quæsitorum, quæ circa unamquamq; rem particulariter exoriuntur.

XXXII.

Ex his definitionibus facilè jam erit differentias monstrare inter Ordinem & Viam: 1. enim constat ex illis: Ordinem nullam illationem aut argumentationem afferre, sed solùm dispositionem rerum tractandarum, ut hanc primo loco, illam posterius tractemus. Illationem sive argumentationem autem Viæ seu methodi esse propriam.

11. Ordinem

Digitized by Google

XXXIII.

11. Ordinem, ſemper diſtinctam noſtram cognitionem reſpicere, nunquam confuſam. Cujusvis enim diſciplinæ partes ita ſunt diſponendæ, ut optima earum cognitio habeatur, quantum ea diſciplina fert. Via verò tam confuſam, quam diſtinctam notitiam ſpectare poteſt: cum enim illa ex notis procedat: hæc autem ſint duplicia: Nota naturâ, & nota nobis, ſi ab his procedat, confuſa oritur cognitio, ſi ab illis, diſtincta.

XXXIV.

Vnde III. manifeſtum quoq; ſit diſcrimen inter notius, à quo in via, & notius à quo in Ordine auſpicamur. Illud ſiquidem notius, nihil eſt aliud, quam medium, per quod alterum poteſt ſyllogiſmo colligi & notum fieri: ſive jam illud medium à natura & priori, ſive à poſteriori & noto nobis ſit petitum. Notius autem, à quo in ordine auſpicamur (ita enim cum vulgo loquendum eſt) neutrum ſignificat, ſed id quod melius & facilius eſt. Nam ſi de hac rectè loqui velimus, dicendum eſt: ordinem doctrinæ incipere, neq; à notio neq; à natura notiùs κυρίως, ſed universè à facilius cognoſcendis: quamquam hæc ex alterutro Notiorum genere eſſe accidat.

XXXV

Habetq; ſe hic res ut in Endoxis, quæ neq; falſa ſunt neq; vera, quatenus ἔνδοξα; ſed ea ſolum dicuntur, quæ conſentanea ſunt hominum opinionibus, licet illa neceſſariò ſint alia conſideratione vera aut falſa. Explicuit hoc Alexander: ἐνδοξ[illegible] inquit, καθ' ὅσον ἔνδοξα μήτε ἀληθῆ, μήτε ψευδῆ εἶναι λέγομεν: ἡ γὰρ ὑπόληψις τοῖς ἐνδόξοις ἀπὸ τῶν πραγμάτων, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ὑπολήψεων, ἃς ἔχουσιν οἱ Ἄνθρωποι περὶ τῶν πραγμάτων. Endoxa, inquit, quatenus Endoxa, neq; vera ſunt neq; falſa: non enim judicium, an aliquid ſit ἔνδοξον, ex rerum natura ſumitur, quarum πάθος eſt verum aut falſum, ſed ex opinionibus hominum, quas de rebus habent. Sic Ordo primò incipit à facilius cognoſcendis, neq; id advertit, quod illa nota naturâ ſint aut nobis.

XXXVI.

His ita præmiſſis, videamus quid adverſus rationes noſtras afferatur. Primùm autem dicunt locum 5. Metaphyſ. c. 1. de Via agere non de Ordine. Id nego: & primum quidem hoc argumento, quod ex textu ipſo deſumo, ut actum ſupra theſi 14. De quo accipiendum eſt Principium primæ ſignificationis ab Ariſt. 5. Metaph. c. 1. allata, de eodem eſt accipiendum ſignificatum ſecundum. *Ratio connexi patet: quia ἐξ ἐναντίας priori ponitur. At primæ ſignificationis principium ſine dubitatione accipiendum eſt de Ordine. Ergò & principium ſecundæ ſignificationis. Illud patet, quia reſpicit σχέσιν termini ad terminum tanquam primi ad ultimum.*

11. *Expen-*

XXXVII.

II. *Expendo ipſam vocem* ἀρχῆς *ſive principij & vocem* ῥᾴω *Facilius, quatum utraq; de Ordine propriè dicitur, de Via non item. Principium ſive initium (hoc enim ſignificatum hîc habet) non rectè uſurpatur, niſi ubi multa ſunt quæ tractantur: ibi enim ab uno ſumitur tractationis initium, deinde fit tranſitus ad alia, ſuo & decenti ordine.*

XXXVIII.

At verò in Methodo ſive via, una tantum res, nimirum ea, quæ quæritur, propoſita eſt, non de medio ex quo quæritur, neq; de ſubjecto in quo: hæc enim utraq; jam præcognita, ſupponuntur: In hujus verò quæſiti expoſitione non quæritur, quo ordine ſit incipiendum. Iam enim certum eſt, certè eſſe debet, à Notioribus Quæſitum eſſe declarandum. In ordine autem multa diſponimus, de quibus omnibus, ac ſeparatim de ſingulis tractatio inſtitui dicitur.

XXXIX.

III. *Vocabulum facilius expendo: quod viæ competere non poteſt: Cum enim in via ſemper ex notioribus procedendum ſit: Facilius illud, in via locum habere non poteſt: In ordine autem optimè, ut exemplis demonſtrari poteſt: V. G. De animalibus & Plantis acturi, poſſumus & hinc & illinc ordiri: Facilius autem Plantarum naturam cognoſcemus, ſi Animalium tractationem præmiſerimus:*

XL.

IV. *Dico: ſi locus à nobis allatus, fuiſſet de Via ab Ariſtotele acceptus,* τῶν τελείως *culpâ carere non poſſet: nam paulò poſt affert aliam ſignificationem Principij, Viæ competentem: Ita enim ait:* ἔτι ὅθεν γνωστὸν τὸ πρᾶγμα πρῶτον, καὶ αὐτὸ ἀρχὴ λέγεται τοῦ πράγματος: οἷον τῶν ἀποδείξεων αἱ ὑποθέσεις: *Præterea unde res primum cognoſci poteſt, aut cognita eſt, illud quoq; principium rei dicitur: ut Demonſtrationum ſuppoſitiones: Hoc enim ſignificatum, quin de via accipiendum ſit, negari non poteſt.*

XLI.

Elevare & eludere conantur hoc argumentum adverſarij. Dicunt enim viæ ordinem duplicem eſſe: à Notis nobis, quando per effecta ad cauſas concludimus, & à notis Naturâ, quando per cauſam concludimus effecta: illum ordinem ſecundo Principij ſignificato indicatum, hunc ultimo. Atquè ita debuiſſe prorſus Ariſtotelem docere, niſi doctrinam ſuam voluerit imminutè tradere. Hæc illi.

XLII.

Quid nos? Primùm dicimus, ultimum ſignificatum utriusq; principij viæ rationem includere. ὑποθέσεις *enim hîc univerſè accipiuntur pro præmiſſis de-*

monſtrationum, ſive Principijs in genere, quæ vel nobis ſunt nota, vel naturâ, vel ſimul naturâ & nobis, ut Axiomata. Arguunt hoc verba: ὅθεν γνωρὶν τὸ πρᾶγμα πρῶτον: unde primum cognitum ſit πρᾶγμα ſive per notum nobis, ſive per notum naturâ.

XLIII.

Inverto præterea argumentum: Si Ariſtoteles utroq; loco, ut illi volunt, de principio Viæ egit: mancus erit, quia de Principio Ordinis non egit: Debuit enim omninò quoq; de illo agere, quia non minus in ordine eſt prius & poſterius, & proinde aliquod principium: At mancam Ariſtotelis doctrinam dicere ipſi quoq; erubeſcunt: ſequitur ergò textum noſtrum de ordine agere, & rectè pro eo à nobis allatum eſſe.

XLIV.

Ad extremum objiciunt, non ſe primùm locum illum de Via accepiſſe, ſed factum id olim ab Alexandro: Idq; ex exemplis conſtare: An Alexandri commentarius ille ſit, dubitatur à doctis, & dubitant ipſi quoq;, qui pro ſe facere aſſerunt: Cæterum verba ipſius audiamus: Ita autem ait: Altero modo principium dicitur id, unde, ſi quis exordiatur, ſuſceptum negotium optimè cedit, ut in diſciplinis: In his enim plerumq; non à primis auſpicamur, ſed ab ijs, quæ facilius à diſcentibus percipiuntur. Hactenus Alexander planè pro nobis, quod arguit vocabulum exordiri, item verba extrema expoſitionis.

XLV.

Exempla ſubjungit ex prædicamentis Ariſtotelis & 1. Phyſico: verba ſunt hæc: Atq; ita in prædicamentis, optimè fecit Ariſtoteles in mentione Qualitatis, docens de ea per quale, quod quidem poſterius eſt qualitate, notius tamen. Idem Phyſicas ἀκροάσεις à ſenſilibus, quia nobis ſunt notiora, non à primis principijs exordiitur.

XLVI.

Reſpondeo: primùm non ſatis explicitè Alexandrum hîc agere: nam ſentire illum nobiſcum, & ſuperior arguit explicatio ejus, & verba extrema, quibus hæc exempla claudit: Et ſanè, inquit, Artifices quoq; inde operum ſuorum initium faciunt, unde cum incipitur, opus facillimè perficitur. Potuiſſetq; commodiora exempla afferre ex categoriis puta, quæ τὰ πρός τι Qualitati antepoſita ſuêre & ſimilia. Atq; hoc etiam reſponſum ſit ad locum. 1. Phyſ. t. 2. quem itidem ad viam referunt, & non ad ordinem, quam verè, poſtea videbimus, certè non conſtanter. Princeps enim illorum, primum textum de Ordine accipit in lib. 1. Phyſ. in cap. Dubit: ad t. 5. Dubitat. ſecundâ.

XLVII.

Nobis enim, ex interpretatione, virorum in Philoſophia ſummorum, certum

tum eſt: Tria in eo proœmio agi: Proponitur primò inſtitutum librorum Phyſicorum: proponitur II. Ordo inſtituti, reſpectu aliarum partium Naturalis ſcientiæ. Proponitur III. methodus ejusdem inſtituti exſequendi.

XLVIII.

De quibus tribus quomodo agat, ex reſolutione ſyllogiſticâ perſpicuum fiet. Sic tamen, ut ſupponatur inſtitutum Philoſophi, quod eſt proponere ſcientiam Naturalem: rectè enim hoc à nobis ſupponi, conſtabit ex minori ſyllogiſmi principalis, quem ſubjungo:

In omni ſcientia, habente principia, aut cauſas, aut elementa, initium ordinis faciendum eſt ab illis principijs, cauſis aut elementis.

At verò ſcientia de rebus Naturalibus habet principia, cauſas, & elementa.

E. ſi doceri illa debet, ratio ordinis poſcit, ut ab illis principijs &c. ad principiata fiat progreſſus.

XLIX.

Major, quia in dubium vocari poterat, ideo Proſyllogiſmo Philoſophus confirmat, qui eſt hic:

Illa ſunt primùm determinanda in quavis ſcientia, quibus cognitis, reliqua ejus ſcientiæ facilius cognoſci poſſunt.

At verò ex Principiorum cognitione, principiatorum cognitio dependet, ſic, ut principijs cognitis alia facilius cognoſcantur.

Ergo: de Principijs initio determinandum eſt.

Hactenus Philoſophus de Ordine: Dicas: ſed & Proſyllogiſmi major dubia eſt: & probanda per ſuperiorem cauſam: nempe quia ſint prima ſecundum Naturam.

L.

Reſpondeo: Textus nos aliud docet: neq; enim hanc cauſam affert Philoſophus, ſed conſenſum ſapientum, qui tum demùm ſe putant cognoſcere, tum cauſas primas cognoverint & principia prima, usq; ad Elementa, quæ ratio repetitur t. 27. 2. Phyſ.

LI.

De via autem ſeu methodo, agit textu ſecundo per Occupationem. Poterat quis dubitare ex ſuperiori textu, numquid detur ſcientia Naturalis? ſi nam q;

omnis cognitio est ex principijs. principiorum verò non sunt principia : ideo neq; illorum erit cognitio, neq; ulla ex illis. Huic dubitationi Philosophus respondet hoc syllogismo.

In perquirenda cognitione ignotorum, quæ principia non habeat, ex quibus possint cognosci, sequi debemus modum cognitionis innatum, qui est, ut progrediamur à notis nobis ad nota naturâ.

At principia Naturalia sunt nobis, ex eo, quia alia superiora principia non habent, ignota: Ergo.

LII.

Quo syllogismo præmisso, distinctè de via agit, quæ cum sit progressio ab uno ad aliud, terminum habet primùm à quo: secundò ad quem: tertiò ipsam progressionem: Quartò ordinem quæsitorum seu comitem: Textu igitur secundo proponitur methodus, qualis sit: textu tertio terminus à quo, nimirum confusa. Ad quem, distincta Progressio, Divisio, & Resolutio: Ordo quæsitorum ab universalibus ad singularia. Atq; hæc est genuina nobilis illius loci explicatio, quæ sententiam nostram planissimè confirmat.

LIII.

Tertio loco ex 3. Phys. t. 2. allato respondent, oppugnari nos ipsa tractatione: Etsi enim ibi locorum dicit Philosophus, ignorato motu ignorari naturam, tamen, inquiunt, prius de natura egit quam de motu, quia videlicet motus secundum naturam posterior est. Respondeo. De natura superioribus duobus libris nihil constitutum est, præter definitionem, eamq; ex notis nobis: constitutis enim principijs rerum Naturalium, imprimis materiâ & formâ, Naturam, concluſit, in illis principium esse motus & quietis, & omnis transmutationis.

LIV.

Inde sic argumentatur initio tertij Phys. Quandoquidem propositum nobis est in his libris agere de Natura: Ea verò definita est principium motus &c. necessarium est de motu deinceps agere, quippe, quo ignorato, necesse est naturam quoq; ignorari. Iuvant nos Interpretes.

LV.

Ita enim disertè Philoponus : Συλλογίζεται ὁ Φιλόσοφος, ὅτι ἀναγκαῖος τῷ φυσικῷ ὁ περὶ κινήσεως λόγος, τοῦτον τὸν τρόπον ἐπειδὴ φησιν αὐτὸς εἰρῆσθαι τὴν φύσιν ἀρχὴν εἶναι κινήσεως, ἀναγκαῖον τοίνυν τὸν μέλλοντα εἰδέναι τί ἐστὶ φύσις καὶ τὸν ὁρισμὸν ταύτης, πρῶτον εἰδέναι, τί ἐστὶν ἡ κίνησις : δεῖ γὰρ δῆλα εἶναι τὰ πρὸς ὁρισμόν τινα ἀναλαμβανόμενα. ὁ γὰρ

ἀ γὰρ ἀγνοῶν, πῶς ἐστὶ κίνησις, οὐδὲ τὸν ὁρισμὸν τῆς Φύσεως εἴσεται. Quæ ſic latinè efferri poſſunt : Diſputat Philoſophus, tractationem de motu Phyſico neceſſariam eſſe hoc modo : Quandoquidem ſuperiori libro definivimus : Naturam principiũ eſſe motus, neceſſe eſt omninò, volentem ſcire, quid ſit natura ? & plenè intelligere definitionem ejus (Nota benè) à nobis conſtitutam, multo prius (expende & hæc verba πολλῷ πρότερον) noſſe, quid ſit motus : Oportet enim nota eſſe ea, quæ in definitione aſſumuntur : cum qui motum ignoret, neq; Naturæ definitionem noſſe poſſit.

LVI.

Viden' ut Naturæ definitio tantùm poſita fuit, nondum expoſita aut declarata ? Audin' ut dicat, neq; eſſentiam Naturæ, neq; definitionem, ignorate motũ poſſe cognoſci ? adeoq; motum multo prius cognoſci debere ? Deniq; ſatin' clarè ? definitionem Naturæ non intelligi, niſi explicatis, quæ in eo aſſumantur : Quid tu igitur dicis : Naturæ tractationem præceſſiſſe jam tractationem de motu ?

LVII.

Placet & ſimplicium audire : ſuperiore, inquit, libro cum de cauſſis diſſeruiſſet, & dixiſſet : naturam eſſe cauſam effectricem, definiſſetq; motus principium, meritò deinceps de motu docet : oportet enim eum, qui cogniturus ſit, quid ſit natura, etiam motum cognoſcere : cumq; cognitio eorum, quæ ſunt ad aliquid, ſimul ſit ; principium autem, & id cujus eſt principium, ſint ad aliquid, natura porrò ſit principium motus fieri nequit, ut, qui motum ignoret, naturam calleat. Vbi expende vocabulum : cogniturus eſt : nondum igitur cognita fuit natura, ante tractationem de motu.

LVIII.

Agnovit hoc & Averroës : Principium primum Materiale, inquit, potuit declarare, antequam perſcrutaretur de motu, & accidentibus motus : principium autem, quod eſt primus motor, non potuit perſcrutari, niſi poſt tractationem de motu. Cui ſubjungo acutiſſimum Bonamicum : Principiá, inquit, cum ſint ignota naturá, per motum & quietem evolvi debent.

LIX.

Venio ad locum quartum, deſumptum ex 1. Ethic. c. 2. in quo loco adducendo planè nugas egiſſe videmur adverſarijs, ut ex theſi 26. quadamtenus videre eſt, quæ ordine reſumemus : Dicunt igitur primùm, locum illum malè ad ordinem trahi, cum loquatur de via, id quod arguat vocabulum ὁδὸς, Reſpondeo. Primò De ordine Philoſophum ibi agere, conſtat ex ipſa tractatione, & tractationis concluſione. Ex tractatione : quia cum initio conſtituit Mora-

 lem

lem disciplinam esse ordine Analytico tradendam, finemq; proposuit, subjunxit deinde de methodo quadam: Demum movet dubitationem de ordine: rectè ne faciat, quod in Morali disciplinâ tradenda, incepcrit à fine ultimo agendorum, & non à primis principijs ire voluerit ad ultimum finem. Ex tractationis autem conclusione, quia statim pòst fatetur se digressum esse aliquantum à proposito, hoc est, tractatione de fine, ad eamq; revertitur. ἡμεῖς δὲ λέγωμεν (inquit initio cap. 3.) ὅθεν τὰρεξέβημεν.

LX.

Ad vocabulum ὁδὸς quod attinet, ridiculum est quod movent: scimus verò τῆς ὁδὸς vocem, communem esse tam Ordini quam methodo, quod & usus Græcæ linguæ evincit, & res ipsa testatur. Si enim, quid methodus significet, expendamus, non minus ordinem significare potest, quam viam: Et ordo enim & via progressus est quidam ab uno ad aliud. Distinctio vocabulorum ad eritandam demum ambiguitatem inventa fuit.

LXI.

Veram & vocabulum λόγος expendunt: λόγοι inquiunt significant rationes. Ordo autem non est ratio sed methodus propriè sic dicta. Fallunturrursum & fallunt: falsò enim negant ordinem esse rationem cum Aristoteles expresè dicat 8. Phys. t. 15. τάξις δὲ πᾶσα λόγος. Omnis ordo ratio est. Deinde falluntur, quod putant λόγος vocem semper significare discursum & rationem: cum pueris etiam notum sit: sapè λόγον præcipuè apud nostrum Philosophum, Orationem sive tractationem significare, quo significato, etiam allato à nobis loco, usurpatur. Vnde & Latinus interpres per disputationes reddidit. Addunt & alia, sed quæ in hæc ipsa recidant, de quibus fortè inter disputandum.

LXII.

Restant argumenta theseos 23. & 24. ad quæ, quid afferant, diximus thesi 27. & 28. Vtuntur videlicet retorsione: eandem incertitudinem fore, si spectandus sit cognoscendi facilius modus, cum nota nobis duplicia sint, alia confusè nota, alia distinctè. Ad eam respondeo: à neutris incipiendum dicimus, sed ab illis, quæ facilius cognosci possunt, aut sine quibus alia cognoscere non possumus: quæ de Physica & Metaphysica ordinanda addunt, dico præter rem hic allegari: non enim hoc loco agimus de Ordine scientiarum inter se, sed de Ordine partium unius scientiæ, ubi una est ratio ordinandi, nimirum unde facilius ducamur in aliorum cognitionem.

LXIII.

Ad id quod thesi 28. regerunt, duplicem Ordinem Naturæ esse, generationis & perfectionis: quando autem alterutro utendum sit, id nos docere ex circum-

cumſtantijs : quid dicam aliud, quam quod nolentes, & inviti in noſtram ſententiam deſcendunt ab ipſa veritate coacti? quæ enim circumſtantia, aut occaſio alia exiſtere poteſt, quæ ſuadeat hoc vel illo ordine naturam in docendo imitari, quam facilior cognitio noſtra.

LXIV.

Concludimus igitur Ordinem Doctrinæ inde ſumendum, unde facilius fiat διδαξις, quam ſententiam pluribus locis Ariſtotelis munire poſſemus, ſi neceſſe eſſet : ſufficiat nobis πρᾶξις Ariſtotelis in Categorijs, in ſecundo de Anima in 1. d. Hiſt. Animal. c. 6. 5. Hiſtoriæ Animal. c. 1.

LXV.

Falluntur autem, qui oppoſitum in Ariſtotele gloriantur ſe obſervaſſe : quos neq; loci aliqui Ariſtotelici juvant, quibus ordiendum quandoq; monet à primis ſecundum Naturam, Ita enim ab ipſo edocti ſumus : ubicunq; Ordo cognitionis noſtræ facilioris, non coincidit cum ordine naturæ rerum, poſthabito hoc, tenendum illum, quod eſt ſignum infallibile. Ordinem Doctrinæ à noſtra faciliori cognitione menſurari. Fallit etiam ſæpè Homonymia ſive ambiguitas φράσεως : non enim ſemper idem ſignificant Prima, aut nota ſecundum Naturam, ut ſuperiore diſputatione de Notioribus & Prioribus declaravimus.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

QUamquam multas difficultates patiatur, adſerimus tamen cum Ariſtotele, neq; ſimile in ſimile, neq; idem in idem agere poſſe.

II.

Quod Ariſtoteles *8. Phyſic. t. 23.* ſtatuit: guttas non paullatim excavare lapidem, ſed ſubitò ſimul & ſemel, id & ſenſui, & rationi adverſari videtur : neq; juvat quicquam Thomas cum ait : priores guttas diſponere & præparare lapidem, ultimam excavere.

III.

Datur ſervitus quædam naturalis.

IV.

Eques in bello præſtat pedite) (non præſtat.

Fœmi-

Digitized by Google

V.

Fœminæ Imperium in Viros, Naturæ adversari videtur.

VI.

Custodia etiam optimo principi est permittenda.

VII.

Leges accommodandæ sunt Rebuspp. non contrà,

VIII.

Die festo, an liceat iter suscipere? quærunt & disputant Canonistæ. Negant, quorum sententiam tueri conabimur. Neq; enim Iudæis licitum ex lege, & apud Gentiles quoq; in vitio habuêre &c.

DISPUTATIO XLV.

MICHAELIS PICCARTI.

QVÆSTIONES LOGICÆ CONTROVERSÆ.

Respondit

Georgius Müller/ Hessus.

Mens. Septembr. cIↃ IↃ c XIX.

THESIS I.

SI ὁ νοῦς hoc est mens, sive intelligentia, est habitus περὶ τὴν διάνοιαν, ut loquitur Philosophus noster extremo 2. posteriorum, quare νοητικὴ γνῶσις excipitur ab universali propositione 1. post. c. 1. Vbi dicitur: πᾶσα μάθησις, καὶ πᾶσα διδασκαλία διανοητικὴ ἐκ προυπαρχούσης γνώσεως γίνεται.

II.

Quod ibidem dicit philosophus: principiorum habitum, hoc est mentem inductione perfici, scientiam verò demonstratione: an non absurdum est. Quid enim? perfectissimus ergo habitus (talem enim ibi principiorum habitum & intelligentiam esse ait) ignobiliori operâ acquiretur, quàm scientia? inductio sanè ignobilior demonstratione.

Quid?

Digitized by Google

III.

Quid? an non ibidem sibi contradicit? cùm dicit: οὐδὲν εἶναι ἀπλούστερον ἀκριβέστερον ἄλλο γένος ἢ νοῦν: in Metaphys. lib. 1. c. 2. *tamen sapientiæ laudem illam adscribit, &* Ethic. 6. c. 7. *Vbi sapientiam vocat* ἀκροτάτην καὶ κεφαλὴν ἐχόντων.

IV.

Quomodo ibidem dicit: sensum esse τῶν καθόλου *cùm* 1. *poster. dicat, sensui vicina esse singularia, remota ab eodem* τὰ καθόλου *sive universalia.*

V.

Si differentia est potissima definitionis pars 7. Metaphys. *textu* 43. *Quare definitio non potius respondetur ad quæstionem qualis sit res, ad quam alioqui per differentiam respondetur, sed ad quæstionem quid est?*

VI.

Quare etiam 6. *Topico tribuit generi, quod dederat differentiæ: Ita enim* 6. Top. c. 1. μάλιστα γὰρ τῶν ἐν τῷ ὁρισμῷ τὸ γένος δοκεῖ τὴν τοῦ ὁρισμένου οὐσίαν σημαίνειν: *Eorum, quæ in definitione ponuntur, maximè genus videtur Essentiam rei aperire.*

VII.

Eod. 6. Top. c. 3. *dicit Aristoteles* τοῦ μὲν γὰρ εἴδους γνωριζομένου, ἀναγκαῖον καὶ τὸ γένος, καὶ τὴν διαφορὰν γνωρίζεσθαι: *Cognita specie, necesse est & genus & differentiam cognosci, non autem contra. At sæpè speciem scimus, de genere quærimus V. g. sal quid sit novimus,, quod sit ejus genus, quærimus.*

VIII.

Si genus potest distinctè cognosci sine speciebus, quomodo dicit Aristoteles: Facilius esse speciem definire quàm genus? 11. post. c. 15.

IX.

Si genera sunt naturâ priora & notiora speciebus: 6. Top. *quomodo potest stare illud Aristotelis* 1. de Anima c. 1. τὸ δὲ ζῶον τὸ καθόλου ἤτοι οὐδέν ἐστιν, ἢ ὕστερον: *Animal universale aut nihil est, aut posterius singularibus?*

X.

Quomodo item illud 7. Metaph. t. 34. τὸ γένος ἁπλῶς μὴ ἐστὶ καθόλου τι, ὡς γένους εἴδη, ἢ εἰ ἐστὶ μόνον, ὡς ὕλη δ' ἐστίν: *Genus simpliciter nihil est præter ea, quæ ut generis species, aut, si est, solùm tanquam materia est?*

XI.

Quomodo Aristoteles dicit in fine τῶν πρός τι: *Rem esse, esse causam veritatis in oratione? non enim potest esse efficiens, quia id competit menti, sive intellectui componenti ac dividenti, non sibi: existit enim res jam actu, ante-*

quam oratio de ea fiat, non ex oratione demum oritur; neq; etiam res aut forma, aut materia orationis dici potest.

XII.

Quod si extrema, & medium demonstrationis, debent esse in eodem genere, ut loquitur philosophus 1. post. c. 7. subjectum quia substantiale est, affectio quoq; substantiæ genere continebitur. Cur igitur Aristoteles tantes dicit: demonstrationem esse accidentium, substantiarum autem definitionem?

XIII.

Si manus habere de homine demonstratur per medium: quia sit animal prudentissimum 4. de part. Anial. c. 10. Quomodo non est etiam substantiæ demonstratio?

XIV.

Docuit philosophus definitionem esse triplicem: aliam, orationem ejus, quod quid est, indemonstrabilem; alteram, syllogismum ipsius quid est, πώσει sive casu differentem à demonstratione; tertiam quæ sit demonstrationis conclusio cap. 10. 2. post. Quænam illæ tres definitiones?

XV.

Remigius Melioratus, secutus Græcos & alios plerosq; interpretes, primum genus definitionis censuit, causalem definitionem ἢ παθητικὴ, tertium definitionem essentialem ἢ παθητικὴ, medium verò genus, esse copulationem definitionum primi & tertij generis.

XVI.

Exemplò res illustrior fiet: Essentialis definitio Ecclipseos est: privatio sive defectus luminis in luna. Causalis, interpositio terræ, hæ duæ, si conjungantur, fit Eclipseos definitio perfectissima: Eclipsis est defectus luminis lunaris propter interpositam terram.

XVII.

Causalis definitio est principium demonstrationis, quia medium: Essentialis, conclusio, id quod apparet ex demonstratione, quæ est talis:

Majus corpus eripit minori lumen mutuatitium, si eò interjiciatur.

Terra, tanquam majus corpus, lunæ mutuatitio lumini interdum interjicitur.

E. necesse est, lunam tunc, quando id fit, deficere.

XVIII.

Copulatæ duæ definitiones perfectissimè describunt παθητικὴ, adeoq; illa definitio πώσει tantum differt à demonstratione, hoc est, ut illi interpretantur, solo vocum ordine, definiens enim, priore loco ponit essentialem definitionem, posteà sub-

ſtica ſubjungit cauſalem. Qui demonſtrat, mutat ordinem, & à cauſali progreditur ad eſſentialem.

XIX.

Hæc illi: & plauſibiliter quidem; ſed non congruenter Philoſopho. Ariſtoteles enim eam definitionem, quam vocat principium demonſtrationis indemonſtrabile, perſpicuè tantum illis rebus attribuit, quæ non habent medium extra ſe:

XX.

Hoc eſt, quæ non habent cauſam ſuæ eſſentiæ à ſe diverſam, & proinde demonſtrari nequeunt, ut ex 9. & 10. c. 2. poſt. cuiq; planum eſſe poteſt.

XXI.

Præterea deſcribens definitionem illam, quam vocat ſyllogiſmum ipſius quid eſt, inquit: eſſe orationem demonſtrantem, quamobrem res ſit. Erit igitur illa cauſalis, non eſſentialis.

XXII.

Nobis igitur illa definitio, quæ eſt principium demonſtrationis indemonſtrabile, eſt definitio ſubjecti. Cùm enim propriæ affectiones ſubjecti, ab eſſentia ipſius fluant, cauſæ affectionum ab eadem petendæ erunt: & ſic definitio ſubjecti ſuppeditat principium demonſtrationis, quæ definitio, cùm ſubſtantialis ſubjecti ſit, indemonſtrabilis erit.

XXIII.

Definitio verò illa, quæ & t. 22. 1. poſt. & 2. poſt. c. 10. dicitur concluſio demonſtrationis, nobis illa eſt, quam Grati & Remigius vocant eſſentialem, hoc eſt, quæ genus & differentias adhibet.

XXIV.

Illa deniq;, quæ dicitur ſyllogiſmus ipſius quid eſt, τῷ ὅτι differens à demonſtratione, nobis eſt illa, quam ipſi cauſalem dicunt. Quæ dicitur τῷ ὅτι differre à demonſtratione, tum, quia illa definitio cauſalis non ſeorſim afferri ſolet, neq; enim dicimus: Eclipſin eſſe interpoſitionem terræ; ſed eſſe defectum luminis in luna, propter interpoſitam terram.

XXV.

Tum, quia multæ vocum mutationes interveniant; nam aut rectus in obliquum, aut obliqui in rectum, aut deniq; obliqui in obliquos convertuntur.)

XXVI.

Ex hac diſputatione naſcitur altera. Si enim omnis demonſtrationis principium eſt definitio: erit utriq; alterutrius extremi definitio: Utrius igitur? an minoris, hoc eſt, ſubjecti? an verò majoris, hoc eſt, prædicati ſive affectionis?

XXVII.

Respondent, utriusq; esse posse; sed diverso modo, essentialem videlicet subjecti, hoc est, minoris termini: Causalem autem prædicati. Mihi cum viris doctis sic videtur: esse definitionem causalem prædicati, subjecti verò prædicatum essentiale, aut, si omninò ita vis, partem essentialis definitionis subjecti.

XXVIII

Cùm etiam proprietates demonstrativæ debeant esse per se, in quo singulæ modo sint, variè disputatur: Nos majorem propositionem simpliciter statuimus esse in secundo modo, & quidem universè.

XXIX.

Minor ut plurimum est in primo modo per se: aliquando tamen in secundo; sed in demonstratione minus nobili.

XXX.

Conclusio semper est in secundo modo per se: prædicatur enim ibi proprium πάθος de suo subjecto, unde nobis dubium nullum est, majoris extremi locum, in demonstratione obtinere debere ipsum πάθος, non autem ejus genus. Atq; hæc hactenus.

Ἐπίμετρα.

I.

NOn malè stoici, sapientes omnes pares dixerunt.

II.

Si Stoicus sapientem suum exsuere vult omnes affectus, quomodo consentit sibi, posse eum ponere vitam, doloris vel animi, vel corporis causâ.

III.

Summa Inferioribus naturæ lege se communicant, non contra.

IV.

Fatum & necessitas, sano modo intellecta, quodammodo ferri possunt.

V.

Finis Rhetorices est persuadere, non bene dicere.

DISPU-

DISPUTATIO XLVI.

MICHAELIS PICCARTI

INSIGNIORVM, EX VTRAQUE PHILOSOPHIA, DESUMPTARUM QUÆSTIONUM DECAS.

Respondit

Elias Stauffer/ Austriacus,

Mens. Febr. cIↃ IↃ c XX.

I.

Utrum actiones præcedentes, & subsequentes habitum virtutis moralis, specie differant? A.

GRavis est inter Ethicarum rerum Scriptores controversia: *Sintne actiones præcurentes & sequentes habitum, unius & ejusdem speciei? Sunt, qui negativam firmiter tenent. Veruntamen nos in præsenti, salvo Doctorum judicio, affirmativam cum Piccolom propugnare haud veremur, armati his rationibus. 1. Quia differunt definitione essentiali: Id quod sic probo: Actus primi utriusq; generis actionum, discrepant definitione essentiali. E. & secundi, qui sunt actiones â primis emanantes. Ratio consequentiæ est sinceriorum Philosophorum, qui actus secundos dicunt de essentia primorum. Antecedens confirmatur ex 7. Phys. c. 3. ubi Philosophus dicit: virtutum ut sunt habitus, neq; generationem neque alterationem esse, sed aliis prius mutatis & alteratis, eas esse præstò. At hoc de actu primo, eoq; imperfecto, actionum, præcedentium habitum, dici nequit. Est enim is revera cum alteratione, tum quod magis magisq; perficitur, tum verò etiam quod appetitū mutat & alterat. Nec est quod quis hic nobis occinat, actiones istas differre tantum secundum magis & minus, adeoq; non specie. Præterquam enim, quod effatum istud Aristotelis cum grano salis accipiendum est: Nos insuper & hoc addimus: Actiones istas considerari vel materialiter, vel formaliter. Si materialiter, facilè concedi posse, eas specie convenire. Sin verò formaliter, nempè ut fluunt ex habitu, hoc est, ex certa quadam determinatione & certo modo, nequaquam. Facit pro nobis ipse Piccolom. qui 2. grad mor. c. 10. dicit: Actionem includere duo, unum ut materiam,*

riam, alterum ut formam: Et distributionem quidem pro jure, unicuique esse id, quod in actione justitiæ, obtineat locum materiei: Proxime autem jo. mari. modo, quo fiunt & præeliguntur. Quia igitur præcurrentes sunt absq; constantia, & cum interna pugna perturbationum: Sequentes verò cum constantia & moderatione perturbationum, ideò distinguntur proxima forma & specie. Denique si actiones anteced. & conseq. habitum, non sunt specie diversæ, sequetur continentem & temperantem specie quoque non differre. At hoc nemo facilè concesserit. Qua enim ratione Philosophus continentiam â specie temperantiæ excludere potuisset? E. nec illud. Ratio connexi: Quia actiones continentis, revera sunt actiones istæ, quæ habitum temperantis præcurrunt.

II.

An pecunia sit nervus belli? A.

APud Rerumpub. Gubernatores: Pecuniam esse nervos belli, perinde indubitatum Axioma est, ut apud Mathematicos: Totum esse majus sua parte. Vnde ingenio suo indulgere voluisse videtur scriptor Hetruscus, cum negare hoc ei visum. Rationem autem assertionis nostræ suppeditat Phormio Atheniensis; Qui cum in bello Dux â suis electus esset, rei nummariæ difficultate laborans, non prius in se munus hoc recipere voluit, quam amplam ex ærario pecuniam accepisset, quod diceret: se â nummis minùs benè instructum, nec auctoritatis satis apud suos milites, nec ad cogitandum de belli administratione mentis habiturum. Iam verò quæ sunt, quæ bonum Imperatorem perficiunt nisi hæc? Scientia rei militaris, Prudentia insignis, qua sit, ut loquitur de Themistocle Thucydides, τοῦ βίου εὐτυχεδιάζειν τὰ δέοντα. Auctoritas & salutis. Quod si igitur penuria pecuniæ, & prudentiæ Ducis offert & auctoritati, quis ejusdem copiam nervum rerum gerendarum esse, negaverit? Non alia mens Cæsari, de quo DIO: Cæsar potentiam duabus rebus: pecunia & militibus parari, conservariq; augeri dicebat, eaq; sese mutuo consequi: Exercitum commeatu retineri, & commeatum armis comparari: nec (addit Historicus) dicebat solum ita, sed & sentiebat. Alteram rationem Asdrubal apud Livium nobis suggerit: Qui, priusquam castra movet adversus Italiam, pecuniam imperat populis omnibus suæ ditionis: Satis gnarus, Annibalem transitus quosdam pretio mercatum: Nec auxilia Gallica aliter, quam conducta habuisse, inopem tantum iter ingressum, vix penetraturum ad Alpes fuisse. Duplici argumento hinc firmo assertionem: Vno: multa loca adiri non posse, nisi pretio & pecunia aditus emantur: Confirmat Philippi Macedonis Apophtegma, dicentis: locum nullum sibi inaccessum, quo asinus auro onustus pervenire posset. Altero: Auxilia non nisi pecunia conduci posse: Adde nec militem satis fidum aut tranquillum sine nummis. Et maximos

nios sæpè Duces, in summis rei gerendæ occasionibus, ob inopiam rei nummariæ à militibus destitutos. Nec illud alienum ab instituto nostro est, quod summi Duces, animadversa rei nummeratiæ necessitate, cum alia ratio ejus expediendæ non esset, confugerunt ad imaginariam pecuniam. Qua de re vide Tholos. de Repub. lib. 3. c. 6. Facell. l. 8. Decad. post. Rerum sicularum. Petro. Iustin, l. 2. Histor, Ven. p. 21. P. Iov. lib. 3. Hist. p. 208. Paul. Æmil. p. 144. l. N.

III.

An vir Nobilis aut Honestus, possit esse Speculator in bello?

QVid ni? Et docent exempla in Sacris Numera, cap. 13. ubi Deus ipse jubet exploratores mitti in terram Canaam. 1. Samuel. 14. Filius Saulis, Ionathas, exit speculatum castra Philistinorum. Quid quod exploratores singulariter conservantur à DEO Iosue c. 2. Accedat & ratio: Scrutari enim & speculari res hostium inter virtutes Imperatorias recensetur. Sanè Chabrias Athenienſium Dux dicere solebat: eum optimè Ducis munere posse fungi, qui res hostium maximè cognitas habeat, & laudatur Dux Homericus, quod fuerit consiliorum hostium κλέπτης & fur quidam, Polybius etiam errare eum & cæca mentis caligine laborare ait, si quis inter imperatorias virtutes, ullam potiorem ducat curâ explorandi negotium, ingenium, ac naturam Ducis adversæ partis. Cum igitur multum in hac re situm sit, oportet speculatum emmittantur viri honesti probæq; fidei, qui certa & perspecta referant, nõ mendacia, quibus Dux circumscribatur, & in magna pericula conjiciatur. Sanè apud Livium reprehenditur Dux quidã, quod exploratoribus incautius credidisset. Rectè igitur apud Amm. Marcellinum Constantius qui Arbationem & Agilonem, viros in exercitu Principes, aliosq; Equestris militiæ ministros speculaturos misit, quoniam Rex Persarum erupturus esset violentus. Nec obstat l. omne ff. de re Milit. Qua exploratores, sive hi speculatores, sive proditores dicuntur, & capitis pœna affici jubentur. Non enim verè proditores sunt, si Alciatum audias: Proditor quippe verè est is, qui non ostendit quid facere velit, & clam facit contrarium ejus quod debet. At illi in hoc exeunt, ut speculentur, & id calidè serioq; faciunt. Quod si deprehensi gravius puniuntur, ratio est ex periculo, quod ab ipsis, inquit magnus IC Albericus Gentilis. Sunt namq; hostes occulti & in visceribus: & qui sæpè possint uno aliquo detecto hostium consilio, plus mali istis adferre, quam multæ facerent peditum caterva, equitumq; cohortes: Quid igitur miri, si magnum periculum arceatur, proposito magno istud procurantibus malo. Vide l. 5. C. ad L. Iul Majest. Neq; omnes adeo in exploratores sævierunt. Generosiores potius Duces, quique vel virtuti suæ, vel causæ considerent, animadvertentes Bellicæ id esse disciplinæ huma-

humaniter eos habuere & illæsos dimisere. Scipio sanè, apud Appianum, exploratores, ab Hannibale, in castra sua missos nequaquam interfecit: Sed jussos circumire, ut armamentaria, machinasq;, & decurrentem exercitum aspicerent, dimisit incolumes, ut Hannibalem de singulis edocerent. Idq; fecit ex rei militaris præceptis. vid. Onosandri strategicum Leon Constit. 17. §. 112 Concludo. Nobiles & Honestos Viros, rectè officio exploratoris fungi, si amore Patriæ, non pretio conducti id faciant. Et certum est, ipsos Reges, & summos Principes ipsos exploratorum officio functos vide Bonfin. de Matthia Vngariæ Rege l. 3. Dec. 4. Fulgos. lib. 9. c. 8. De Salodino Ægypti Soldano.

IV.

An Legatus Hostis ad alium, contra quem missus, ab hoc intercipi possit? A.

Acerrimè olim disputatum fuit inter Carolum 5. & Franciscum 1. Gallum, cum Fregosius & Rinco Legati Gallici, quod occultè per Italiam ad Turcam contenderent, capti & occisi fuissent. Qua de re videri possunt Bodinus & Bellajus, Sleidanus: Sed nos Ius Legatorum securitatem nullam præstare putamus, nisi apud eos, ad quos missi sunt, & contra quos non missi. Id primum suadet natura τῶν πρός τι. Legatus enim ejus respectu dicitur Legatus, ad quem mittitur. Accedit deinde, quod Legati olim & propriè pacis internuncij & procuratores: At hi tales, qui contra nos mittuntur, non pacem procurant, sed hostilia: Itaq; hostilia molientes, si hostilia patiuntur, non habent, quod justè doleant: Non magis quam miles quispiam, qui parci sibi ab hostibus velit, quod ipse non pro se, sed pro Principe suo pugnet. III. ex Iure defensionis intercipere tales licet. Defensio enim concedit, ut conatus hostiles quovis modo avertamus. Neq; IV. dolosè agere is dicitur, qui alterius dolum prævenit l. 1. §. 3. ff. de dolo l. nullus 55. ff. de R. I. Quod verò de Legato dicimus: idem de Nuncio & Tabellario quoque hostilia moliente, dictum volumus: Itaq; negamus, justè violationis pacis publicæ accusatum Philippum Landgrasium, quod Stephanum Edmidt/Secretarium Heinrici Iunioris Brunsuicensis, interceptum detinuerit. Alia ratio fuit Tigurinorum apud Guicciardinum, illi enim arma in Gallos moverunt, ob tabellarium suum, privato quorundam militum consilio, interfectum: Vidit hoc jus Cominæus: Itaq; ait: ne nuncij vel Legati per terram hostilem transeuntes interciperentur, mendicos solitos mitti, qui perferenda perferrent,

V.

An Reges, qui durante Imperio, mente similivè vitio capiuntur, reges esse desinant? N.

Vtr Gentium sanè id constat. Et exemplis doceri potest: In sacris enim Ozia

rege cle-

rege elephantiasi laborante non regnum, sed regni administrationem cepit filius Ionathanus: In Gallijs, cum Clodovæus II. in morbum amnii incidisset: Et post eum, Carolus VI. magno incendij metu perculsus, furiosus evasisset: Regiam nihilominus dignitatem retinuerunt. Sed & idem diserte comprobat lib. 20. de stat. hom. Qui, inquit, furere cepit, & statum, & dignitatem, in qua fuit, & magistratum, & potestatem videtur retinere, sicut rei suæ dominium retinet. Ita Iudex quoq; aut alius Magistratus, qui furere cepit, licet novè judex creari non possit l. cum prator. 12. §. 2. de jud. l. 1. §. 5. de postulando, veterem tamen retinet auctoritatem ex l. Iudex 46. ff. de judic. Ratio differentiæ inter acquisitionem & retentionem in eo consistit; quia ibi animus requiritur, qui hic abesse potest arg. l. 17. §. 1. ff. de acquir. possess.

VI.

An præter Astrologiam, reliquæ quoquè disciplinæ Mathematicæ, in Philosophiæ partibus propriè numerari debeant? N.

Veritas negativæ hujus haud obscurè colligitur ex 12. Metaph. T. 5. & 29. ubi ita Philosophus: Cum enim tres sint substantiæ: duæ sensibiles & mobiles, altera intelligibilis & immobilis; sensibilium autem una generabilis & corruptibilis, altera æterna: De generabili quidem & corruptibili naturalis est scientia; de æterna autem & sensibili Astrologia inter Mathematicos, de immobili autem Theologia. Hinc ita argumentamur: Si tot sunt Philosophiæ partes, quot sunt substantiæ, sequitur Mathematicas, excepta sola Astrologia, inter Philosophiæ partes reponendas non esse. At verum prius ex 6. Metaph. 2. 2. Phys. T. 71. E. Ratio connexi probatur ex loco modò adducto ex 12. Metaph. eamquè non parum corroborant alij duo similes 7. Metaph. T. 8. & 12. Metaph. T. 44. quibus locis cæteras scientias Mathematicas, expressè Aristoteles negat agere de substantia. Huc quoque respexisse videtur 4. Metaph. T. 4. quando Philosophum vocat similem Mathematico, quasi Mathematicus non sit Philosophus; ideoq; nec scientissimus, excepto Astrologo, qui circa substantiã occupatus sit. Et hoc ipsum fortè est, quod veteres Philosophi putarunt: Mathematicas artes nõ esse dignas nomine Philosophiæ, sed esse tantũ παρασκευὰς, id est, apparatus, & Philosophiæ præsidia quædam. Quanquam verò interim non negamus, propter analogiam eas esse & dici quodammodo posse particulas quasdam Philosophiæ: Veruntamen non ut per se sumuntur, sed quatenus sunt annexæ Astrologiæ, seu, ut sunt illius substantiæ, quã tractat Astrologus, veluti germina & partes quædã. Insunt enim primò in ejus ratione. Quamobrẽ etiam Aristoteles 12. Met. T. 44. Astrologiã peculiarissimam

mam è Mathematicis Philosophiam dixit, quasi & reliquæ aliquo modo Philosophiæ nomine sint censendæ.

VII.

An materia cœli diversa sit à materia inferiorum.

Communis penè omnium Philosophorum est sententia: sublunarium & cœlestium materiam esse diversam. Zabarell. de natura cœli, putat: materiam cœlestem esse ens actu, per se subsistens, non per formam: redolere autẽ conditiones, tum formæ, tum materiæ. Formæ, quia est actu: Materiæ, quia corporea & sensibilis. Cæsalpinus verò, actum quidem ponit eundem, materiæ cœlestium & sublunarium; potentiam autem quæ sit ratio materiæ, diversam. Quanquam autem nos inviti ferè à tot tantisq; Philosophis dissentiamus. Nihilominus tamen veritatis rationem habentes, non tantum eandem quoad actum corporis: Verum etiam eandem quo ad potentiam pronunciamus. Argumenta sunt. 1. Corporis, ut corpus est, unicus est actus, una ratio 1. cœl. T. 2. & potentia, quæ de illo dicitur, nihil ei addit; Non enim inhæret ei ut subjecto, nec res est alia, quam ille ipse actus: quemadmodum nec actus, qui de forma dicitur, quicquam formæ addit. Quod si enim re differret ab illo actu, esset utiq; realis aliqua qualitas, realis compositio in materia. At ita simplex & informis non esset, nec verè dixisset Aristoteles neque quid, neq; quantum esse &c. 2. & illud assumimus: Quemadmodum universum, apud Aristotelem in lib. de cœl. significat cœlum & mundum inferiorem: Ita etiam corpus universum, quod ingenitum & incorruptum esse ait 3. cœl. c. 2. T. 29. Significare materiam cœlestium, non minus quam inferiorum. Materiam enim inferiorum esse corpus, nunc supponimus, quo de aliàs? Cœli autem materiam esse corpoream omnes ultrò dant: Hinc enim dicuntur corpora cœlestia. Iam ita argumentamur. Si corpus universum, quà corpus, non habet nisi unicum & simplicem actum ex se. E. etiam quà est materia, non habebit nisi unicam potentiam ex se, id est, unio & ejusdẽ generis. At verum prius. E. & posterius. Ratio consequentiæ patet ex dictis. Potentia enim, quæ est ratio materiæ, id est, propter quam corpo dicitur materia (nam propter actum dicitur potius corpus & subjectum) non est aliquid re distinctum ab ipso actu. Si hoc: E. materia cœli ex se habebit eundem actum, eandem potentiam, adeoq; in nullâ re differet à materia inferiorum. Deniq; sine necessitate urgente, Entia non sunt multiplicanda, & quæritur frustra alia materia, si una sufficit. Atqui sufficit hæc. E. sufficit enim ad æternitatem, quia corpus ingenitum, est etiam incorruptum, sufficit etiam ad motum localem, quia habet potentiam ad omnia.

An Ge-

VIII.

An Generatio Substantiarum fiat in tempore? A.

PRimum assertionis nostræ fundamentum petimus ex 6. Phys. T. 55. Vbi Philosophus apertissimè demonstrat: omnem mutationem in tempore esse, eandemque demonstrationem postea T. 59 generationi & corruptioni peculiariter accommodat. Si mutetur aliquid, inquit, ex A. in B. ut ex non Ente in Ens, aut ex non homine in hominem: Quando mutatum est, non esse amplius in A. sed in B. Est enim homo & ens id, quod mutatū est: Si igitur in instanti hæc mutatio est, ut nullum cadat tempus medium; aut simul erit & in A. & in B. id est, in eodem instanti erit & non erit: Aut contigua erunt instantia, quod universaliter de omnibus indivisibilibus impossibile ostenditur 6. Phys. T. 2. Ex his porrò infert: omne quod mutatum est, mutari prius: & quod mutatur, ejus aliquid prius mutatum esse: Idque dicit non tantum procedere in mutatione, quæ fit super magnitudinem continuam, sed etiam in nō continuis, ut in contrariis & contradictione, ut in generatione & corruptione. Deinde id, quod gignitur, vel est solum in termino á quo, vel ad quem, vel partim in termino á quo, partim ad quem. Non primum: Quia illud non est generari, sed semper quiescere. Non secundum: Hoc enim est genitum esse. E. partim in termino á quo, partim ad quem. Hoc autem est in tempore generari. Amplius, si motus est actus mobilis generatim sumpti, puta motus ad locum, actus mobilis ad locum &c. quid quæso impediet, quominus & quidem cum Aristotele dicamus, generationem esse actum generabilis quatenus generabile? Nec quicquam hic nobis obstat, quod Philosophus alias, & ex eo omnes ferè Philosophorum scholæ docent: generationem simplicem esse inter terminos contradictorios, adeoq; nullum habere inter, sive medium aliquod. Ad hoc enim cum acutissimo Cæsalpino dicimus: omnem generationem esse alterationem quandam, & differre non re sed ratione. Quatenus enim termini mutationis sunt positivi, & subjectum accipitur actu, dicitur alteratio: Quatenus autem alter terminus negativè effertur, & subjectum sub negatione & potestate concipitur, quemadmodum ex semine, tanquam ex non planta fit planta, & nullum hic subjectum spectatur, quod sub utroque termino suum proprium, eundemq; actum retineat, dicitur generatio. Quatenus igitur generatio est, est inter contradictorios: Quatenus verò alteratio, inter contrarios. Hinc dicit Philosophus 1. cœl. T. 20. omne quod generatur, generari ex contrario, & subjecto quodam actu, inquè contrariis omnem esse generationem & corruptionem.

IX.

An differentiæ ſubſtantiarum, ex alijs Categoriarum generibus rectè colligantur? A.

RAtiones, quæ pro affirmativa militant, hæ ſunt: 1. Si differentiæ quodcunq; genus dividentes ſunt contrariæ, nulla differentia erit ſubſtantia, & per conſequens continebuntur in alijs generibus. At verum prius. E Aſſumptum probatur ex 10. Metaph. T. 13. ubi Philoſophus inquit: Omnem perfectam differentiam eſſe contrarietatem. Ratio connexi eſt. Quia nulla ſubſtantia contraria eſt alteri ſubſtantiæ. 1. Phyſ. T. 53 & 5 Phyſ. T. 10. Item in categoria ſubſtantiæ. 2. Genera prædicamentorum, diſtincta ſunt ſecundum modos & figuras prædicandi 6. Metaph. T. 4. Non igitur differentiæ ſubſtantiarum in genere ſubſtantiæ erunt. Ratio: Quia ſubſtantiæ prædicantur in quid: differentiæ in quale. Sumi autem differentias ex omni genere prædicamentorum, probatur ex 8. Metaph. T. 5. ubi Philoſophus Democritum reprehendit, & inſufficientiæ accuſat, quod differentias ſubſtantiarum tantum ex tribus quæſiviſſet generibus, ex figura ſcilicet, ſitu, & ordine, cum illæ tamen ex pluribus peti poſſint, & tot quidem, quot ſunt genera τῶν ὄντων. Manifeſtus quoque locus ſuppetit nobis in Categoria ſubſtantiæ, ubi, poſtquam Ariſtoteles primam ſubſtantiæ notam attulerat, quæ eſt: Subſtantias non eſſe in ſubjecto; ſtatim ſubjungit, notam eam non ſoli ſubſtantiæ competere, ſed & differentijs ſubſtantiarum, quaſi differentias earum non habeat pro ſubſtantijs.

X.

An concluſio ſit pars Syllogiſmi an vero effectus? D.

MVlta, à multis, in utramque partem adferuntur argumenta circa propoſitum problema: Sit ne concluſio effectus an vero pars ſyllogiſmi. Et primò quidem quod non ſit pars, inde tolligit Averroës cum alijs: Quia ſyllogiſmus debeat tribus terminis conſtare, & duabus propoſitionibus, ut docetur 1. prior. c. 24. & 25. 2. quod ſyllogiſmus nihil aliud ſit quam inſtrumentum cognoſcendi concluſionem. Inſtrumentum autem eſſe diſtinctum ab eo, cujus eſt inſtrumentum. Contra tamen eſt Philoponus in præfat. prior. & in explic. defin. ſyllog. ubi ait: concluſionem eſſe quidem aliud à præmiſſis, non autem à ſyllogiſmo, ſed eſſe formam ſyllogiſmi &c. Nos pro controverſiæ hujus deciſione dicimus: Syllogiſmum dupliciter conſiderari 1. ut eſt integra quædam operatio intellectus, diſcurrentis & colligentis unum ex altero: Seu, ut eſt deductio unius ex altero, partes habens antecedens & conſequens. 2. ut eſt tota illa inveſtigatio, via, & modus ad inquirendum aliquid ignotum, ſeu, ut eſt inſtrumentum cognoſcendi & intellectus ratiocí-

ratiocinantis & colligentis unum ex alio. Priori modo si accipiatur, conclusio est potissima pars syllogismi, & veluti formalis, ad quam referantur præmissæ, tanquam materia ad perfectionem suam, & formam ultimam. Sin autem considderetur secundo modo, ut est processus & instrumentum tantum, verissima est sententia prior. Processus enim ille tantum est in præmissis & dicit antecedens: Terminatur autem ad consequens, & illud respicit intrinsecus velut instrumentum suum usum & finem, ideo etiam in definitionem accipitur.

Πρίμο τεχν.

I.

RAptus Virginum Sabinarum apud Romanos, nec contra jus divinum nec gentium est.

II.

Apud Tiberium sollemne: plerosq; præsides ad finem vitæ in ijsdem jurisdictionibus habere: Idem tamen, cum Asinius Gallus in quinquennium Magistratuum comitia habenda censeret, aliud animo sensisse videtur: Ita enim tum: Superbire homines annua designatione: Quid si honorem per quinquennium agitent.

III.

Cum Gallis, apud Livium, Senatus Populusq; Romanus pactus fuit: Camillus absens, pactum irritum habuit & vi egit: An rectè? Si rectè, cur igitur caudina pactio rescissa, quam tot Magistratus pepigerant. An non pallium hic revoluitur? Nequaquam.

IV.

Rectè Apuleja, apud Tacitum, propter adulterium, majestatis postulata fuit. Rectè Augusti filia, & neptis, earumq; adulteri, & hi morte puniti: non tamen ex hac pœna rectè infertur, adulterium fuisse eo tempore capitale.

V.

Si A. Cornelius Cossus, secunda spolia opima, Jovi Feretrio retulit, Larte Tolumnio, Vejentium Rege cæso: quo modo Livius scribit: eum tum Tribunum militum fuisse; cur Valer. Max. Mag. Equit. Cum opima spolia fuerunt solum illa, quæ Dux Duci detraxerit.

§ (o) §

DISPUTATIO XLVII.

MICHAELIS PICCARTI

De

CRITERIIS SCIENTIARUM,

Respondit

Georgius Vollandus, Norib.

Mens. April. ɔIↃ IↃ c XX.

Galenus lib. 2. de difficul. Respirat. cap. 5.

SIcut nemo Olympia vincere potest, nisi prius multo tempore sit exercitatus: sic neq; in veritatis sermonibus clarus evadet, qui non didicerit etiam horum luctas. Quemadmodum ne cadere quidem decenti habitu sciunt, luctæ penitùs rudes, sed aliquando ad terram supini prostrati, & tenent, & strangulant, & non dimittunt victorem: eodem modo artis sermocinandi rudes, sæpe manifestè turpissimo casu lapsi, tantum abest ut verecundentur, ut etiam vicisse se existiment,

Præfa-

Præfatio

MAGNIFICO, NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO ORDINI, SCHOLARCHARUM INCLYTÆ ACADEMIÆ ALTORFINÆ,

DN. DOMINIS MEIS. S. P.

QUod *Silenus* olim apud *Euripidem in Cyclope*, *Vlyſſi* vinum venditurо,& urbanè interroganti, utrum prius, quid vini ferat, guſtare velit? appoſitè ſatis reſpondit ; δίκαιον· ἡ γὰρ γεῦσις τὴν ὠνὴν καλεῖ: *ita convenit, quia guſtus emptorem vocat* : id ego fortean non immeritò ad Academiam veſtram, Viri M. N. A. inpræſentiarum applicavero. Quamvis enim Hæc apud doctiores, & æquos rerum æſtimatores, nunquã ſuâ laude carere potuit; affirmare tamen auſim, nunquam ſat laudis concipi de illâ à quoquã poſſe, niſi præſens, ſenſuum judicio deprehenderit, acerrimam & indefeſſam incolarum ejus operam atq; ſtudium : dum certatim circa omnis generis exercitia, quâ publicè, quâ privatim occupati ſunt; non ſecus ac in expeditione bellicâ, alij in conficiendis gladijs, haſtis, clypeis, loricis, alijsq́, hujus generis armaturis occupantur, alij milites conquiſitos ad palũ exercent, alij vallos conſtipant, propugnacula firmant; deniq; in univerſum omnes nihil prætermittunt, quod ad Reipublicæ defenſionem utile videtur. Quod cum ita fiat, quis inter tot operi intentos, Murciæ ſolus litare velit, deſes deprehendi, & ob id culpari? Ego certè, quando altiora aggredi ingenij tenuitas prohibet, vel *diſputationem hanc de Criterijs ſcientiarum* pro viribus defendendam ſuſcepi : quo ipſo imitari apud me conſtitui *Diogenem Cynicum*, qui, cùm Corinthios, irruptionem Philippi Macedonis metuentes, circa bellicas expeditiones, eo, quo ſuprà di-

prâ dixi, modo, seriò & calidè occupatos vidèret, ipse quoq; ne nihil faceret, cincto circum se pallio, negotiosè admodum dolium sutum, in quo habitabat, sursum deorsum volutavit, eò quòd còmmodius nihil haberet quod faceret, nec etiam inter publicas omnium occupationes, solus laborem detrectare, & demissis manibus otiari vellet. Vobis autem, Viri M. N. Disputationem hanc ex antiquâ votorum formulâ dedicare, illâ me vobis sistere, & studia mea atq; operas (quod apud Persas laudabili more receptum olim erat) profiteri volo. Quod etsi sæpius perficere cogitârim, illa tamen hucusq; erat ingenij mei tenuitas, ut nihil quicquam sperare de me ipso potuerim, quod Vestrâ M. N. & A. dignum esset. Extemplò igitur hac de re consilium cepi, decrevíq; mutari quædam à Cl. Præceptore *Piccarto:* Quem virum, ut Ægyptiorum more sacre silentio venerandum semper existimavi: ita supervacaneum esse puto, hæc multis commendare, vobis inprimis, qui in orchestrâ sedetis sapientiæ. Accipite igitur disputationem hanc, observantiæ erga vos meæ *obsidem*, tantisper vestro vultu, id est, benigno, dum *legitimum* aliquando pro eo substituere possim. Interea, Viri M. N. A. ut institutum hoc meũ benignè interpretemini, meq; & studia mea commendata Vobis habeatis, eâ quâ par est, animi demissione peto atq; contendo. Valete, & bono Patriæ & Reipublicæ literariæ diutissimè vivite. Dabam Altorfi, Mensis Martij die 12. Anni M. DC. XX.

M. N. & A. Vestræ

humilimus cliens

Georgius Vollandus Norimbergensis, SS. Th. Studiosus.

DISPU-

DISPUTATIO PHILOSOPHICA De CRITERIIS SCIENTIARUM.

THESIS I.

Vm multa Philosophus noster in 1. Poster. Analyt. de Demonstrativo *syllogismo tradidisset, addidit ad extremum quædam etiam de syllogismo Apathetico, sive aberrante. Eâ occasione pervenit ad doctrinam* περὶ ἀγνοίας, *de Ignorantiâ: Omnis enim error ignorantiam arguit, sive veram, sive affectatam.*

II.

Eam Ignorantiam quoq; causſam facit syllogismi Apathetici, sed discrimine quodam ejusdem præmisso. ἄγνοια, *inquit, alia est* τῆ διάθεσιν, *alia* καθ' ὑπόφασιν. *Illa pravæ dispositionis nobis dicitur; hæc Ignorantia negationis, quam & simplicem appellare solemus.*

III.

Illa est, qua scimus aliquid de re aliquâ, sed Φαύλως *scimus, hoc est, malè de re illâ edocti sumus, aut ipsi, nostris cogitationibus nimium tribuentes, ultrò in errorem, adeoq; sine duce prolabimur. Altera, qua prorsus nihil de re aliquâ scimus, sed in altissimâ quadam ignorantiæ nocte hæremus.*

IV.

Priore Ignorantiâ hoc loco omissâ, ea tantum considerabimus, quæ de simplici Aristoteles tradit: Vbi primum notandum, quid propositum sit Philosopho, & cur peculiari capite eam resumat? Scopus illi videlicet est: Docere, quando quis excusari mereatur, si simplici ignorantiâ laboret, quando non.

V.

Id hoc modo exsequitur: a) Φανερὸν δὲ καὶ ὁ τι ἤτις αἴσθησις ἐκλείποι-πεν, ἀνάγκη καὶ ἐπιστήμην τινὰ ἐκλελοιπέναι, ἣν ἀδύνατον λαβεῖν, εἴπερ μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ, ἢ ἀποδείξει. *Manifestum autem, si quis sensus defecerit, necessarium esse & aliquam scientiam deficere, quam impossibile est adquirere, siquidem addiscimus vel inductione vel demonstratione.*

a) cap. 15. 1. Post.

VI.

Quorum verborum sensus hic est: Si, quidquid scitur, principium à sensibus ducit, necessarium est deficiente sensu aliquo, deficere etiam scientiam objecti illius sensus, utpote cujus scientiæ principio destituamur. At verum prius. Ergo & posterius.

VII.

Ratio connexi, à Philoſopho docetur in ſequentibus verbis, quorum ſenſus hic eſt : Si neq; ſingularia neq; univerſalia, ſine ſenſuum beneficio cognoſcuntur, certum eſt omnia ſenſu ad ſui cognitionem indigere. Quidquid enim novimus aut eſt ſingulare, aut eſt univerſale. At verum prius. Ergo & poſterius. De ſingularibus, quin ſenſu indigeant, nemo ambigit. De univerſalibus id docet, quod univerſalia inductione colliguntur. Inductio autem eſt b) ἐπαγωγὴ δὲ ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστα εἰς τὸ καθόλου.

b) 8. cap. 1. Top.

VIII.

Caterum hîc aliqua attendenda ſunt : non enim quivis defectus ſenſus impedit ſcientiam, ſed is, qui ortum hominis comitatur. Nam ſi quis tractu temporis, & adultus jam ſenſum aliquem amittat, is potuit, dum ſenſus illi integer erat, rerum ad illum ſenſum pertinentium notitiam adquiſiviſſe.

IX.

Arguit hoc vox ἀνάγκη, *neceſſarium eſt deficere ſcientiam ; & illud :* ἢν ἀδύνατον λαβεῖν, *quam impoſſibile eſt adquirere. Loquitur igitur de tali defectu, quo potentia etiam tollitur. Poſſumus enim carere ſcientiâ vel oblivione, vel quia nunquam quidquam diſcere voluimus : at propter hoc potentiâ non caremus adquirendi ſcientiæ, nec dici poteſt, quod neceſſariò in nobis deficiat ſcientia.*

X.

II. Illud tenendum : poſſe aliquem excuſari, ſi ſenſum quidem habeat, caterum nulla ei detur occaſio percipiendi objecti ſenſilis. Sic apud D. Paulum objicitur à Gentibus : a) Πῶς οὖν (*inquit*) ἐπικαλέσωνται, εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν ; πῶς δὲ πιστεύσωσιν, οὗ οὐκ ἤκουσαν ; πῶς δὲ ἀκούσωσι, χωρὶς κηρύσσοντος ; *Cui tamen objectioni ipſe poſtea reſpondet, non Majorem negando, ſed Minorem.*

a) Rom. 10. verſ 14.

XI.

Et Philoſophus noſter, b) *excuſat ignorationem verarum cauſſarum, in propoſitis quæſtionibus de motibus, & numero ſtellarum propter diſtantiam, & quòd ſenſibus percipi nequeant. Et alibi* c) *rationem adfert, cur de Cometis nihil neceſſarij doceri poſſit ; quoniam eorum, quæ occulta ſunt ſenſui, τὸν λόγον ſatis demonſtratum eſſe dicimus, ſi ea ad id, quod fieri poteſt, revocaverimus.*

b) 2. de cœlo c. 12. t. 61. c) 1. Meteorol. c. 7. initio. vid. & 1. de Part. Animal.

XII.

Porrò hæc diſputatio, quod à paucis animadverſum eſt, fundamentum eſt nobiliſſimæ Doctrinæ de Criterijs ſcientiarum : Revocanda videlicet theore-

remata

vinata tandem ad sensum, cui quæ repugnent, ea habenda esse pro inanibus & falsis. Inprimis autem obtinet hoc in Philosophiâ Naturali.

XIII.

Etsi enim generale est in omni contemplatione sensus officium, quia nihil est in phantasiâ, aut mente, quod fores sensuum non pepulerit, sive ex toto, ut in verâ phantasiâ, sive ex parte, ut in fictione chimeræ, sive proximè & per se, sive per aliud: tamen in Physiologiâ maximè sensus judicium dominatur: cum Philosophus naturalis in sensibilibus occupetur, a) quorum melior judex non est nisi sensus. b)

a) 3. de cœlo c. 7. t. 61. b) 4. Meteorol. c. 4. t. 29.

XIV.

Unde Philosophus noster, eorum, quæ sensu percipi possunt, ἀφέντας τὸν καθ' ὑπόθεσιν λόγον ζητεῖν, vocat ἀρρωστίαν τῆς διανοίας. b) Et alibi, ζητεῖν λόγον, ἂν βέλτιον ἔχομεν, ἢ λόγῳ δεῖσθαι, κακῶς κρίνειν esse dicit τὸ βέλτιον καὶ τὸ χεῖρον, καὶ τὸ πιστὸν, καὶ τὸ μὴ πιστὸν, καὶ ἀρχὴν καὶ μὴ ἀρχήν. c)

b) 8. Phys. t. 22. c) 8. Phys. t. 26.

XV.

Atquè hinc tot veterum reprehensiones: d) Quærere, An sit Natura, inquit in Physicis, ridiculum est, addit rationem: φανερὸν γὰρ ὅτι τοιαῦτα τῶν ὄντων ἐστὶ πολλά. τὸ δὲ δεικνύναι τὰ φανερὰ διὰ τῶν ἀφανῶν, ἐ δυναμένου κρίνειν ἐστὶ τοῦ δι' ἄντου καὶ μὴ δι' ἄντου γνώριμον. Συλλογίσαιτο γὰρ ἄντις ἂν γενητὸς ὢν τυφλὸς περὶ χρωμάτων; ὅτι ἀνάγκη τοῖς πιστοῖς περὶ τῶν ὀνομάτων εἶναι τὸν λόγον, μηδὲν δὲ νοεῖν.

d) 2. Phys. t. 6.

XVI.

Sic quærere An motus detur, aut negare omninò motum, & statuere universa quiescere, est itidem ἀρρωστία διανοίας, quod notatum Diogeni quoq;, qui cum de motu interrogaretur, nihil quidem respondit, sed surgens ambulavit, per ipsam evidentiam sensus, sophistæ exprobrans stuporem. Nec juvat tales, quod ratiunculas quasdam habent suæ stultitiæ. Ubi enim duæ sententiæ sunt repugnantes, sic ut altera alteram tollat, illa recipienda quæ firmior, quæ sensibus adprobatur, & citius quàm altera admittitur.

XVII.

Exemplo sint nobis duo ex antiquioribus Philosophis nobiliores: Parmenides & Xenophanes. Parmenides motum sine vacuo fieri non posse statuebat, unde ex eo, quia vacuum non esset, tollebat etiam motum. At verò, si hæc rectè inter se contulisset, & ad sensus examen consugisset, deprehendisset sanè

potius vacuum esse dandum, quam motum negandum. Xenophanes autem sic ratiocinabatur: Ex nihilo nihil fit. Ens ergo infinitum & aternum: non igitur motus. At qui sapiat, potius dabit, ex nihilo aliquid fieri, ut multi dedére, & fides nostra pro certo habet, quam reijciat motum. Proinde sic concludendum fuerat: Motus est, ergo ex nihilo aliquid fit, adeoq; fide nitendum, quam præstat sensus. a)

a) Arist. l. de Placit. Philos. c. 1.

XVIII.

Sensus igitur est primum illud, ad quod adscendendum est, quodq; in alia notiora dissolvi nequit, unde fides in aliorum confirmationem ducatur; aliter vel ex infinitate principiorum, universum scire nostrum everteretur, aut exordiremur ab ignoto, ut eleganter Galenus b) *& ita doctum fuerat à Philosopho nostro:* c) *qui ἀναποδειξίαν vocat, nescire quorum oporteat Demonstrationem quærere, quorum non: etenim omninò impossibile esse omnium esse Demonstrationem. Si autem aliquorum non oportet quærere demonstrationem, illa principiorum vim habere putandum.*

b) ad Hieronem, & 2. de Medicam. simplic. Facult. c. 2. c) 4. Metaph. c. 4. t. 9.

XIX.

Non ignoravit hoc docti, furor arduus, Lucretl: a) *ita enim canit:*

Corpus enim per se communis delicat esse,
Sensus: quo nisi prima fides fundata valebit,
Haud erit, occultis de rebus quo referentes
Confirmare animi quidquam ratione queamus.

Vidit & Anaxagoras cum inquit: οἱ μαχόμενοι ὑπὲρ τῶν φαινομένων τοῖς λόγοις μᾶλλον δέοντες ἢ τοῖς πίστεσιν: (quamquam ipse non observavit, cum nivem atram esse disputaret) & mysticè extulit idem Pythagoras cum dicebat: non esse mingendum contra solem.

a) lib. 1.

XX.

Inprimis verò diximus: hunc sensum normam esse in Physicis, id quod adeò verum esse censemus, ut, si ratio quippiam monstret, sensus verò aliud: sensui magis sit fides, quam rationi, habenda: solumq; illi rationi credendum, si quæ demonstrantur, cum rebus ijs consentiant, quæ sensu percipiuntur.

XXI.

Ita disertè Aristoteles noster ubi de generatione apum: b) Καλῶς ἂν δὲ λόγοις τὸ περὶ τὴν γένεσιν τῶν μελισσῶν τέτον ἔχειν φαίνεται τὸν τρόπον, ἐκ τῶν

Digitized by Google

ὅτε τῶν νῦν δοκούντων συμβαίνειν ταῦτα οὕτως, ἃ μὲν εἰληπταί γε καὶ συμβαίνοντ' ἱκανῶς. ἀλλ' ἐὰν ποτὲ ληφθῇ τότε τῇ αἰσθήσει μᾶλλον ἢ τῷ λόγῳ πιστευτέον, καὶ τοῖς λόγοις, ἐὰν ὁμολογούμενα δεικνύωσι τοῖς φαινομένοις. *Generatio apum ita se habere videtur, tum ratione, tum etiam ijs, quæ in earum generatione fieri visuntur: nondum tamen satis adhuc explorata, quæ eveniant, habemus. Quod si quando satis cognita habebuntur; tunc sensui magis, quam rationi erit credendum. Rationi etiam fides adhibenda est, si quæ demonstrantur, conveniunt cùm ijs, quæ sensu percipiuntur, rebus.*

b) 3. de Gen. Animal. c. 10.

XXII.

Vnde si quæras, qui fiat, cur aliqui de rebus obscuris multa temerè & inutiliter effutiant? rationem tibi reddam ex Aristotele a) ἀπειρίαν, *qua illi ὅτε τῶν πολλῶν λόγων ἀθεώρητοι τῶν ὑπαρχόντων ὄντες, πρὸς ὀλίγα ἐπιβλέψαντες, ἀποφαίνονται ῥᾳδίως: Imperitiam scilicet, qua è multis rationibus, quænam veræ sint, haudquaquam expendere consueverunt, paucis inspectis facilè pronunciantes, ubi contra: ὅσοι συνῳκήκασι μᾶλλον ἐν τοῖς φυσικοῖς, μᾶλλον δύνανται ὑποτίθεσθαι τοιαύτας ἀρχάς, καὶ σφόδρα δύνανται συνείρειν, quotquot diutius circa Physicarum rerum speculationem versati sunt, ejusmodi principia, quæ inter se cohæreant consentiantq́, quam plurimùm supponere possint.*

a) 1. de Ort. & interit. c. 2. t. 7.

XXIII.

Accipe & alia in hunc sensum verba: ejusdem Doctoris: b) ὅτε μὲν οὖν τὸ τῶν λόγων, ὑπερβάντες τὴν αἴσθησιν, καὶ παρελθόντες, αὐτὴν, ὡς τῷ λόγῳ δέον ἀκολουθεῖν, εἶναι φασὶ τὸ πᾶν ἓν καὶ ἀκίνητον, καὶ ἄπειρον ἔτι, τὸ γὰρ πέρας περαίνειν πρὸς τὸ κενόν. Οἱ μὲν οὖν ἕν φασι, καὶ διὰ ταύτας τὰς αἰτίας ἀποφαίνονται περὶ τῆς ἀληθείας. Ἐπεὶ δὲ σφῶν μὲν τῶν λόγων δοκεῖ πᾶσα συμβαίνειν, σφῶν δὲ τῶν πραγμάτων μανίᾳ σοφιστικῇ ἔστι τὸ δοξάζειν ἕν φασι. οὐδένα γὰρ τῶν μαινομένων ἐξετάσαι τοσοῦτον, ὥστε τὸ πῦρ ἓν εἶναι δοκεῖν καὶ τὸν κρύσταλλον. *Ob hæc (quas ante attulerat Philosophus) igitur rationes, nonnulli sensum prætereuntes, despicientesq́, quasi rationem sequi ducem oporteat, universum ipsum unum, & immobile, & infinitum esse asserunt: nam aliequi, inquiunt, finis ad vacuum finiret. Quidam igitur ad hunc modum, & ob hasce causas de ipsâ veritate dixerunt, sed cum in rationibus hæc videantur evenire, in ipsis verò rebus minimè, hoc pacto sentire, insania persimile existit: nemo enim ex hisce, quos insania occupavit, usq́ adeo à mente discesserit, ut ignem & glaciem unum esse existimet.*

b) 1. de ort. & interit. c. 8. t. 59.

XXIV.

Disputans etiam contra Pythagoræos, qui non terram, sed ignem in medio locatum volebant, terram autem astrum faciebant, quod circa medium ferantur, sitq; causſa diei ac noctis: diei quidem conversione ad solem, noctis autem aversione à sole, cui & aliam terram opponebant, quam ἀντίχθονα dicebant: (Simplicius auctor est eos Lunã per ἀντίχθονα intellexisse) ait eos ex boi falsos, quod ἀ πρὸς τὰ φαινόμενα τὰς λόγους ζητοῦντες καὶ τὰς αἰτίας, ἀλλὰ πρὸς τὰς λόγους, καὶ δόξας τινὰς αὐτῶν, τὰ φαινόμενα προσιλαμβάνειν conati fuerint, quæ dicerent, exornare. Τὸ πιστὸν οὐκ ἐκ τῶν φαινομένων ἀθροῦντες, ἀλλὰ μᾶλλον ἐκ τῶν λόγων. a)

a) 2. de cœlo c. 13. t. 71. & 73.

XXV.

Rectè igitur & Aristoteli consentienter Averroës, cum inquit: Experimentum verorum sermonum esse, si consentiant cum rebus sensatis.

XXVI.

Neq; verò solum docuit ita Philosophus, sed & ita ille Physica tractavit, ut omnia ad sensus judicium, tamquam Lydium lapidem, referret. De multis etiam rebus noluit disputare, si non haberet certa principia ex sensibus collecta. Unde nec de mundi animâ disputare voluit, nec de Intelligentijs aut Dæmonibus. In sensilibus autem plurimùm se ipsum exercuit, atq; quem nexum habeant inter se, quid præcedat, quid sequatur, & quibus ex principijs quæq; sint exorta, quas affectiones habeant & causas, propter quas ipsas habeant, perquam acutè perscrutatus est, omninoq; sola illa statuit, quæ sensus ipsi dictavit, in quibus tamen ipsis multa relicta dubia fatetur, propterea, quia sufficiens τῶν φαινομένων cognitio haberi nondum potuerit. Exemplum suprà vidimus. b)

b) th. 21.

XXVII.

Atq; in hoc ipso consistit differentia, inter Philosophiam Aristotelis & Platonis. Aristoteles à sensilibus adscendendo progressus est ad intelligibilia, & nihil facilè probavit, nisi quod ad sensum reduci posset, voluit colligere ex sensibus omnia scita principia. Plato contra ab Intelligibilibus progressus est ad sensibilia, & veluti ex alto descendit, statuitq; ferè quintuplicem rerum gradum. I. Deum Opt. Max. II. Mentem primam, in qua reponebat Ideas. III. Mentem nostram, in quâ item Ideæ collocantur. IV. Animam humanam, ubi λόγοι & rationes, tandem Materiam primam.

XXVIII.

Hos quinq; gradus rerum Plato constituit, unde quæ inferiora sunt vocavit imagi-

Digitized

imagines tantum & umbras rerum: Aristoteles contrà, Inferiora hæc verè substantias appellavit, res videlicet aspectabiles, tangibiles. Et ex his constituit principia, fecitq; res mensuram, intellectum autem mensuratum, contrà, quam Plato.

XXIX.

Vnde Platonis δείξεις sunt lubricæ: utitur enim ferè tantùm argumentis Dialecticis aut Rhetoricis, κοινοῖς quibusdam λόγοις, quibus animus non sistitur aut firmatur, neq; redditur ἀμεταπτωτον, sed natat tantum, ac fluctuat in procellis opinionum agitato salo. Aristoteles autem utitur firmis demonstrationibus, quæ, tamquam anchora navem, ita animum sistunt, ut possit in illis tuto conquiescere, cessetq; omnis dubitatio.

XXX.

Quin existimavit Plato: τὸν λόγον, satellitio sensuum septum, ad judicium promendum obtusiorem ineptioremq; reddi, quod illis impellentibus ad simulachra idolaq; protrahatur, quæ, ut ille existimabat, inani vanaq; imagine ei imponerent, itaq; unicè jubebat rationem à sensibus adducere. Ac propterea, ut apud Martianum Capellam a) Phronesis calceos ex papyro subligat Philosophiæ, ne quid ejus membra pollueret morticinum: ita Ratio apud Platonem, quâ ejus Philosophia tamquam pedibus incedit, divinis notionibus solum induit, ne colluvie materiæ corruptibilis, sordescat. Scribit Plutarchus: b) Lunâ decedente, Cepe revirescere & congerminare, contrà adolescente lunâ inarescere: sic prorsus Plato censuit: ratione langvescente vigere sensum: at sensu quasi connivente aut caligante, splendescere acuiq; rationem.

a) lib. de Nubt. Philolog. 2. p. 28. b) lib. de Osiri & Isidep princip.

XXXI.

Ita igitur Plato: Mihi potior Aristoteles, & quia parum ei in Methodo, cujus uterq; Magister fuit, concedit, Galenus: c) qui eorum insciliam redarguens, qui fidem facere student ex ijs, quæ adhuc ignorantur, cum cæteroquin ea, quæ adsumuntur ad Demonstrationem, vel evidentia sint oportet, vel antea demonstrata: & disertè testatus rerum sensilium legitimum esse judicem sensum, utpote tactum primarum qualitatum: Si, inquit, alia via succurrat, quâ illæ noscantur, eam quæso demonstrent, inauditam sanè sapientiam prommittunt. Immò, si verum fateri licet, stuporem potius, siquidem verum sensilium meliorem se judicem habere putent, quam sit ipse sensus. Ac si de rebus sensilibus demonstrationes inquirunt, jam de nive disputandum erit, sitnè candida censenda, quemadmodum omnibus apparet, an atra potius, ut prædicabat Anaxagoras. & de pice similiter: neq; enim, si visui de albo, quod viderit, fides habenda non est, de nigro

de nigro ſine demonſtratione credendum erit. Omnia igitur, quæ ſenſui apparent, ſi jam fide carere dicunt, nec cygnum eſſe album fateantur, niſi prius id ratione conſpexerint, neq; diem, neq; ſolem. Ad eundem autem modum, & de voce auribus fidem abrogent, & de odore naribus, & de omni tactili ipſi ſenſui tactus. Quæ ſanè nihil diſtant ab hæſitationibus & nugis Pyrrhonianis. Æquum verò fuerat eos, qui optimam ſectam in Philoſophiâ delegiſſent, quæ primas qualitates per elementa principiaq; ponit, non tam deſciviſſe à communi hominum ſenſu, ut, quæ omnis diſputationis principia ſunt, & quæ ſenſui mentiq; patent, non cognoſcerent. Et profectò, quisquis de his addubitat, fruſtrâ de aliis inquirit, utpote nil ſibi relinquens, unde ſit incepturus. Sed illud unum pravorum dogmatum principium eſt, nihil de Demonſtratione prius meditatum, ſimul res ipſas inquirere, velut, quidnam Demonſtratio ſit demonſtrare tentare. Hactenus Galenus.

c) 2. de Temperam. c. 2.

XXXII.

Sed jam audire mihi videor, qui obſtrepant: Rationemnè igitur adeò abjicis, ut nullum ei uſum in Philoſophia Naturali relinquas: quibus hoc tantum reſpondeo: non ea, quæ hactenus à nobis diſputata ſunt, ideo diſputata eſſe, quaſi divinæ illam particulam auræ depreſſum ire velimus, ſed ut ſi ligamus illud mentis judicium de rebus abſtruſis, quas ſenſus attingere nequit; quod tum demum futurum eſt rectum, ſi illa ſolum accipiat, quæ nihil evertant eorum, quæ per ſe & propriè ſentiuntur, hoc eſt, in quorum ſenſione nullus error committitur, quod tum evenit, cum omnia ritè diſpoſita ſunt, ut optimè ſenſio fiat. Non tamen negamus, tum optimè nobiſcum agi, ſi ſenſuum fidem cum ratione, rationemq; cum ſenſibus habeamus.

XXXIII.

Atq; ſic accipio Philoſophorum quorundam ſermones, jactantium: Ariſtotelem non ſimpliciter ſenſum extuliſſe, ſed ut ipſi loqui amant a) *ferrumination cum ratione. Nam quæ pro ſuo placito adferunt Ariſtotelis loca aliud non loquuntur.*

a) Mazon. in præludijs Philoſ. platon. & Ariſt. ſect. 4. c 3. l. 15. p. 162.

XXXIV.

In Diſputatione enim de Figurâ Cæli: cum ex orbiculari figura docuiſſet, Cælum ſempiternum eſſe, quodq; nec corruptionem, nec augmentum nec decrementum, aut ſenium patiatur, ita concludit: b) εοικε δ' ὁτι λόγῳ τοῖς φαινομένοις μαρτυρεῖν καὶ τὰ φαινόμενα τῷ λόγῳ. *Videtur autem & ratio teſtimonium perhibere ijs, quæ apparent, & apparentia viciſſim rationi.*

b) 1. de cælo c. 3. t. 22.

In Diſpu-

XXXV

In Disputatione de animalibus non aliud docet: quod ut appareat, verba Philosophi prius asseremus, deinde quid ex illis effici possit dispiciemus. a) Πρῶτον, inquit, τὰ τοῦ Ἀνθρώπου μέρη λεκτέον. Ὥσπερ γὰρ τὰ νομίσματα πρὸς τὸ εἰδέναι ἑκάστου γνώριμά ἐστιν, οὕτω δὴ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις. Ὁ δ' ἄνθρωπος τῶν ζώων γνώριμά ἐστιν ἡμῖν ἐξ ἀνάγκης ἐστί. Τῇ μὲν οὖν αἰσθήσει τὰ μόρια. Ὅμως δ' ἕνεκα τοῦ μὴ ἀφαλεῖπειν τι τὸ ἐφεξῆς, καὶ τοῦ λόγον ἔχειν μέλα τῆς αἰσθήσεως, λεκτέον τὰ μέρη πρῶτον τὰ ὀργανικά; εἶτα τὰ ὁμοιομερῆ. *Hominis primum partes explicandæ erunt: Vt enim numos ad id, quod sibi quisq; exploratum certumq; habeat, probare solet: ita cæteris quoq; in rebus agendum est. At homo maximè omnium animalium notum nobis necessario est. Partes igitur hominis (exteriores) etsi sensum non effugiunt, adeoq; notæ sunt, tamen ne catena & series doctrinæ interrumpatur, atq; etiam ut sensum ratio comitetur, partes primum enumerabimus officiales sive instrumentales, deinde similarium ordinem persequemur. Hæc Philosophus.*

a) lib. 1. de Hist. Animal. c. 6.

XXXVI.

Quibus verbis prorsus idem dicit, quod superiori loco. Non enim ponit rationem sensui repugnantem, quam abijci ab ipso supra vidimus, b) *sed quæ comitetur sensum, hoc est, quæ ipsi respondeat. Quin paulò ante dixerat:* Περὶ δὲ ὅσων καὶ ὅσα θεωρητέον, δι' ἀκριβείας ὕστερον ἐροῦμεν, ἵνα πρῶτον τὰς ὑπαρχούσας διαφορὰς, καὶ τὰ συμβεβηκότα πᾶσι λαμβάνωμεν, μετὰ δὲ τοῦτο, τὰς αἰτίας τούτων περαιτέον εὑρεῖν. Οὕτω γὰρ ἡ φύσιν ἐστὶ πιστεῦσαι τῷ μεθόδου, ὑπαρχούσης τῆς ἱστορίας τῆς περὶ ἕκαστον. Περὶ ὧντε καὶ ἐξ ὧν εἶναι δεῖ τῷ ἀποδεῖξιν, ἐκ τούτων γένοιτ' ἂν φανερόν. *De quibus autem & quatenus sit agendum deinceps accuratius disseremus, primum videlicet differentiæ atq; accidentia, quæ cuiq; juncta sunt, accipienda sunt, tum ad causas eorum enitendum. Sic enim futurum est, ut via, docendiq; utamur ratione Naturæ congrua, cum historia singularium præcesserit, inde jam apparebit, quibusnam de rebus & ex quibus effici demonstratio possit ac debeat.*

b) lib. d.

XXXVII.

Quibus sanè verbis perspicuè docet, primas sensui relinquendas, rationes autem sensui inniti & ab illo mensuram accipere debere. Atq; hanc esse Methodum Naturæ congruam, si ab Historiâ ordiamur, & in ea desinamus, hoc est, Demonstrationes de rebus Historiæ accommodemus.

XXXVIII.

Adducitur deniq; & alius locus ex libris de Animâ. a) *ubi inquit Philoso-*

phus: Καὶ ἀνάγκη ἀεὶ ἑνὶ μετρεῖν, necessarium est res uno mensurare, hoc, inquiunt, Interpretes explicant de ratione cum sensibus colligata.

a) 3. de Anima. c. 11. t. 57.

XXXIX.

Primum ego quid Interpretes dicant, suspendo, habeo, sed quid Philosophus, id expendo, cujus verba & contextum cum examino, nihil dicere illum animadverto, quod causse nostræ officiat, aut sententiæ nostræ cornua obvertat. Disputat eo loco Aristoteles: τὴν μὲν αἰσθητικὴν φαντασίαν, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις εἶναι ἢ ὑπάρχειν, τὴν δὲ βουλευτικὴν ἐν τοῖς λογισμοῖς μόνον. Rationem hanc addit: Cum, inquit, consultatrix facultas de pluribus deliberet, & quærat, quodnam eligat præ aliis, rationis opus est, eligere ex illis pluribus unum; ratio enim ad unum respicit, ad quod deinde electio se accommodat, tamquam ad mensuram.

XL.

Hoc verò nihil officit nostræ sententiæ: Nam in Physicis quoq; (jam ad ravim dictum) ratio sensum tamquam Vnum illud & mensuram respicit, sic, ut quod sensui congruit, id demum acceptet, quod repugnet, rejiciat & refutet.

XLI.

Accedit quod ibi sermo est de rebus agibilibus: ubi προαίρεσις, quæ est ἐκ λόγου, metitur τὰ πρακτὰ Vno, nimirum vel jucundo, vel utili, vel etiam honesto, adeoq; ex pluribus eligit, quod mensuræ suæ maximè videtur accommodatum.

XLII.

Atq; ita video Græcos interpretari Magistrum suum. E quibus familiam nobis merito suo ducat Themistius: a) Is igitur locum Aristotelis sic ἐξηγεῖται: Φαντασία πᾶσα ἢ λογικὴ, ἢ αἰσθητική. Ἡ μὲν οὖν αἰσθητικὴ καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις ὑπάρχει: ἡ δὲ λογικὴ, ἀνθρώποις μόνοις, ἐν τούτοις γὰρ βουλεύσεις φαντασμάτων ἐπιτέλεσις. Καὶ πότερον τόδε, αἱρετώτερον ἢ τόδε τούτου δὲ λογισμὸς ἔργον ἐστὶ: καὶ ἀνάγκη ἑνὶ μετρεῖν, τὸ μεῖζον γὰρ δείκνυσι. ὥσπερ οὖν ἐν τοῖς πίσεσι εὑρίσκει τὸ ἀνίσων τὸ μεῖζον ἑνὶ μέτρῳ χρώμενος, οἷον τῷ πήχει ἢ τῇ παλαίστῃ: ὅταν καὶ ἐν τοῖς φαντάσμασιν εὑρίσκει μέτρον τὸ αἱρετώτερον ἐν πρασσόντων: οἷον τὸ ἡδὺ ἢ τὸ συμφέρον. Καὶ οὐκ ἄλλῳ τινὶ ἢ τῷ φανέντι εὐθὺς, ὥσπερ τὰ ἄλογα ζῶα: ἀλλὰ καὶ συντίθησι πολλάκις ἢ τόδε, τόδε καὶ ἢ τόδε, αὖθις τότε, καὶ συμπεραίνεται ἓν πολλῶν ἓν,

a) ad locum Philos. 3. de anima.

XLIII.

Quem locum Themistij, ex Simplicio latinè reddere lubet. Ille enim Themistij paraphrastes hic videri potest. Sensitivam, inquit ille, Imaginationem ve-

cat,

cat, quæ à solo excitatur sensu. Consultativa verò, quæ à sensibilibus mota fruitur quodam pacto consilio rationis, sic, ut aliquando quidem id sequatur, quod offertur, aliquando ab illo recedat & ad id se accommodet, quod ratio suaserit: Fit enim aliquando ut ratio superet, quod accidit in temperantibus, aliquando ut superetur, ut in Intemperantibus. Quid verò sit Consultare, exposuit, nimirum consultantem versari in contingentibus & agibilibus, atq; alio & alio modo se habentibus, unde necesse sit ad unum respiciat, & ad illud tamquam maximè eligibile referat, quod quidem dixit unam mensuram. Etenim quando aut utile eligi oportet, aut jucundum, consultat respiciens in id, quod maximè eligibile est. Atq; ubi jam determinavit, utile esse maximè eligibile, consultat, utrum hoc utilius sit an hoc, rursusq; in uno & eodem utili firmatus consilia facit. Sic potest ex pluribus Phantasmatibus unum facere.

XLIV.

Audiamus & Philoponum. Ὥσπερ inquit, οἱ τέκτονες τῷ αὐτῷ μέτρῳ τῷ πηχυαίῳ, καὶ τὸ μεῖζον, καὶ τὸ ἐλαττῶνα, τῶν ξύλων καταμετροῦσιν, ὕτω καὶ τὸ ὀρεκτικὸν τὸ ἐν τοῖς ἀνθρώποις τῷ αὐτῷ ἀγαθῷ, τὰς ἐναντίας μετρεῖ, καὶ τὸ μεῖζον ἀγαθὸν αἱρεῖται καὶ πρὸς ἐκεῖνο κινεῖται. Hæc Philoponus, qui tamen, ne quid dissimulem, subjungit: Ἐπειδὴ βουλευτική ἐστιν ἐν τοῖς ἀνθρώποις φαντασία, διὰ τοῦτο καὶ ἐκ πλειόνων φαντασμάτων δύναται ἓν ποιεῖν ὃ τ' ἐστὶν ἓν κοινὸν φάντασμα ἐκ πολλῶν μερικῶν φαντασμάτων. Id quod libenter largimur, dummodo à sensilibus ratio ordiatur, ita enim colligi Principia universalia docuit Philosophus alibi. a)

a) lib. 2. Post. Analyt. c. 17.

XLV.

Neq; aliter Averroës: Dicit Philosophus, inquit: Imaginatio in alijs existit animalibus, cogitatio autem in rationalibus: Eligere enim facere hoc imaginatum & non hoc, est de actione cogitationis, non de actione imaginationis. Judicans enim, quod hoc imaginatum est magis amabile, quam hoc, debet esse eadem virtus de necessitate, quæ numerat imaginationes, & in quibusdam judicat magis delectabilius. Et hoc intendebat, cum dicit, & numerat ipsum unum de necessitate, h.e. necesse est, ut ista virtus numeret illas imagines, donec comprehendat ex eis magis amatum, sicut unum numerat numeros inæquales, donec comprehendat ex eis magis majorem. Hæc Averroës. Viderint igitur, qui diversum à nobis sentiunt, quos illi Interpretes legerint. Nos quidem apud eos, qui nobis ad manum sunt, reperire non potuimus.

XLVI.

Manet igitur in Philosophiâ nobis Criterium sensus. Sed quid de Primâ Philosophiâ, quæ & Theologia, sentiendum? Neq; hic patiemur nos longè à

ſenſu abduci: Nam ſive Philoſophiam Naturalem intueamur, quæ eſt velutὶ πεπαιδευμένη πρὸς τὴν κυρίως φιλοσοφίαν: *Illa à motu ad motorem nos deducit. Si verò ipſam Philoſophiam primam intueri libet: in ipſo veſtibulo, nos Philoſophus ad Librum Naturæ vocat, & ex illo in notitiam primi Entis, unde reliquis omnibus* τὸ εἶναι (a) *alijs quidem* ἀκλινέστερον, *alijs verò* ἀμαυρότερον *provenit, quod principium tale conſtituit,* b) *à quo cœlum & natura dependent.*

a) 1. de Cœlo c. 9. t. 100. b) 12. Metaphyſ. c. 7. t. 39.

XLVII.

A motu igitur ad motorem progreditur Ariſtoteles, concluditq; 8 Phyſico, dari omnino aliquod primum movens immobile; id, quale eſſet, adſcendendo à ſenſilibus ſubſtantijs tamdem 12. Metaphiſico invenit, conditionibusq; ſuis inſignivit, Eſſe videlicet actum purum, ſimpliciſſimum, ab omni materiæ contagione liberũ, omnisq; adeò contingentiæ expertem, cauſſam rebus τὸ εἶναι καὶ ζῆν, *cujus etiam perfectionem omnia æmulentur, quatenus naturæ ſuæ ratio ferat & patiatur. Sic Philoſophus, duce ſenſu, adminiſtrâ ratione, in cognitionem primi Entis devenit.*

XLVIII.

Idem judicium faciendum de Aſtrologiâ, quam peculiariſſimam inter Mathematicas Philoſophiam dicit c) Ita nos docuit Ptolomæus d) ſcientiæ illius Doctor Nobiliſſimus: Conabimur, inquit, horum, quæ dicturi ſumus, ſingula oſtendere principijs ac veluti fundamentis inventionis, rebus evidentiſſimis, & Phænomenis & certis minimeq; dubijs tum veterum, tum eorum, qui noſtrâ floruerunt memoriâ. Et alibi: Harmonici propoſitum eſt, conſervare ubiq; hypotheſes Canonis à ratione deprompt as, nusquam ſenſibus repugnantes. Atq; hoc idem Ptolomæus in magnâ Compoſitione, ubi motus corporum cœleſtium inquirit, eâ methodo utitur, ut prius Φαινόμενα, hoc eſt, à ſenſibus obſervata, & ijsdem nec a præſupponeret: hinc ad hypotheſes tranſiret, Phænomenis conſentaneas, tandem Epilogiſmum ſubderet ſive dimenſionem, quæ ſit juxta hypotheſes. Vbi vides ad ſenſum etiam hic revocari omnia, tamquam ad normam.

c) 12. Metaph. c. 8. t. 44. 1. Metaph. c. 7. t. 19. 6. Metaph. c. 1. t. 2.
d) l. 1. Comp. Mag. l. 1 Harmonic.

XLIX.

De reliquis Mathematicis diſciplinis ſic ſentio: non poſſe etiam ab illis proſus ſegregari ſenſum. Nam abſtractio illa, quæ Mathematicis tribui conſuevit, mentis quidem eſt, ſed facta à rebus ſenſilibus: licet itaq; διάνοια ſit mentis, res ipſa tamen eſt ſenſuum. Atq; inde fluit illud vulgatum: Mechanicas artes eſſe filias Mathematicarum diſciplinarum: cui concinit Sextus Empyricus,

cum

cum ait : ἡ τέχνη οὐκ ἀπεργάζεται τὴν οὐσίαν, ars non efficit substantiam, sed imprimit illi novam formam, quæ vel in quantitate consistit, & ibi Mathematicæ disciplinæ modum monstrant, vel in qualitate, & ibi ars imitatur naturam.

L.

Quod attinet principia Mathematices, quæ item objiciuntur, quæ sensibus adversantur : V. G. Linea est longitudo sine latitudine. Punctum, cujus pars est nulla, & similia. Tueri me possem Aristotelis auctoritate : Principia illa similitudine tantum principia esse, dicentis ; a) reipsâ nequaquam : sunt enim illa tantum significationes nominum, de quibus præmonendi sunt discipuli, qui volunt in illis disciplinis proficere ; neq; aliâ ratione principia sunt, quam cujuslibet gentis rerum vocabula & appellationes.

a) 2. ad Eudem. Eth. c. 6.

LI.

Sed nolo esse difficilior : largior in Mathematicis plus Rationi licere, etiam à sensu discedere aliquando : Sed à sensu non rectè ordinato. Nam quod contra sensum disputant esse Antipodas, quos sensus existimat casuros in cœlum : id verò ex Phænomenis collectum esse, nemo non videt. Terram enim esse sphæricam, etiam ex sensibus collectum initio, unde nec illud prorsus à sensu alienum. Sunt tamen aliqua verè, quæ ratione definiuntur, sensui adversantur. Itaq; Mathematicis λόγον etiam pro Criterio tribuo, in illis, quæ à sensu nimis longè recedunt, cum eâ tamen cautelâ, ne nimis longè à Φαινομένοις abeatur. Aliâs enim λόγοι illi πλασματῶδεις. a) à Philosopho nostro vocantur.

a) 13. Metaph. c. 7.

LII.

Ducit me huc textus Philosophi. b) cum inquit : ἐπεὶ καὶ τὰ ἐξ ἀφαιρέσεως λεγόμενα ἔσῃ δι' ἐπαγωγῆς γνώριμα, ubi per ἐξ ἀφαιρέσεως λεγόμενα Mathematica intelligenda, locuples auctor est Philoponus, cujus interpretamentum, si operæ est, vide.

b) 1. Post. c. 15.

LIII.

Venio ad Philosophiam περὶ τὰ ἀνθρώπινα, quam sibi civilis Philosophus vindicat. Et ibi quoq; sensum, normam principiorum facio : nam sive respiciamus rerum varietatem, atq; naturam, sive actionem, in sensum necessario resolvuntur : quando ad rerum veritatem pernoscendam requiritur inductio, ad actionem verò consuetudo, quæ exoritur ex frequenti iteratione singularium actionum.

LIV.

Docuit hoc perspicuè satis, cum inquit Philosophus : In hac Philosophia

ἀρχὴν εἶναι τὸ ὅτι, καὶ εἰ τοῦτο φαίνοιτο ἀρκούντως, οὐδὲν προσδεήσεσθαι τοῦ διότι, Principium esse scire quod sit. Quod si satis evidenter declaratum fuerit, cur ita sit non magnopere desideratum iri.

c) 1. Eth. c. 2.

LV.

Et alibi dicit: d) Ἀγαπητὸν δὲ περὶ τοιούτων καὶ ἐκ τοιούτων (hoc est, φαινόμενον νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή) λέγοντας, πεχυλῶς καὶ τύπῳ λαβεῖν ἐνδείκνυσθαι, καὶ περὶ τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, καὶ ἐκ τοιούτων λέγοντας, τοιαῦτα καὶ συμπεραίνεσθαι. Satis igitur erit, si ex his & de his talibus, quæ hominum magis instituto, quam naturâ constare videntur, verba facientes, rudem quandam veri formam adumbremus, & cum de rebus, quæ ad ut plurimum referuntur, & ex talibus disputemus, talia quoq; concludamus.

d) 1. Eth. c. 1.

LVI.

Superest Theologia patefacta, in qua progressus sit ab uno ad multa: In quæ cum multa sint, quæ captum omnem humanæ rationis excedant, multò verò magis sensuum judicium: Ideo hic neq; ratio, neq; sensus Criterium constitui potest. Sit igitur ibi Criterium Verbum Dei, mentiri & fallere nescium: In quo tamen duo consideranda veniunt. Sunt enim in Verbo DEI & continentur sacris tabulis alia quidem πιστὰ, quæ sine omni disputatione fidem merentur: alia verò ἐπιστητὰ, quæ in ijsdem sacris literis ex solidis fundamentis deducuntur, & per bonam consequentiam concluduntur.

LVII.

Illa πιστὰ, Fidei articulos appellamus, quia fidem merentur, propter auctoritatem dicentis, etiamsi rationem omnem excedant, unde ad illam exigi nequaquam debent; quare numquam probare potui quorundam malè seriatorum hominum insanientem sapientiam, qui id conati sunt. Assentior D. Chrysostomo a) βλασφημίαν εἶναι dicenti τὸ λογισμοῖς ζητεῖσθαι θεῖα: qui idem alibi: b) Ex rationis scrinijs, articulos fidei velle vel docere, vel discere, esse ferrum candens non forcipe, sed digitis contrectare velle: & alio loco concludit: c) τὰ ὑπερβαίνοντα λόγον, πίστως δεῖται μόνης: Οἱ λογισμοῖς ἄρα ζητοῦντες, οὐ τί εἰσιν οἱ ἀπολούμενοι. Quæ exsuperant rationem, solâ fide indigent, quæ qui rationibus indagare laborant, ij sunt, qui pereunt.

a) Hom. 1. in prior. ad Tim. b) Hom. 5. in 1. ad Corinth. c) Hom. 4. in 1. ad Corinth.

LVIII.

Reliqua verò in Scripturis, quæ deducuntur ex principijs, cum interpretationem veritas ex se habere debeat, ita sunt examinanda, ut locis obscuris, dubijs,

dubijs, ambiguis, lux petatur ex locis clarioribus, evidentibus, & apertis, contendanturq; loca diligenti & accurato rationis examine : Interpretationes etiam aliæ non recipiantur, quàm quæ contineant a) ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων, *& consentiant cum Criterio patefactæ veritatis, hoc est, Articulis Fidei, quorum uni vel alteri si adversentur, habeantur pro alienis & nullis.*

a) 2. Tim. 1. 13.

LIX.

Vnde nec potui probare eorum sententiam, qui omnem rationis usum è sacris eliminare conati sunt : Rationis est intueri antecedentia, nectere cum consequentibus, & cavere repugnantia : Hæc, si in rebus sacris attendi non debent, quæ erit tamdem nostra Theologia ? & cur rationis usus nobis à DEO concessus ?

LX.

Audiamus Athanasium b) *unum ex Patribus pro multis, immò pro omnibus : Quid, inquit,* ἀλόγως πιστεύσω, καὶ μὴ ἐξελάσω τι δυνατὸν, ἢ συμφέρον, ἢ πρεπὸν, ἢ θεῷ φίλον, ἢ τῇ φύσει κατάλληλον, ἢ τῇ ἀληθείᾳ σύμφωνον, ἢ τῷ σκοπῷ ἀκόλουθον, ἢ τῷ μυστηρίῳ ἁρμόδιον, ἢ τῆς εὐσεβείας ἄξιον : καὶ τί κέρδος ἔξω ; ἢ τις ὄνησις τῇ διανοίᾳ τῇ μηδὲν τοῦτο λογιζομένῃ, ἀλλ' ἀκοὴν μὲν τῷ ἤλῳ τοῦ βάλλεσθαι, ψυχὴν δὲ μὴ τὸ μίαν τοῦ λεγομένων σύνεσιν δέχεσθαι. *hoc est, Credamne sine judicio ? nec inquiram, quid aut fieri possit, aut utile sit, aut deceat, aut Deo gratum, aut Naturæ congruum, aut veritati consentaneum, aut efficiatur ex proposito, & sit consequens, aut mysterio respondeat, aut pietate dignum sit ? Et quæ utilitas in literæ cortice, aut quis fructus redeat ad mentem, nihil horum ad rationis calculos revocantem.*

b) Oratione πρὸς τὰς κελεύοντας ἀπλῶς πιστεύειν τοῖς λέγουσι, καὶ μὴ καταγινοεῖν τὸ πρέπον ἢ ἀπρεπές.

LXI.

Et paulò pòst subjungit : Τίς δὲ τῶν πολεμίων τῆς Καθολικῆς Ἐκκλησίας οὐ παραιτεῖται τὴν ἐξέτασιν, ἵνα φύγῃ τὸν ἔλεγχον. *Quis verò est hostium Catholicæ Ecclesiæ, qui non deprecetur examen tale, ne convincatur erroris ? Videant igitur, ne in ipsos quoq; hoc conveniat, qui jubent nos hominem exsuere, & fieri sicut Equus & mulus. Sed hic sisto. Docuisse autem satis perspicuè puto, rectè ab Aristotele pronunciatum fuisse : Deficiente sensu aliquo, necessarium esse, scientiam quoq; aliquam deficere, nimirum eam, quæ de objecto illius sensus proprio esse soleat.*

LXII.

Id verò ex eâ ratione, quia omnis humana sapientia ad sensum tamquam ad normam

normam disputationes suas revocet. Porrò exinde id quoq; teneamus: si quis sensu aliquo nõomninò careat, sed eum tamen imbecilliorem habeat, eum quoq; de rebus ad sensum illum pertinentibus minus accuratam notitiam habere posse. V. G. In confesso est hominem minimùm odoratu valere, plus visu. Hinc paucas habemus nos odorum differentias, colorum plurimas, sic ut nomina etiam differentijs illis non suppetant. Si nobis ea vis odoratus esset, quæ canibus, qui Dominum etiam ex odoratu discernere possunt, de Odorum discriminibus sine dubio exactius philosophari possemus. Eodem modo res se in intellectu habet: quo enim quisq; perspicatiori valet intellectu, eò plures differentias invenit, ubi multa confundere videmus eum, qui hebetiori est intellectu. Hinc illud: Populus confundit, Sapiens distinguit.

LXIII.

Deniq; notetur hæc Doctrina, ad constituendum finem Disputationibus: Sunt enim quidam adeo refractarij, ut licet Domonstrationibus convincantur, pergant tamen semper quærere: Quare hoc? Quare istud? putantq; mediorum esse resolutionem in infinitum: His opponendum est hoc quod diximus: Sistendum tandem in illis, quæ sensus nobis prima esse renunciat, & illorum rationem ulteriorem quærere esse cum ratione insanire.

LXIV.

Vidit hoc acutissimus Theophrastus, Qui, inquit, omnium rerum rationem quæritant, simul cum ratione scientiam tollunt. Atqui terminus quidam constituendus est eorum, quæ unde, & cujus gratiâ existunt, qui ratione cognosci potest, neq; supra limites naturæ progrediendum est. In immediatâ enim causâ, intellectus coecutiendo tamdem subcumbit.

COROLLARIA.

I.

IUs non aliunde magis, quàm ab auctoritate condenti, svim & suam potestatem accipit: quam auctoritatem quia Philosophi non habent, sed, ut Plaut⁹ loquitur, Ædilitatẽ sine populi suffragijs gerunt, ideo monita eorum etiam saluberrima à vulgo contemnuntur.

II.

Quæ nam est ars illa juris apud Ciceronem, quam in uno Servio fuisse ait, in cæteris usum potiùs juris, quam artem?

DISPUTATIO XLVIII.

MICHAELIS PICCARTI

De

ACCIDENTE.

Respondit

Johannes Leonhardus Strôbelius
Norimberg.

Mens. April. cIↃ IↃ cXX.

THESIS I.

CVm à me quæreretur, inquit, Galenus 2. de Diff. pulsuum, quid esset plenus pulsus? subjeci: variæ significationis esse nomen, quare nec definitionem unam habere, nisi homonymia distincta sit, neq; enim nominum, sed rerum sunt Definitiones. Quando igitur uno nomine res significantur multæ, necessariò totidem erunt definitiones; cum unius tamen rei, licet tria sint nomina, una tantum sit Definitio.

II.

Hujus præceptum sequentes, cum de Accidente nobis quædam monere constitutum sit, atq; id quoq; multis modis dicatur, significata Accidentis initio proponemus, variasq; ejusdem, pro significatorum varietate, Definitiones colligemus, inde postea Problemata quædam educturi.

III.

Primum igitur Accidens dicitur id, quod Substantiæ ex adverso ponitur, qua significatione Substantia per se subsistere dicitur: Accidens in alio, & non nisi in substantiâ. Atq; hinc fluxit illud tralatitium: Magnus Aristoteles trutinando cacumina rerum. In duo divisit, quidquid in orbe fuit.

IV.

Et rectè: quidquid enim est, aut subjectum est, & sic substantia: aut in subjecto, & sic Accidens. Quod si quid concipiatur aliter, tamen quidquid illud sit, ad alterutrum horum suo modo reduci potest.

V.

II *Accidens dicitur, quod advenit Enti in actu, adeoq; non est de essentiâ rei, sed ei jam constitutæ supervenit.*

VI.

III. *Accidens dicitur, quidquid non pertinet ad Definitiones, atq; hac ratione opponitur prædicatis in Quid, sive Essentialibus. Atq; hi duobus proximis significatis ita stantibus:* τὰ ἴδια πάθη *quoq; dicuntur Accidentia: Vnde illud natum: Demonstrationem esse accidentium. Vbi sanè per Accidentia oportet intelligere, propria rerum affectiones. Communium quippe Accidentium nulla est scientia, & proinde nec Demonstratio.*

VII.

IV. *Accidens dicitur:* τὸ ἐνδεχόμενον, *sive contingens, quâ ratione opponitur* τῷ ἀναγκαίῳ *Necessario: sic dicitur, accidit ut pluat, scilicet, ut hoc tempore pluat, accidit huic ægrotare.*

VIII.

V. *Accidens dicitur id, quod inest sine determinatâ causâ, vel ἀορίστως, vel certè tum atq; eo tempore non habuit causam determinatam, cum accidit. Sic Fortuita accidentia dicuntur 5. Metaphys. c. 30. Inventio Thesauri in agro, nullam habet prorsus causam determinam. Appulsio verò & adventus in Æginam Insulam, tum non habuit causam determinatam, propositum meum, cum vis tempestatum in eam compelleret.*

IX.

VI. *Accidens dicitur, quidquid subjecto inest secundum se, & causam inexistentiæ habet à subjecto, unde inest ei perpetuò positâ causâ: Talia accidentia sunt* ἴδια πάθη, *quæ ex eo* ἰπαρχώδη *dicuntur, quia ab Essentiâ fluunt, & insunt perpetuò*

X.

VII. *Accidentia quoq; illa dicuntur, quæ necessitatem materiæ sequuntur, quamquam sint inseparabilia: puta vestigia, quæ imprimuntur nivi, fumus & fuligo sequens ignem, & quædam Meteorologica.*

XI.

VIII. *Dicta etiam illa omnia Accidentia video, quæ non sunt in primo vel secundo modo per se. Vid. 1. post. c. 4. t. 32. & ita in Phys. quoq.*

XII.

IX. *Secundum modum Accidentis inesse omnia ea dicuntur, quæ simpliciter inesse dicuntur, sine ullâ limitatione aut modo. Ita accipitur vox Accidentis 1. Top. ubi Problema Accidentis dicitur notare simpliciem inexistentiam, & oppo-*

nitur

nitur reliquis Problematum generibus, quæ modum annexum habent vel Generi, vel Proprio, vel Definitioni.

XIII.

Hæc fere sunt Accidentis significata, ex quibus jam fluunt multæ elegantes quæstiones, quarum aliquot proponemus. Ac primum quidem: Cum ens omne in Substantiam & Accidens dispescatur: quæsitum jam diu fuit á Philosophis, Sintne Accidentia verè Entia an non?

XIV.

Entia esse arguit Divisio Entis in Substantias, & Accidentia. Non esse, videtur velle Aristoteles 7. Metaphys. cap. 4. & 5. Distinctione rem sanari posse censemus.

XV.

Sicut ille quoq; locus, qui est 7. Metaphys. c. 1. cum inquit Philosophus: Τὰ δ' ἄλλα λέγεται ὄντα τῷ τὰ μὲν τόδε τι εἶναι, τὰ δὲ ποιότητας, τὰ δὲ πάθη, τὰ δ' ἄλλο τι τοιοῦτον, commodâ interpretatione leniri posse nobis videtur.

XVI.

II. Cum Substantia distinguatur ab Accidente à Philosophis, quod illa rationem subjecti habeat: Accidens verò insit in subjecto: quæritur, an Accidentis Esse sit inesse in altero tanquam in subjecto? Sunt qui affirment. Sunt qui negent. Nos mediâ viâ incedimus, & certâ consideratione verum esse dicimus, quod affirmatur à quibusdam: Accidentium esse esse inesse; certâ item & aliâ consideratione minimè verum esse.

XVII.

III. Quæritur: An Substantia prior sit Accidente omnibus illis modis, quos recenset Philosophus 7. Metaphys. cap. 1. putà λόγῳ ratione, γνώσει cognitione, χρόνῳ tempore, denique Φύσει Naturâ? Videntur enim hæc quoq; dubitari posse, si non omnia, saltem aliqua.

XVIII.

Si enim verum est quod Aristoteles ait 1. de Animâ t. 11. Τὰ συμβεβηκότα συμβάλλεσθαι μέγα μέρος πρὸς τὸ εἰδῆσαι τὸ τί ἐστιν: videntur Accidentia priora esse cognitione, nam per quod aliud innotescit, id eo notius esse extra controversiam esse videtur.

XIX.

Cæterum hoc quoq; ullius, distinctione curari posse, arguant præcedentia Aristotelis verba: cum inquit: Ἔοικε δὲ τὸ τί ἐστι γνωναι χρήσιμον εἶναι, πρὸς τὸ θεωρῆσαι τὰς αἰτίας τῶν συμβεβηκότων τῆς οὐσίας. Ipsius quid est cognitio, multum conferre videtur ad perspiciendum causas eorum, quæ substantijs accidunt.

XX.

An etiam Subſtantia Accidentibus tempore prior ſit, difficultate non caret: tum quia non ſatis conſtat de quâ Subſtantia, de quibus item Accidentibus Ariſtoteles id pronunciet; quia item motum, & Tempus, quæ Accidentia ſunt, æterna alibi Ariſtoteles facit. Cæterum nihil his aut aliis obſtantibus, rectè id pronunciatum à Philoſopho cenſemus.

XXI.

IV. Cum Accidens definiatur per ineſſe in ſubjecto: quæritur, an Accidens poſſit permanere deſtructo ſubjecto? Ajunt Romanenſes, ut adſtruant ſuam Transſubſtantiationem. Negant Philoſophi. I. Quia nullum Accidens poteſt tranſire de uno ſubjecto in aliud, quam ſententiam defendit Thomas tertiâ parte ſummæ Theol. Quæſt. 77. Artic. 1.

XXII.

II. Oſtendi poteſt ex loco Philoſophi noſtri lib. de Longitudine & Brevitate vitæ c. 2. ubi ita Philoſophus: Φθειρομένων inquit, τ ζώων, φθείρεται ἡ ὑπ-σήμη, καὶ ἡ ὑγεία ἐν τοῖς ζώοις: Διὸ καὶ περὶ ψυχῆς συλλογίσαιτ' ἄντις ἐκ τούτων. Εἰ γὰρ ἔστι μὴ φύσει, ἀλλ' ὥσπερ ἡ ἐπιστήμη ἐν ψυχῇ, ἕτω ἡ ψυχὴ ἐν σώματι: ἔσῃ ἄν τις καὶ ἄλλη αὐτῆς φθορά, πλὴν τὴν φθορὰν ἢ φθείρεται, φθειρομένων τῶν σωμάτων. Nam cum animalia intereunt, eorundem & ſanitas & ſcientia corrumpitur. Quocircâ & de animâ per hæc ratiocinari quiquiam poſſit. Nam ſi anima haudquaquam natura ſubſiſtat, ſed ut ſcientia in anima, ſic & anima in corpore ſit, erit nimirum ipſius quædam alia corruptio quoq; præter eam, qua cum corpus interit, corrumpi ſolet.

XXIII.

Vbi diſertè adſerit Ariſtoteles, Corrupto Subjecto corrumpi quoq; Accidentia, & ex eo concludit, animam non eſſe in ſubjecto, quia ſublato corpore & pereunte, ipſa non intereat.

XXIV.

Non longè abit hinc Quæſtio illa: an Accidentiu quoq; ſit Accidens? Negat Ariſtoteles diſertè 4. Metaphyſ. t. 14. implicitè 1. Poſt. cap. 19. cum negat Qualitatis eſſe qualitatem; negat Scaliger, negant alij. Credo ideo, quia Accidentis Naturæ repugnet, eſſe in ſubjecto ſimul, & eſſe ipſum ſubjectum. Videntur enim hæc duo implicare contradictionem: Si enim Accidens eſt ſubjectum, Accidens erit Subſtantia: cum tamen inter immediatas propoſitiones alias referatur hæc: Nulla Subſtantia eſt Accidens, & vi convetſionis, nullum Accidens eſt Subſtantia.

XXV.

Quid ſi dicamus? Accidens quidem non ineſſe Accidenti, ut ſubjecto, ſed ordine

dine tamen quodam Substantiæ Accidentia inesse, & unum quidem per & propter alterum.

XXVI.

Sanè Quantitas dicitur δεύτερον ὑποκείμενον ex eo, quia corporeæ qualitates insunt Substantiæ, mediante Quantitate. Et color sanè primò inest superficiei.

XXVII.

Explicat hoc eleganter Ammonius : ἡ πρώτη, *inquit,* ὕλη ἀσώματός ἐστι, καὶ ἀνείδεος, καὶ ἀχημάτιστος πρότερον ἐξογκωθεῖσα ποιότητι καὶ ταῖς τρισὶ, καὶ σώματος δέχεται, καὶ γίνεται τριχῇ διαστατόν. ὃ φησιν Ἀριστοτέλης δεύτερον ὑποκείμενον, εἶθ' ὕστερον δέχεται τὰς ποιότητας, καὶ γίνεται σύνθετον, καὶ ποιεῖ τὰ στοιχεῖα. οἷον τὸ τριχῇ διαστατὸν, δεξάμενον θερμότητα καὶ ξηρότητα, γίνεται πῦρ. ψυχρότητα δὲ καὶ ὑγρότητα γίνεται ὕδωρ· καὶ τἆλλα ὁμοίως.

XXVIII

Simplicius rotundius : Τὸ ποσὸν, *inquit,* τοῖς ἄλλοις κατηγορίαις προτέτακται, ὅτι προηγεῖται τὸ διαστατὸν ἄποιον, τῆς ἐν αὐτῷ ἐγγινομένης ποιότητος.

XXIX.

Neq; verò solum hoc in corporeis accidentibus obtinet, sed & in spiritualibus, ut sic loquar, atq; Animæ accidentibus. Habitus enim immediatè suis inesse videntur potentijs, ad quas juvandas ordinantur. Præbent enim facilitatem & inclinationem potentijs.

XXX.

Atq; hoc faciunt formaliter, si formaliter : ergo informant potentias ; si informant : ergo immediatè in ijs recipiuntur & proximè.

XXXI.

Quo posito sequitur & alterum : nimirum unum Accidens verè posse exercere causalitatem, respectu alterius sibi proportionati Accidentis, quia videlicet unum Accidens, quod ab alio recipitur, pendet ab eo in Esse & fieri non tamen ut ab Efficiente : V. G. Quantitas non facit albedinem efficienter, sed albedinem ab alio efficiente introductam, recipit tamquam formam se informantem, unde ipsa Quantitas hoc modo materiæ rationem induit.

XXXII.

Atq; hoc non diffitetur Scaliger, nam veluti sui oblitus, à veritate ipsâ compulsus c. 6. lib. 3. Commentar. in Theophrastum de caussis plantarum, disertè docet : lævoris affectum esse nitorem.

XXXIII.

Porrò, quia Substantia & Accidens sunt membra Divisionis ἀντιδιηρημένα :

quæ in se invicem transmutari non dicuntur, quæritur, an quod uni est substantiale, alteri possit esse Accidentale?

XXXIV.

Negant viri magni, partim inducti loco Philosophi 1. Phys. c. 3. t. 27. Ἐν ᾧ γὰρ ἅπερ ὂν μηδενὶ συμβέβηκεν, ἀλλ' ἐκείνῳ, & t. 30. Ἀλλὰ τὸ ὅπερ ὂν οὐδενὶ μηδενὶ συμβέβηκός.

XXXV.

Nos locis illis nihil obstantibus, qui longè alium sensum habent, affirmamus: nihil esse absurdi, id, quod uni sit substantiale, alteri esse accidentale.

XXXVI.

Docuit hoc disertè Philosophus 7. Metaphys. c. 4. t. 11. & 12. Quærit ibi quæ sint prædicata Essentialia, & respondet esse illa, quæ pertineant ad rei ὅτι, sic, ut secundum ipsum de re dicantur. Sic Rationale est prædicatum hominis essentiale, quia καθ' αὐτὸ dicitur de homine.

XXXVII.

Contra, Musicum, ait, esse prædicatum accidentale, quia Homini Esse non sit Musicum esse, sed aliud quid. Porrò subjungit: fieri potest, ut unum idemq; prædicatum sit de hujus quidem essentiâ, de alterius non: V. G. figura sphærica Cælo est essentialis, ut patet 2. Cæli t. 22. ligno verò aut ari accidit. Quomodo hic discerni potest, quod huic quidem prædicatum tale sit substantiale sive essentiale, alteri verò tantum accidentale?

XXXVIII.

Regulam tradit Grammaticam: Si prædicatum illud, inquit, junctum alteri, amittat suum nomen, & transeat in aliud, indicio est, Prædicatum illud esse Essentiale composito: sin verò & παρονύμως sive adjectivè de re prædicetur, nomenq; suum retineat, ex eo apparet esse prædicatum essentiale. V. G. Calor accedens ad chylum, amittit nomen, non enim dicitur Chylus calidus, sed dicitur sanguis. Idem calor ubi aquæ accedit, non adquirit novum nomen: neq; enim dicitur novo nomine, sed παρονύμως de aquâ prædicatur; dicitur enim aqua calida. Unde apparet, Calorem aquæ accidere, sanguini non item.

XXXIX.

Illud quoq; disputatum inter Philosophos: An ex Substantiâ & Accidente fiat unum per se, quemadmodum ex Materiâ & formâ. Nobis negativa placet. Ea enim tantum dicuntur facere unum per se, ex quorum unione resultat idem esse.

XL.

At verò Esse Substantiæ distinguitur ab esse Accidentis. Nam τὸ εἶναι Substantiæ est, per se subsistere. Accidentis verò in alio & per aliud.

Denig;

XLI.

Deniq; illud quoq; conſiderare lubet: An plura Accidentia ejusdem ſpeciei, poſſint eſſe in eodem ſubjecto. Negare id multi conantur ex 5. Metaph. t. 16. ubi dicit: Diverſa eſſe, quæ ſint in eadem ſubſtantiâ, unde concludunt, ſi eadem ſint, conſiſtere in unâ non poſſe.

XLII.

Sed locus ille parum juvat. Nobis alia fundamenta ſunt, cur id fieri poſſe negemus: Vno nunc contenti ſimus. Si poſſibile eſſet, duo ejusdem ſpeciei Accidentia ſimul eidem ineſſe ſubjecto, poſſibile quoq; eſſet, infinita ſimul ineſſe. Sed hoc eſt abſurdum. Ergo & illud.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

CAuſa unde motus, non omnis eſt efficiens.

II.

Imaginationem etiam â rebus externis moveri poſſe cenſemus, non moto ſenſu.

III.

Accidentia eadem, ſi ſint in diverſis ſubjectis, quia diverſa nomina ſortiuntur, videntur etiam ſpecie differre: v. g. curvitas in crinibus dicitur criſpitudo, in pedibus clauditas. Tumor in naſo non dicitur gibboſitas, ut inſpinali medullâ, ſectio ligni non dicitur vulnus, ut ſectio, quæ fit in corpore animalis.

DISPU-

DISPUTATIO XLIX.

MICHAELIS PICCARTI

CENSURA

DIALECTICÆ NOVORUM PHILOSOPHORUM IN THESES CONIECTA.

Respondit

Christophorus Scoinsky, Polonus.

THESIS I.

QUANTUM *in reprahendendo Aristotele, & ejus Philosophia, Novi Philosophi desudarint, quantùmque operæ posuerint, in vulgus jam notum est: recténe autem, an secus fecerint, de eo nondum liquet.*

II.

Quam sententiam nos hac disputatione nostra renovaturi, videamus an ipsi reprahensione careant. Certum namque est, ei, qui alium reprahendere velit, omninò operam dandam esse, uti ipse reprahensione careat, nisi omnibus ludibrio esse velit, & fieri notissima fabula vulgo.

III

Eos verò non carere reprahensione, ex eo constat: Quòd multa confuderint, plura omiserint, plurima denique vitiosè tradiderint.

IV.

Confusio ista primum apparet, in cognitionis discriminibus non animadversis, quæ ab Aristotele triplex constituitur.

V.

Prima cognitio clarissima est principiorum Theoreticorum & Practicorum, quæ pertinent ad omnes artes & scientias. Sic omne totum suâ parte majus est. Omnis propositio aut vera est, aut falsa.

VI.

Atque hic habitus, quo hæc principia intuemur, ab Aristotele νοῦς appellatur, & lib. 2. post. cap. ult. summo artificio pertractatur.

Altera

VII.

Altera cognitio clara quidem est, sed tamen superiore obscurior, & à priore dependet, versatúrque non in principijs, sed in conclusionibus, ex illis principijs deductis, aut Immediatè, aut Mediatè, quæ omnes conclusiones cognoscuntur διεγημονικῶς.

VIII.

Ad hanc cognitionem pertinent omnes habitus Dianoetici: Scientia, Prudentia, Sapientia, Ars, præter νῦν. Primo tamen & κυρίως Scientia. Quomodo autem hæc cognitio comparetur, Aristoteles itidem docuit in posterioribus Analyticis, cum docuit, quomodo res ad suam causam, & πρῶτον δεκτικὸν reducendæ sint.

IX.

Tertia cognitio tenuis est & obscura, cúmque magna dubitatione conjuncta, pertinètque tantum ad opinionem, quæ & vera & falsa esse potest, ambigit & periclitatur, éstque hæc cognitio, tanquam si in loco tenebricosis & à sole remoto constitutus sis.

X.

Hæc cognitio quomodo acquiratur & comparetur, tradere non neglexit Aristoteles, sed diligentissime in Topicis persequutus est.

XI.

Ast novi Philosophi, quomodo de hac cognitione tradiderunt? qualia præcepta dederunt? Nulla profecto, & si aliqua sunt, tamen propter summam confusionem, quam in ea re cernere quivis oculatus facilè potest, ad laudem Aristotelicæ tractationis non accedunt.

XII.

Ad primam cognitionem quod attinet, quod eò faciat, nihil præter inductionem videas, neque tamen hoc satis aut sufficienter; non enim aliquid universè & in genere tractare sufficit, nisi etiam distinctio, in tractatione & traditione ejus rei adhibeatur.

XIII.

Nulla ergo hæc tractatio de Inductione, nisi inter Dialecticam & Apodicticam Inductionem distinguendo, requisita & affectiones utriusque ostendendo, natura ipsius aperiatur.

XIV.

Et demus sanè, eos de Inductione sufficientissimè dixisse & tractasse: hoc tamen nondum satis est, ad clarissimæ cognitionis naturam eruendam & manifestandam. Nam de principiorum quoque habitu, quomodo scilicet comparetur, aliquid dicendum est.

XV.

Quid de Memoria, de Sensu, de Experientia, quid de alijs, quæ eodem pertinent, & cognitionis clarissimæ naturam aperiunt, dicam? Horum certè omnium nova Philosophia, ne unico quidem usquam verbulo meminit.

XVI.

Secundam cognitionem, quæ conclusionum est, pertractavit eadem Philosophia, meo judicio satis confusè, & non sine errore, quin vix eam attigit, de quo postea.

XVII.

Tertiam maximè videtur voluisse attingere, sed plurima ad eam pertinentia omissa sunt. Vbi enim περιχνολογία? Vbi loci comparationum? Vbi loci proprij? Generis, Accidentis, Definitionum? Vbi de veterum more interrogandi & respondendi?

XVIII.

Nescio tamen, an major in totam Philosophiam invehi potuerit error, quàm quo omnia Dialectices & Apodixeos discrimina neglexêre. Nullam enim unquam inter hæc duo tam diversa Organa differentiam somniant, quod tamen fieri omninò necesse erat. Quæ ignorantia juncta cum insolentia, tot nobis tamen peperit in Aristotelem animadversiones.

XIX.

Minus etiam distinguunt inter λογικὴν tractationem & φυσικὴν: sive πραγματώδη, quod discrimen neglectum, eos in errorem multiplicem conjecit.

XX.

Motum Logico tribuunt, adimunt Physico, non ex suis principijs, multo minus ex Aristotele.

XXI.

Sed ad alterum propositæ disputationis membrum, in quo de ijs, quæ à novis Philosophis pravo consilio omissa sunt agetur, accedamus. Et primum Categorias ejecêre ex Logico agro per vim & violentiam, jure adjuti nullo.

XXII.

Quomodo Topicos libros circumciderint, & pro corpore σκελετὸν nobis reliquerint, dictum est suprà.

XXIII.

Vt enim de primo nihil dicamus, mediorum librorum, quàm misera est & exsanguis apud ipsos tractatio? cum tamen omnes illi loci, de examinandis rectè, Accidente, Genere, Proprio, Definitione & alijs, summoperè sint necessarij, & cum

Digitized by Google

& cum ad agendum cum vulgo, tum & ad cum ſapientibus diſputandum & converſandum utiliſſima.

XXIV.

Elenchos quoque Sophiſticos civitate ſuâ expulere, propterea quod vitij doctrina, in virtutis ſit alienâ & heterogeneâ, quaſi verò vitij ſit hæc doctrina, inſtruere eum, qui diſputare velit, quomodo inſidias & griphos ſophiſtarum effugiat, eisque ſeſe opponere poſſit, quaſtiq; hoc axioma ſit, quod aſſerunt.

XXV.

Sed hæc fortaſſe leviora ſunt. Illud intolerabile omnino, quod Demonſtrationem, in quo arx collocanda humanæ ſapientiæ, etiam omnino tollant. Atqui ſublata demonſtratione tollitur λόγος διδασκαλικὸς, tollitur φιλοσόφημα, tollitur rerum ſcientia, tollitur denique omnis definitio, quæ ſola ἅτε terminorum à Demonſtratione differt.

XXVI.

Dicas: Quomodo ſublata demonſtratione λόγος διδασκαλικὸς tollitur? Docere eſt nexum Principiorum neceſſariorum, & concluſionum oſtendere. Atqui hoc eſt apud Ariſtotelem demonſtrare.

XXVII.

De ratione verò definiendi num aliquo verbo meminerunt? Nullo, quod ſciam, profectò. Atqui ſcire τὸ τι ἐστι eſt terminum cognitionis habere. Cur igitur non directè & apertè profitentur ἀκαθαληψίαν?

XXVIII.

Ad extremum, ab ipſis plurima vitioſè & perperam tradita eſſe, id quod tertio loco in hac diſputatione nobis agendum propoſuimus, etiam oſtendamus, ſiquidem multa cõfudiſſe, multa eos omiſiſſe, dictum ſatis & abundè oſtenſum eſt.

XXIX.

In ipſo limine Ramææ Logices, quod eſt definitio, habemus omninò, quod deſideremus, immò Definitionem totam, quanta quanta eſt, vitioſam eſſe aſſerimus, id quod & definitum, & definitionem ipſam conſiderantes, facilè comperiemus.

XXX.

Ipſum enim definitum, quod Dialecticæ nomine continetur, nusquam fortaſſe ita apud Ariſtotelem acceptum reperies, ut utramque Organi partem, & Dialecticen & Apodicticen complectatur.

XXXI.

Quia de Genere hujus definitionis, quod illi ARTEM eſſe volunt, dicam. Hoc quidem certè, ſi definitionem ARTIS ab Ariſtotele lib. 6. Eth. cap. 4. traditam inſpiciamus, conſiſtere nullâ ratione poteſt.

XXXII.

Benè etiam, BENE *ſuo addito, ſupersedere potuiſſent. Differentia quoque miſera eſt, & ad eorum inſtitutum inepta.*

XXXIII.

Atqui meminiſſe debebant, cum inſtrumenti vim & naturam definiendam ſibi ſumpſiſſent, uſu eos definire debuiſſe, qui uſus eorum eſt Eſſentia, ut rectè monuit Maſſaria.

XXXIV.

Diviſio meliori laude vix eſt digna : primum, quia nulla eſt. Secundo, ſi eſſet, tamen communis eſſet.

XXXV.

Pari ratione Definitionis & Syllogiſmi definitionem, quorum utrumque ab illis per rationem aut Dianoian definitur, omnino reprehendimus, propterea, quod non ultimo & perfectione ſua definiverunt.

XXXVI.

Cauſſam definiunt, quæ definiri non poteſt : ſi deſcribi tamen poſſe concedamus, nihilominus malè ab illis deſcriptam videmus.

XXXVII.

Genus, quod definiunt totum partibus eſſentiale, neque Logicè rectè definitum eſt, neque Phyſicè.

XXXVIII.

Cauſſas diſtinguunt notis quibusdam verborum, & reprehendunt tamen Ariſtotelem, quod Principiorum numerum in Phyſ. diſtinctione verborum definiat.

XXXIX.

Subjectum cum objecto non rectè confundunt, quanquam interdum videantur pro eodem accipi poſſe.

XL.

Capellas ſuas κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, *&* καθόλου, *artibus, & artium præceptis accommodant promiſcuè & ſine diſcrimine, quas Ariſtoteles ſapienter ſolum voluit notas eſſe propoſitionum Apodicticarum.*

XLI.

Signa propoſitionum negligunt, commenta Philoſophorum ſine uſu dicentes. Atqui nobis ex Ariſtotele longè videtur aliter.

XLII.

Plura forent, quæ ſub limam revocari poſſent, ſed vel hæc ſufficienter docere cenſorem & judicem non iniquum poſſunt, eos in reprehenſione Ariſtotelis corni-

cornicum oculos confixiſſe, & dum ei rei operam darent, rectius facturos fuiſſe, ſi vel cucurbitas interea pinxiſſent.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

PRINCEPS rectè facit, imperij ſedem premendo, & belli gerendi curam Duci demandando.

II.

Dux conſilijs adſit exercitui, non manu præſit, niſi extrema urgente neceſſitate.

III.

Non videtur ex dignitate militari, fœminam in caſtra maritum comitari.

IV.

Unius in Republica civis, & potentia nimia, & inopia, nimia formidoloſa. Itaque illa circumcidenda, hæc munificentia Principis ſublevanda.

V.

Peſſima conſilia, ut olim: ita & hodie quoque pulcherrimis nominibus teguntur.

VI.

Prudentis eſt Principis, pœnas per alios inferre, præmia ipſummet conferre.

VII.

Rectè Virgilius: Dolus an Virtus quis in hoſte requirat. Dolum tamen eum intelligimus, quem Clariſs. Albericus Gentilis probavit, repudiato dolo nefario &c.

(o)

DISPUTATIO L.

MICHAELIS PICCARTI

De

IVRE BELLI.

Respondit

Johannes Carolus Rieter / von Kornburg.

THESIS I.

RECtè Vocula apud Tacitum : a) *Esse aliquod fas & armorum, & ius hostium, & id jam ante monuit apud Livium* b) *Camillus : Sunt, inquit, & belli sicut & pacis jura, justèq; non minus ea, quàm fortiter didicimus gerere.*

a) 4. Hist. cap. 56. b) lib. 5.

II.

Quod ipsum & Ciceroni a) *placuit : adserit enim : in Republicâ vel maximè conservanda esse jura belli. Tacitus* b) *Belli commercia vocat. Verba ejus sunt : Ad septuaginta millia civium & sociorum, ijs, quæ memoravi locis occidisse constat : Neque enim capere, aut venundare, aliudvè quod belli commercium : sed cædes, patibula, ignes, cruces festinabant. Virgilius belli leges appellat :*

At belli saltem captivam lege necasses.

Græci χειρῶν νόμον *dicunt, aut* πολέμου νόμον.

a) 1. off. b) 14. Annal. c. 33. c. in Cir.

III.

Hujus juris armorum sparsi, per omnes Historicos quadam capita visum est proponere, & ea quidem numero tria. I. Erit : inter quos sit bellum ? II. Quæ justæ belli caussæ ? III. Quomodo gerendum ?

IV.

Primi capitis tractationem sumemus ex ipsâ voce Belli. Bellum enim dictum Grammatici volunt, quasi duellum, a) *sicut & Bonus dicebatur & duonus, & mansit vox vetus in Perduelli, definiturq; exinde bellum, quod sit inter duos pares, justa publicorum armorum contentio. Hoc stante erit Bellum inter Principes populosvé liberos : Hi enim pares inter se.*

a) Varro

a) Varro 6. de L. L. Item Cic. Orat. Priſcian. lib. 6. Horat. Epiſt. ad Lollium: Græcia barbatiæ lento colliſa duello. Et Liv. lib. 1. de raptis rebus: puro pioq; duello quærendas cenſeo.

V.

1. *Non igitur bellum gerere poſſunt privati ſine publico ſcitu, quia non ſuis juris, ſed ſub poteſtate Magiſtratus: itaq; capitale hoc attentantibus eſſe Plato* a) *voluit, Romani* b) *læſæ majeſtatis tales poſtularunt. Certè Cæſarem, quoniam adverſus Gallo, injuſſu Senatus ac populi, bellum geſſit, Cato* c) *Vticenſis reum facere voluit, cenſuitq; in Senatu: legiones Romanas domum revocari: Cæſarem verò Gallis dedi oportere; an rectè, infrà videbimus.*

a) 12. de L. L. b) l. 3. ad L. Jul. Majeſtatis & alibi. c) Plutarch. in Caton. min. in comparatione Craſſi.

VI.

Et valdè exaggerant hoc, Manlij, Aſiæ Proconſulis, accuſatores apud Livium: a) *Gallo græcis, inquit, bellum illatum, non ex Senatus auctoritate, non ex populi juſſu, quod quis unquam de ſuâ ſententiâ facere auſus eſt. Plura vid. apud ſcriptores Politicos, qui & conatus tales non bella, ſed latrocinia dixerunt, ſicut & Iuriſconſulti.* b)

a) l. 38. b) l. Hoſtes 118. ff. V. S. l. Hoſtes. ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.

VII.

11. *Non eſt bellum cum latronibus, prædonibus, aut piratis, quamquam magnos habeant exercitus, & proinde nec ulla cum illis belli jura. Illuſtris in hanc rem Taciti* a) *locus de Tacfarinate Numidâ: Tacfarinas, inquit, quamquam ſæpius armis Romanis pulſus, reparatis per intima Africæ auxilijs, huc arrogantiæ venerat, ut Legatos ad Tiberium mitteret &c. Subijcit deinde: Non alias magis ſuâ, populiq; Romani contumelia, indoluiſſe Cæſarem C. Tiberium ferunt, quam quod deſertor & prædo hoſtium more ageret.*

a) 3. Annal. c. 37.

VIII.

Additq; exemplo permotum: Ne Spartaco a) *quidem, poſt tot conſularium exercituum clades inultam Italiam urenti, quamquam Sertorl, atq; Mithridatis ingentibus bellis laboret Reſpublica, datum, ut pacto in fidem acciperetur: nedum pulcherrimo populi Romani faſtigio, latro Tacfarinas, pace & conceſſione agrorum redimeretur.*

a) Vid. Appian. 1. Civil. Plutarchum in Craſſo Florum lib. 3. cap. 21.

Non

IX.

Non tertiò bellum est cum rebellibus aut fugitivis, in quos etiam, si jura belli non valeant, sibi imputare debent, nisi gravissimas fortè habuerint defectionis sive rebellionis causas, puta cum Princeps mutare possessionis statum præsumit, & cui civile imperium permissum erat, dominicum affectat.

X.

Videtur enim eo casu palàm, Princeps, pro hostibus legitimis eos habere, & jura belli cum ijsdem exercere. Atq; hæc de primo capite.

XI.

Sequitur alterum caput de caussis belli, quæ justas esse oportet. Diximus enim Bellum esse debere justam contentionem. Iustitia verò caussarum in his ferè consistere videtur. I, si dubitatio sit de jure partium, & aliâ ratione decidi controversia nequeat. Atq; in tali dubitatione justum utrimq; esse potest bellum, ut tradunt Fulgosius a *) & Alciatus,* b *) quamquam reverâ altera pars justitiam pro se habere non possit, censente ita Did. Covarr.* c *)*

a) ad l. ex hoc jure. ff. de just. & jur. b) l. 2. Paradox. c. ult. c) c. peccatum 2. p. Relect. §. 10. n 6. T. de R. J. in 6. â.

XII.

Prius membrum præcidit libidinem belli gerendi; si enim nulla sit dubitatio, caussam belli gerendi nullam habemus, certè non justam: neque enim ampliandi imperij studium, justam belli gerendi caussam subministrat: Tyrannus quippe est, qui, ut loquitur Iornandes, a *) optat mundi generale servitium, & ambitum suum brachio metitur, superbiâ licentiam satiat, jusq; fasq; contemnens, hostem se exhibet naturæ cunctorum. Vnde fit etiam, ut plerumque maximum sit illis discrimen, penes quos aurum, & opes, præcipuæ bellorum caussa, ut loquitur alicubi Tacitus.* b *) Rectèq; adeo Hannibal* c *) etiã armatus ad Scipionem dicebat: Optimum fuerat, eam Patribus nostris mentem à Dis datam esse, ut vos Italiæ, nos Africæ imperio contenti essemus. Neque opinio, qua putamus cogendos barbaros ut nobis serviant, quâin in parte à Philosopho nostro recedimus.*

a) l. de Reb. Geticis. b) l. 4 Hist. c. 74. c) Liv. l 30.

XIII.

Alterum membrum adjectum: suadet omnia prius experienda alia & mitiora remedia, quàm ad arma deveniatur. Eleganter in hanc rem Libanius: a *)* πρῶτον μὲν γὰρ τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, εἶτα μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιπηδᾶν, ἀνθρωπινώτερον δοκοῦν: *Primum enim non statim ad arma tuere, magis verò verbis experiri oportet, possisne, quod jus est, obtinere, id*

profe-

profecto homine dignius. Et Herennius apud Livium: Iis iustum est bellum, quibus necessarium, & pia sunt arma, quibus nulla nisi in armis spes relinquitur.

a) in declam. Menelai ad Trojanos. b. l. 8.

XIV.

Quod suadere etiam debent incommoda, quæ bellum circumstare & comitari solent: nam, ut eumdem rursus loquentem introducam Menelaum Libanium: οὐκ ἄξιον, ὧν εἷς ἠδίκησε, πάντων τὴν δίκην λαμβάνειν, ὅπερ εἰς πολέμων κατάστασιν ἀναγκαῖον ἤδη γίγνεται· ἐ γὰρ ἔνεστι τοὺς αἰτίους καὶ τοὺς φαυλοτέρους κρίνειν. ἀλλ' ἀνάγκη τοὺς πεπλωκότας ὁπολωλέναι. Non æquum videtur, quæ unus aut pauci peccarunt, horum nomine ab universis pœnam expetere, quod tamen, si bellum suscipiatur, necesse est accidere. Non enim ibi vacat insontibus parcere, & peiores animadvertere: sed intereat necesse est, quisquis ceciderit.

XV.

Sive malis Tacitum a) hæc latinè narrare; Ita apud illum Cæcinna: In pace causas & merita spectari: ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios juxtà cadere.

a) 1. Annal. c. 48.

XVI.

Accedit, quod, dum nostras injurias persequi armis volumus, subditis nostris maximam injuriam inferimus, in discrimen vitæ fortunarumq; adducendo, ne quid de Martis ἀλοσφοσκίᾳ dubio dicam eventu.

XVII.

Quid, quod non in ejusdem manu positum est, bellum sumere & ponere. Gravissimè in hanc rem Græci quidam apud Polybium a) Ætolos monent, ne bellum Philippo inferant: Καθάπερ, inquiunt, ὅταν τὸ πῦρ, ὅταν ὑφάψῃ τις ἅπαξ τὴν ὕλην, οὐκέτι τὸ λοιπὸν ὅπῃ τῇ τύχῃ προαιρέσει γίγνεται τὸ συμβαῖνον, ἀλλ' ἤ ποτ' ἂν πύχῃ λαμβάνει τὴν νομήν, τὸ πλεῖον τοῖς ἀνέμοις κυβερνώμενον, καὶ τῇ τὴν ὑποκειμένης ὕλης διαφθορᾷ. ἢ πολλάκις ἐπ' αὐτὸν ἐμπεσόντα πρῶτον ὥρμησε προδάλογος. τὸν αὐτὸν τρόπον ἢ ὁ πόλεμος ὑπό τινων, ὅταν ἅπαξ ἁφθῇ, τότε μὲν ἀνεύς τέλους πρώτης ὑποπίπτει· πότε δὲ φέρεται φθείρων ἀδίκως πᾶν τὸ προσπεσόν, ὡς ἀεὶ καινοποιούμενος καὶ προσφυσώμενος. ὥσπερ ὑπ' ἀνέμων ὑπὸ τῆς τῶν πλησιαζόντων ἀγριότητος, hoc est. Nam quod in igne fieri amat, ut posiquam semel aliquis aptam ei concipiendo materiam accenderit, de cætero non amplius in ejus arbitrio rei eventus sit positus, sed quò tulerit casus fortuitus, latè grassetur incendium, prout ventorum, qui in tali re plurimùm valent, flatus impulerint, & subjectæ materiæ conflagratio induxerit; sæpè ut præter omnium opinionem, ipsum auctorem incendij

primùm flamma invadat: sic etiam bellum, ubi semel à quibusdam est accensum, ipsos quidem, qui ante omnes alios excitarunt, statim perdit; interdum verò per, quicquid est ovium immeritò devestans, omnia latè fertur, velut novas subinde vires adquirens, & stultitia proximorum populorum non secus ac flatu ventorum irritatum.

a) lib. XI.

XVIII.

Animadvertit hoc prudenter Hanno Carthaginiensis apud Livium, a) *cum enim Saguntum Hannibal temerario ausu obsideret, civitatem sociorum Populi Romani, Hanno in Senatu ita peroravit: Vos juvenem flagrantem cupidine regni, viamq; unam ad id cernentem, si ex bellis, bella serendo, succinctus armis legionibusq; vivat, velut materiam igni præbentes, ad exercitus misistis. Aluistis ergò hoc incendium, quo nunc ardetis. Saguntum vestri circumsident exercitus, unde arcentur fœdere: mox Carthaginem circumsidebunt Romanæ legiones, ducibus ijsdem Dijs, per quos, priore bello, rupta fœdera sunt ulti. Carthagini nunc, Annibal, non Sagunto vineas turresq; admovit: Carthaginis mœnia quatit ariete. Sagunti ruinæ (falsus utinam vates sim) nostris capitibus incident, susceptumq; cum Saguntis bellum, habendum cum Romanis est. Hæc & alia ibi Hanno.*

a) Decad. 3. l. 1.

XIX.

II. Iustitia belli gerendi consistit in eo, si sine ullâ causâ nostris prohibeamur commodis, verbi gratia commercijs. agro, mari, portubus, maximè ubi caverimus de damno: quo pertinet si itinere prohibeamur & transitu, in alios arma ferentes, caventes de maleficio. Atque hoc bellum jus Naturæ excusat. Ita enim Trismegistus: a) *In portubus, navigationibus, communicationibus, commoditatibus, alternæ humanitatis nexus est fortissimus. Et Seneca:* b) *Deus omnibus inter se populis per ventum commercium dedit, & gentes dissipatas locis miscuit: ingens beneficium, si illud in injuriam suam non vertat hominum furor.*

a) l. de Nat. Deor. b) lib. 5. Nat. Quæst. c. 18.

XX.

III. Iustè bellum gerimus, si injurijs atrocibus prius affecti fuerimus, aut legati nostri atrociter violati, aut ipsi priores bello appetiti: Vim enim vi repellere semper licuit, & nihil justius, quàm jus suum sibi vindicare. Cavendum tamen I. ne ob levem injuriam ad bellum & arma deveniatur: Gravissima enim remedia, non nisi gravissimis morbis applicare, volunt Medici; unde non sine stomacho Tacitus a) *alicubi: Discordia raptu frugum, & pecorum, inter agrestes jam per ar-*

per arma atq; acies exercebantur, Atq; hæc necessaria est defensio. II. Ne causæ nimis veteres accersantur: sic enim semper causæ aliquæ afferri possent, nec bellorum finis ulla foret.

a) 4. Hist. c. 50.

XXI.

IV. Iustus quoque metus, justum facit bellum, puta si metus sit, ne, si opprimus, opprimaris: siquidem teste Dionysio a) ratio imperiorum hæc quoq; est, ne noceri possit, & rectè Livius: b) Major spes majorq; animus inferentis vim quàm arcentis, siquidem auctore Vegetio c) ubi hostis prævenerit, metu universa turbari solent. Videatur oratio Mitylenæorum contrà Athenienses apud Thucydidem. d)

a) l. 6. b) l. 21. c) l. 3. c. 4. d) l. 3.

XXII.

Quando verò justus est metus? cum non est suspicio tantum, sed signa concurrunt, quæ faciant nos timere: sunt enim aliqui ita meticulosi, qui etiam umbram suam horreant: sunt rursum aliqui ita suspicaces, ut periculum à vicinis sibi imminere putent, quibus nihil tale in mentem umquam venerit.

XXIII.

Quia tamen, quæ privati in hostes moliuntur, per Magistratum restitui possunt, quæ Princeps in Principem, aut populum, non tàm facilè resarciuntur, etiam leviores causas metus ad justitiam hanc valere censeo. Quod si apud Ciceronem a) Mucius rectè sentit: servis semper liberum fuisse suo potius, quàm alieno timere arbitrio, quidni & Principi idem liceat, in quem cura totius populi incumbit & salutis publicæ?

a) lib. 11 Ep. ad Fam. 28.

XXIV.

V. Ex hoc justo metu, justè quoq; defendis socium, si is bello appetatur ab ambitioso aliquo Principe, quia videlicet Res tua agitur, paries cum proximus ardet, & timendum ne illo oppresso, te quoq; illa calamitas maneat.

XXV.

Viderunt hoc Campani, & pro suâ defensione apud Livium a) asserunt, pro Sidicinis contrà Samnites pugnantes: Pugnavimus, inquiunt, verbo pro Sidicinis, re, pro nobis, cum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti, & ubi conflagrassent Sidicini, ad nos trajecturũ illud incendium esse.

a) l. 7.

XXVI.

Quid, quod socium simpliciter defendere, etsi hic metus non intercurrat, honestum est, vel solâ ratione cognationis, quam homini cum homine natura

esse voluit: Qui enim civium tantum dicunt rationem habendam, exterorum, negant, hi dirimunt generis humani communionem & societatem. Quod si etiam omnes in universum homines, unius Mundi, tamquam magnæ alicujus civitatis cives & membra sumus, quis nobis erit exterus aut peregrinus? Quare & verè & eleganter Baldus: a) *Culpa est defensionem alterius omittere, sui dolus.*

a) 4. Consil. III. l. 1. C. de serv. fugit.

XXVII.

Inprimis autem consœderatum, & cui fidem defensionis dedimus, juvare tenemur, quin illo quoque casu, cum nihil illâ de re in fœdere cautum fuerit: illos quoq;, qui ejusdem nobiscum gentis, aut sanguinis, aut originis: Deniq; & illos, qui ejusdem religionis.

XXVIII

Sociamur enim magis unitate religionis, quàm aut communione naturæ, aut fœderum pactione: Vnitas enim Religionis ad conscientiam provocat: naturæ communio ad originem, fœderum pactio ad leges: Conscientiæ autem integritatati maximè studendum, ut eleganter Orosius, a)

a) lib. 5. c. 2.

XXIX.

An verò subditos adversus Principem suum tueri liceat, si premantur ab eodem, & ad aliam religionem vi adigi velint? altioris est quæstionis, & pro affirmativâ stamus: non enim videmus causam diversitatis.

XXX.

Quin absolutè pronunciare nihil veremur: licere Principi juvare subditos alterius Principis, si vim injustam patiantur, quamvis & ipsi injustam causam habeant: potest enim quandoq; Medicina modum, hoc est, pœna delictum excedere. Magis verò licet & fas est, si sine causâ durius habeantur, & hoc quidem Ius, Hercules olim repræsentavit, qui ex eo dictus est monstrorum, hoc est Tyrannorum domitor.

XXXI.

Favet Seneca, a) *cujus hæc sunt verba: Quidquid erat, quo mihi cohæreret, interciſa juris humani societas abstulit: si præstitisset quidem mihi aliquid Tyrannus, sed arma patriæ meæ inferret: quidquid meruerat, perdidisset, & referre illi gratiam scelus haberetur. Si non patriam meam impugnat, sed suæ gravis est, & sepositus à meâ gente, suam exagitat, abscidit nihilominus illum tanta pravitas animi, priorq; mihi ac potior est ejus officij ratio, quod humano generi, quàm quod uni homini debeo.*

a) l. 7. de beneficijs. c. 19.

Deniq;

XXXII.

Deniq; vel maximè justam pro Religione bellum est, quia DEVS *imperat, semper autem illud belli genus justum est, quod* DEVS *imperat, inquit Augustinus.* a) *Non autem id justum, quod cogere vult ad religionem: Fides enim suadenda* b) *non imponenda, verbis hoc est doctrina, non verberibus aut armis constituenda.*

a) Quæst. 10. in Josuam. b) Bernhard. in Cantic. serm. 66.

XXXIII.

Vnde nec Princeps subditos ad suam religionem bello cogere potest, nec subditi Principem ad suam: Quia religionis jus, est propriè non hominibus cum hominibus, sed hominibus cum Deo. Non igitur habent homines, quod conquerantur de jure suo violato ob diversam religionem. Ne Ethnicos quidem armis ad Christianissimum jure adigi posse Viri summi a) *statuerunt; & ubi factum, aliud quæsitum, & speciosa nomina obtentui sumta. Et tantum de caussis belli.*

a) l. Christianis 6. Cod. de Paganis c. dispar. 23. quæst. 8. c. Judæi extra de Judæis. c. de Judæis. c. qui sincera 45. Distinct.

XXXIV.

Sequitur ultimum caput, de ratione belli gerendi, in quo primum occurrit Indictio sive Denunciatio Belli: Aggredi enim bello non indicto imparatum, latronum est, non justorum hostium. At verò bellum sicut honestè & justè suscipi: ita justè quoq; geri debet, & ut sit armorum contentio inter pares, omninò ei denunciari debet, quem bello persequi volumus, ut parare se contrà vim nostram possit.

XXXV.

Atq; hoc de offensivo bello intelligendum: nam qui sui defendendi causâ bellum gerere necesse habet, cum denunciationem ab hoste acceperit, ut vicissim denunciet, necesse non habet; jus enim defensionis ei omnia, quæ contrà hostem honestè suscipiuntur, in manus dat.

XXXVI.

Sicut nec indictione opus est adversus eum, qui non indicto bello, prior nobis vim intulit, eamq; injuriam nobis nostro commodo belli persequi lubeat: Iura enim violanti jus redditur, si jus non præstatur. Et Philosophus a) *noster alicubi in hanc sententiam: Contra quovis modo pugnantes, quovis modo licere se defendere.*

a) 2. Elench. Sophist. c. 7.

XXXVII.

Perpetuis etiam hostibus, & quibus cum nulla intercedit pactio, bellum non indicitur: item, si periculum in morâ sit, ubi & illa lex migratur, quam di-

ximus theſi V. & exemplo ſuo oſtendit atq; oratione apud Dionem a *) defendit Cæſar, qui bellum Arioviſto abſq; Senatus decreto intulit.*

a) l. 38.

XXXVIII.

Rebellibus etiam noſtris & defectoribus, qui noſtro ſuberant imperio, & nullâ cauſſâ ſeſe eidem eximere conati ſunt, indicium fieri non debet: quibus cum enim bellum non eſt, apud illos nec jura Belli rectè uſurpamus.

XXXIX.

Si auxilium ſocijs feramus, bello ſe adverſus hoſtem defendentibus, noſtrum non eſt bellum illi indicere, niſi fœderatus nobis ſit, quo caſu indicendum omninò eſt: Si verò plures communibus ſumtibus, & ut in communem rem, bellum gerant, omnes bellum indicant, juri conſentaneum eſt, quia commune bellum eſt.

XL.

Poſt inducias etiam longas, ubi elapſæ fuerint, belli indictione opus non eſt. Sicut enim feriis finitis, non denunciatur ſervis ut redeant ad operas: ſic nec induciis finitis, quæ ſunt feriæ belli, opus eſt denunciare reditum ad arma. Atq; ita Martinus a *) Laudenſis: Finito tempore Treugæ non denuntur nova Guerra, ſed continuari prima. An idem obtinet in induciis longiſſimis, quales fuére auctore Livio* b *) datæ Vejentibus in centum annos, ſicut & Cerilibus in totidem, ijsdem Vejentibus in annos 40. Hetruriæ populis in annos 30?*

a) Tractatu de bello Quæſt. 29. ex Aug. l. ſi unus §. 1. ff. de pactis.
b) l. 1. 2. & 9.

XLI.

Si Gellium a *) audias, omninò: Inducie enim illi dictæ, quaſi Inde uti jam: Pactum enim induciarũ hujusmodi eſt, ut in diem, aut tempus certum, & definitum non pugnetur, nihilq; incommodi detur, ſed ex eo die poſtea, uti jam, omnia belli jure agantur. Exſpirantibus igitur induciis, qui malo cavere nolet, ſuo periculo id fecerit.*

a) l. 1. c. 25.

XLII.

Illud in indictione belli obſervatum, ut ſi cum ijs bellum gerendum eſſet, cum quibus amicitia prius aut ſocietas intervenisſet, ea prius amicitia renunciaretur, quàm bellum denunciaretur. Ante omnia autem, res repeterentur per vim ablatæ, qui modus Clarigatio dicebatur, ut res tota clara eſſet, & inexcusabiles redderentur, qui in bellum neceſſarium ſuâ pertinaciâ conſpiraſſent. Vide ritum apud Livium a *) in bello Latino & alibi. Vidro hunc morem etiam Græcis uſitatum. Apud Euripidem* b *) enim Theſeus: Vade dic Creonti: Theſeus aman-*

amanter abs te repetijt cadavera. Hic primus sermo. Si nihil efficit, secundus, ut me armatum exspectet.

a) l. 1. b) in supplicibus.

XLIII.

Neque verò in continenti, ad arma, & hostilitatem, post denunciationem progrediendum, sed spatium relinquendum ei cui bellum indictum est, ut se paret quoq; adversus vim: id spatium apud Romanos erat dierum trium & triginta. Sic Livius: a) Si non fiant quæ petuntur, diebus tribus & triginta (tot enim sunt sollemnes) peractis, bellum indicitur: In nostro quoq; imperio mensis spatium intervenire debet. Ideò non probamus Cyri factum apud Xenophontem, b) qui Arminio Regi bellum simul intulit, & indixit: nec Romanorum, qui tertium Bellum Punicum momento indictum & illatum gesserunt, teste Appiano.

a) l. 1. b) 2. παιδ. Κύρ. c) in Libycis.

XLIV.

Hisce ita ordine peractis, bellum justè demum geritur, si absit dolus malus in verbis & factis: Verborum quidem dolus in pactis abesse debet: certè omnis cavillatio, quæ & timidum, & perfidum arguit animum: Vbi verò pactum non intervenit, ibi mendacio fallere hostem licet: fingere enim hæc aut illa utrò possumus sine reprehensione, uti ille nostrarum rerum & consiliorum ambiguum atq; ignarus sit.

XLV.

Facta quod attinet, debet ab ijs quoq; abesse dolus, sed improbus. Neq; enim in hostem pugnandum est veneficijs, aut arte magicâ: non telis venenatis, non venenis aquæ corrumpendæ, aut gypso farina inficienda, non venenatis bestijs, ut serpentibus, aspidibus, quibus aliqui usi in hostem improbè.

XLVI.

An verò bestijs pugnare licet in hostem: Elephantos, canes usurpatos legimus, & fortasse non contra belli justitiam: Taurós, Leones, apros, ursos inductos in aciem detestatur doctissimus Poëta Lucretius a) longo carmine.

a) l. 5.

XLVII.

Proditione etiam hostium, ducem necare, submissis vel emtis sicarijs, infame semper visum, quem nec omni loco fas ipsi hosti occidere: & proditioni affinia arbitror, ficta illa transfugia & Zopyrianismos: neque Zopyrus laudem merebatur, neq; magnus Rex laudando illum, reprehensione vacabat, ne quid gravius dicam.

Milites

XLVIII.

Milites etiam clandestinis artibus ad defectionem sollicitare, auro corrumpere, aut urbes cum Philippo Macedone mercari, non valdè generosus animus probaverit. Pyrrhus apud Ennium a) *bellum cauponari hoc vocat, Æschylus* b) *& Herodotus* c) καπηλεύειν τὴν μάχην.

a) l. 6. Annal. in septem Theb.

XLIX.

Num verò & stratagematum usus illicitus? minimè. Atq; hic valet illud Poëtæ: Dolus an Virtus, quis in hoste requirat? Et quamquam multi contradicant, placet tamen nobis illud Libanij: a) Στρατηγὸς ἀμείνων ὁ κλεπτῶν τοῦ δεδειότος, μὴ διὰ κλοπῆς νικῶν. *Melior est mihi dux, qui victoriam veluti suffuratur, quàm qui veretur ne per furtum vincat. Cum quo sentit & Sallustius, quem Servius & Isidorus scribunt probasse duces, qui incruento exercitu victoriam reportassent. Pulchrè Silius* b) *Italicus: Bellandum est astu, levior laus in duce dextræ. Videatur & Vegetius.* c)

a) d. supra loco. b) lib. 5. c) lib. 3. & 9.

L.

Exploratores etiam in bello, qui omnia hostium dicta, facta rimentur & aucupentur, tutò in bello habentur, quin & per transfugas & captivos exquirere fas est, quid hostis moliatur. Vnde Dux Homericus a) *ex eo laudatur, quod fuerit consiliorum hostilium fur; & Polybius* b) *ponere eam inter potissimas Virtutes Imperatorias non veretur, si omni studio naturam & ingenium hostis, consilia, castra, vires explaret.*

a) ap. Platonem. b) lib. 3.

LI.

Armorum item omni genere in hostem uti, jura Belli permittunt, etiamsi quæ nova sint, aut recens inventa; falsis quoq; & mentitis armis uti potest, & vestibus, & insignibus, ut se faciat eum, qui non est, & errorem hostibus objiciat. Exempla sunt quà in sacris, quà in profanis Historijs.

LII.

Facere etiam ea licet, quæ contrà superstitionem hostis sunt, eiq; terrorem incutere possunt. Sic Cambyses a) *prælium commissurus cum Ægyptijs, cum sciret, canes & feles, eos, tamquam numina venerari, statuit illa animalia in primâ acie, quæ ferire cum nollent Ægyptij, fugerunt. Philippus* b) *Macedo lauro coronat milites, quos ducebat adversus Phocenses, qui templum Apollinis spoliarant, ut maleficij memoriâ, & arboris Appollini sacræ objectu terrerentur, neque consilio defuit Eventus.*

a) ap. Polyænum l. 8. b) Justin. l. 8.

De indu-

LIII.

De induciis ante dictum, quod sint feriæ quædam belli, quæ si pactæ sunt, servari sine dolo omni debent; sicut & reliqua pacta, quæ tempore belli ineuntur ab illis, qui pacisci possunt: maximè verò inducia, quæ ipsa pace sanctioris juris sunt, itaq; servari sanctissimè debent.

LIV.

Nihilq; adeò tempore induciarum moliri quis debet, quod ullo modo nocere hosti possit, aut conditionem ejus reddere deteriorem: Itaq; non licet tùm, militem in urbem obsessam recipere, aut eandem munire; non item foris ad oppugnationem commodiorem aliquid machinari: hoc enim gerentis bellum est, non quiescentis. Atqui securitate pendente, novari nihil debet.

LV.

Neque recedere etiam hostis debet longius, tempore induciarum, neq; propius ad hostem accedere, quia hostilitatis est hoc, illud subtractionis. Accedendo enim infestior fit, recedendo tutior.

LVI.

Ad jus induciarum pertinet Fides publica Hosti data, quam vulgo Salvum conductum vocant: in quo nulla item cavillatio admittenda, quâ usi quidam magno scelere, & à nullo unquam bono approbato. Notandum præcipuè, ut cui data fides ad veniendum, intelligatur quoq; ad abeundum data. Ita Martin. a) *Laud. Capitaneus faciens salvum conductum ad eundum dicitur, & concedere ad redeundum, secundum Bartolum.* b)

a) Quæst. 51. de bello. b) in l. unica in princ. C. de cadue. tollendis.

LVII.

De illis, qui durante bello captivi fiunt, an occidi possint an servari debeant? quæstionis est: In acie dum resistunt, quia hostes sunt, occidi jure belli posse censemus; sed cum inferiores vi & armis captivi fiunt, occidi non posse censemus, certè humanitatis est servari. Valetq; illud hic Senecæ, a) *ubi Pyrrhus: Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit, cui respondet Agamemnon:*

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

a) in Troad.

LVIII.

At captivi fidem datam servare quoq; tenentur, quia dederunt, & si ad λύτρον afferendum dimissi fuerint, si ferre nequeant, aut dono habere, redire ad hostem debent, & exspectare voluntatem ejus. Quod si fidem dederint de præstando aliquo contrà jus publicum, aut militare, præstare fidem non tenentur.

LIX.

In obsidionibus urbium cum exonerantur illæ, infirmo hominum genere

exire jusso, puta pueris, fœminis, senibus, ægrotis, an in eos sævire liceat & iram hostilem ostendere, quæri non deberet, nisi exempla rem dubiam fecissent : nobis impium & immane videtur. Quod si recipi non possint in castra, dimittita-men sine maleficio debent.

LX.

In acie, & ipso prælij fervore, ad terrorem hostium fingere multa licet : puta cæsum ducem adversarum partium, inclinare ad nos victoriam, & quæcunq; alia terrendo hosti facere putamus. Atque hæc de tertio capite dicta sufficiant.

ΠΑΡΕΓΑ.

I.

ARgonauticæ, Christianorum Principum, expeditiones in Palæstinam, pro recuperanda terra sancta, jure idoneo & sufficienti nixæ non videntur ; unde nec mirum, si felici quandoq; eventu caruêre.

II.

Idem pronunciari posse arbitror de Bellis Hispanorum, quæ Indis, & orbi incognito intulerunt.

III.

Non minus generosè quam verè, Alvarus Sandæus apud Busbequium, à Rustano in Divano Turcico interrogatus, quid Hispano Domino suo venisset in mentem, ut, cum sua tueri non posset, aliena oppugnatum iret ? respondit, ad suum judicium hoc non pertinuisse ? suum munus fuisse, ut quod haberet à Domino mandatum, qua fide par erat exsequeretur.

IV.

Captivo, nisi specialiter de non fugiendo fidem dederit, fugere licet, obsidi non item, etsi nihil de eo in pactis expressum sit.

V.

An verò fidem fallentibus illis, qui dederunt, dati obsides necari possint ? difficilis est quæstio : Juris id esse bellici certum est, addo & expedire, ut fides rerum pretiosissima adseratur, parci tamen aliquando illis humani-us est.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO LI.

MICHAELIS PICCARTI

De

ORIGINE ET DIVISIONIBUS REIPUBLICÆ, DISPUTATIO POLITICA.

Respondit

Tobias Ölhafen, P. Norimb.

THESIS I.

PHiloſophiam Practicam, ordine Analytico, ab Ariſtotele noſtro ſcriptam, nobis certum eſt: in eo autem primo loco conſiderandus venit Finis, deinde ſubjectum, tum media finem ſubjecto accommodantia.

II.

Finem dicimus principium, quia primus eſt intentione, licet ultimus ſit ad quiſitione. Subjectum vero illud, in quod finis mediorum beneficio introduci debet. Media denique illa omnia vocantur, quorum opera & beneficio finis adquiritur, quibus mediis finis dat menſuram ſeu modum, bonitatem & amabilitatem.

III

Hanc partium, ordinis Analytici, ſuccintam deſcriptionem, Philoſophiæ Practicæ deinceps accommodemus: Finis igitur eſt, Εὐδαιμονία h. e. felicitas ſeu beatitudo. Inventas enim in hunc finem ſocietates conſtat, uti hominibus benè beateque eſſet.

IV.

Hic Finis conſideratur à Philoſopho in libris Ethicis: in quibus ordine hæc docet: An ſit aliquis finis ultimus, in cujus adeptione εὐδαιμονία ſeu felicitas illa conſiſtat? quibus nominibus veniat? quæ de eo veterum opiniones? quinam ille verè? quæ ejus natura, & in quâ re potiſſimum conſiſtat? quomodo adquiratur, & quæ denique ſint ejus cognata, repugnantia, & Accidentia.

V.

Inde in libris Politicis initio conſiderat ſubjectum, in quod Felicitas illa, ſive

finis ille introducendus eſt : Id verò eſt civitas : Quod ſubjectum initio conſiderandum eſt, antequam de mediis agatur, ut apparere poſſit, ſine ſubjectum tale, quod ſit capax hujus finis ? neq; enim, ut vetere dicitur verbo, ex quovis ligno fit Mercurius : quemadmodum & in artibus, prius materia ab artifice conſideratur, an ſit idonea ad hanc vel illam formam recipiendam ?

VI.

Mediorum rationem ſubit Reſpublica, ſive τάξις, hoc eſt ordo quidam civilis : rectè enim civitas ordinata ſi fuerit, beata erit quoq;, & beata dici poterit. Atq; hic ordo, ſive hæc doctrina de civitate rectè ordinanda, habet rationem finis interni, ſive finis artis ſeu methodi dici poteſt, qua conſideratione dicitur & forma civitatis Reſpublica, & ejusdem anima, quâ â bono & perito Politico veluti animari debet.

VII.

Porrò hoc Subjectum, quod Civitatem diximus, quia eſt aggregatum quiddam, partes ejus conſiderat ordine, ex quibus hoc totum tandem conſtituitur. Ea partes ſunt Societates domeſticæ, & vicus, ortum trahentes partim à naturâ, partim à ratione & prudentia.

VIII.

Naturam voco, inſtinctum illum, & ſtimulum, appetitionemq; naturalem in hominibus ſimul vivendi, ex quo inſtinctu Homines, naturâ, civilia animalia ſunt, & magis quam ullum aliud etiam gregalium animalium. Conjunctus verò hic appetitus eſt cum voluptate, quam ex conſuetudine, & communione vitæ, homines inter ſe capiunt, quæ datur ut incitamentum.

IX.

Excitatur inſuper indigentiâ, cujus ſublevandæ cauſſâ initio quoq; congregati ſunt homines : tum ut ſe, & ſua quaſi per bellicam quandam ſocietatẽ, adverſus feras, & adverſus homines injuſtos tuerentur : tum ut ea pararent mutuis auxiliis, quibus vita hæc carere non poteſt, quod rationi quodammodo adſcribendum.

X.

Ex his veluti initijs Civitas : ſocietas ex pluribus viris perfecta, usq; adeò, ut omnis penè ſufficientiæ ſummam habere in ſe dici poſſit, naturaliter conſtituta vivendi, permanens verò bene vivendi cauſſâ, hoc eſt, ut in Ethicis concluſum eſt, honeſte, & ex virtute vivendi cauſſâ.

XI.

Natura igitur in Civitates homines collegit, (non vis primò, ut perſuadere ſeſe nobis poſtulat Bodinus, quem mirè hac in re hallucinatum promptum nobis docere) & ſic quidem, ut qui ſocietatem refugiat, veluti hominem exſuat mutа-

Digitized by Google

mutatus aut in meliorem statum, sic, ut DEVS aliquis inter homines: aut homo divinus dici mereatur; aut in deteriorem, ut bestia.

XII.

Porrò, ut collecti in civitatem homines fine suo ultimo potiantur, hoc est, ut beatè vivant, opus est τάξει quadam. Vbi enim multitudo, ibi opus ordine: confusio quippe sive ἀταξία mater errorum & turbarum. Illum verò Ordinem, Naturæ quoq; quo ad initia, debemus, qui consistit in imperio & paritione.

XIII.

Quæ duo conspicua nobis fiunt in rebus, quâ animatis, quâ inanimatis: in animatis quidem tum ratione constitutionis, tum ratione sexus, tum si ipsa inter se comparentur. Ratione constitutionis ex eo: cum animalia corpore constent & anima, hanc imperare, illud servire animadvertere licet.

XIV.

In Homine id evidenter liquet, qui, si recte dispositus sit μὲν τὸν διάνοιαν, animi imperio magis, corporis autem servitio utetur, certè uti debet. Quid? quod in ipso hominis animo, discrimen hoc imperij & partionis conspicitur, mens enim appetitui imperat, hic illi subest.

XV.

De sexu item liquet: Masculinus enim sexus ad imperium naturâ factus, fœmininus ad parendum, quod & corporis utriusq; ratio ostendit, quam aperuit Philosophus 1. Oeconom. c. 3. τὸ μὲν γὰρ ἰσχυρότερον, τὸ δ' ἀσθενέστερον ἐποίησεν, ἵνα τὸ μὲν φυλακικώτερον ᾖ διὰ τὸν φόβον, τὸ δ' ἀμυντικώτερον διὰ τὴν ἀνδρείαν: natura sexum masculinum robustiorem, alterum imbecilliorem, ut hic ad custodiendas res propter timorem, ille propter fortitudinem aut robur ad propugnandum & parendum easdem magis floret idoneus. Infirmius autem firmioris subesse omnis suadet ratio: Quo accedit, quod in fœminâ τὸ βουλευτικὸν ἐστὶ ἄκυρον ut loquitur Philos. 1. Polit. c. ult. quo ipso natura docere voluit, fœminam subesse debere, τὸ δὲ ἄρρεν φύσει τοῦ θήλεως ἡγεμονικώτερον. ibid.

XVI.

In ipsâ porrò comparatione animalium, imperij quoq; & paritionis ratio, naturâ eò aurigante conspicitur: Homo enim brutis dominatur omnibus, tanquam melior inferioribus, & inter ipsa bruta discrimina hæc comparent.

XVII.

In inanimatis etiam, & vitæ expertibus, imperij & obedientiæ ratio conspicua est, in Musico, verbi gratia, concentu vox acuta dominatur, gravis paret &

ſubeſt. In alijs etiam rebus imperat Harmonia, hoc eſt, partium omnium conſenſus & propoſitio, quæ in materia formaq; reſponſu conſiſtit.

XVIII.

Neque verò ſolum Naturæ, initia hujus ordinis debemus, ſed & differentias, adeoq; formas imperiorum: In Societate enim domeſtica, imagines ſeſe produnt imperij non ſimplicis. In domo enim Paterfamilias imperat liberis, uxori, & ſervis, non tamen eodem modo: Nam liberis & uxori ita imperat, ut hominibus liberis, & ſuis, quorum commodum unicè ſpectat: cum enim, ut diximus in uxore tanquam fœminâ τὸ βουλευτικὸν ſit ἄκυρον, judicium & conſultandi de rebus facultas imbecilla, in liberis ἀτελὲς imperfecta facultas 1. Polit. c. ult. Pater familias defectum illum ſuâ perfectione ſupplet, ipſis proſpicit, ſe interim negligens, aut certè ſecundariò reſpiciens, & non, niſi quatenus in eadem ſocietate ſimul vivit.

XIX.

Servis verò imperat imperio dominico, primariò ſui, ſuorumq; commodi cauſſâ, ſervi utilitatem non niſi ſecundariò reſpicit: quod enim victum & amictum ei ſuppeditat, facit ex eâ cauſâ, ut diutius operâ ipſius uti poſſit.

XX.

Hinc diſcrimen imperiorum ex fundamento, reſpectus Boni publici, aut privati: quod ingenioſiſſimè accipit Philoſophus, & ſic concludit: Ut Civitas, inquit, fiat beata, opus eſt certa τάξει, & ordinatione membrorum civitatis inter ſe, ut nulla oriatur confuſio, quæ eſt unioni inimica & ſocietatem diſſolvit.

XXI.

Ille Ordo in hoc conſiſtet: ut in civitate alijs quidem imperent, alij verò ſubſint: At qui imperare, qui ſubeſſe debent? expedita res eſt ex ſuperiori doctrinâ: Diximus ibi animam debere imperare corpori, mentem appetitui, melius inferiori. Qui igitur in Civitate ſeſe habent inſtar animæ, aut mentis, aut melioris, illi imperent: ſubſint autem, qui corporis naturam præferunt, aut appetitus, aut deteriori ſunt conditione.

XXII.

His ita exſtructis, naſcitur illi definitio Reipublicæ hæc: Reſpublica eſt Ordo civitatis, cum aliorum Magiſtratuum, cum in primis illius, in cujus poteſtate ſunt omnia, ſive, ut Tacitus loquitur, penes quem eſt in omnia regimen. Definitio exacta, quam, quod non vidit Bodinus, tacitus argumentum eſt, vel ſupinæ, vel malitioſæ.

XXIII.

Genus illi Ordinem tribuit Philoſophus & rectè: Forma enim materiæ reſpon-

respondere debet: Civitas autem est multitudo hominum in unam societatem collecta: cujus multitudinis forma est, & esse debet ordo. Materia videlicet per se & in se fluxilis est, vaga, inconstans, &, ut Graeci loquuntur, ἄορις & : Formam illam κοσμησιαν cogit in certam συμμετριαν: Hinc illud: ad Formam tendere, est ex multo ad unum tendere.

XXIV.

Porrò, quia Ordo ex numero eorum est, quae habent se deinceps, ideo refertur ad unum primum, à quo reliqua dependent: Illud primum est τὸ κυριον sive πολίτευμα & summa potestas, unde rectè ejus mentio fit in Definitione.

XXV.

Definitionem sequitur divisio: quae prima & principalis est haec, deducta ex ipsius Naturae principijs: Respublica alia est, in qua is, qui imperat & praest, omnia refert ad Bonum Publicum & utilitatem eorum, quibus praest: alia in qua, qui praest, non publicum, sed suum quaerit commodum, quarum illa, recta & laudabilis imperij ratio, sive imperium civile: haec παρεκβασις ab illâ, & exerratio dici meretur, Dominicumq; sive herile imperium appellatur.

XXVI.

Porrò, quia superius diximus: πολίτευμα sive summam potestatem esse illud primum, quod Respublica praecipuè attendat, exinde desumitur subdivisio & rectarum, & pravarum Recip. formarum. Quod si enim illud penes unum sit, boni publici studiosum, Monarchia dicitur sive Regnum: si penes unum publici commodi negligentem, sui studiosum, Tyrannis.

XXVII.

Si verò penes paucos, viros bonos, bonique publici amantes, status ille Recip. Aristocratia vocabitur: sicut ex adverso, si penes paucos privati commodi studiosos τὸ πολίτευμα resideat, status oligarchicus dicetur.

XXVIII

Si denique penes populum, ex eâdem respectus diversitate, vel recta & laudabilis existet Politia, vel prava ochlocratia aut Democratia. Atq; haec est secundaria divisio, & consequens primam, atq; ut sic loquar, accidentaria.

XXIX.

Prior verò divisio essentialis est, ded[illegible] ex finibus civitatum. Ex finibus autem rerum optima est ratio perveniendi ad formas. At fines Civitatis supra consideravimus, qui sunt: in societate vivere, bene beateq; vivere: Hi fines hoc exigunt, ut omnia Civitatis membra conspirent in Bonum commune.

XXX.

Hinc igitur ut concludamus, oriuntur nobis sex formae Reipub. Tres

recta

rectæ & laudabiles: Regnum *sive* Monarchia, *Aristocratia, & Politia*: Tres *item exerrantes & vitiosæ*: Tyrannis, Oligarchia, & Democratia.

XXXI.

Dicas: quare exerrantes aliquæ dantur Respublicæ, & contenti non sumus *rectis*? Facilis est responsio: id videlicet ex eo fieri, quia non omnes homines sunt viri boni, sed plures ambitione laborant, & sicut cæci, comite & duce via semper indigent: ita illi, ut olim Cato dicebat, nolunt nisi cum licitoribus ire, & magistratus gerere, atq; imperare.

XXXII.

Quod animi vitium ut celent, jure quodam specioso, sese & cupiditates suas tegant, cui sic innituntur, ut & meritò petere & obtinere debere credantur. Id verò jus concipiunt ex stultâ quadam persuasione: putant enim, cum in uno aliquo excellant, & reliquis civibus superiores sint, sese per omnia superiores esse, atq; proinde summum in Rep. locum habere.

XXXIII.

Illud jus triplex est: Nobilitas, Opes, & Libertas. Quod si igitur unus aliquis, in societate civili, sit nobilissimus vel opulentissimus, is sibi soli omnium rerum administrationem liberrimam deberi putat, & proinde ad eam summo studio, vi, dolove grassabitur, & sic orietur Tyrannis.

XXXIV.

Quod si uno plures sint in Civili societate aliquâ, majorum imaginibus, & generis nobilitate, aut etiam opibus supra reliquos cives conspicui, illi quoq; putabunt, sibi omnia summa in Repub. deberi, reliquos, ut longè se ijs, quas dixi, dotibus inferiores, mancipia esse debere, atq; proinde illi sibi πολίτευμα, & imperium vindicabunt, sic nascetur Oligarchia.

XXXV.

Contrà hos interdum se movere solet populus, & Libertatem suam urgere, & quandoquidem in liberâ civitate omnia paria esse debere censet, ideo imperium quoq; cum infimâ plebe communicari vult, quod si obtineat nascitur inde Democratia vitiosa.

XXXVI.

Afferunt igitur hi aliquod [illegible] non verum, speciem tantum & simulachrum, conceptum ex amore sui, [illegible]uso jam præjudicio, qui primus error: plurimùm enim, homines minus sincere, vel bona, vel mala sua examinant.

XXXVII.

Alter error ibi desidet, quod putant se, quia in unâ re alios antecedunt, in omnibus universè superiores esse: cum unum tantum sit verum, & germanum æquali-

æqualitatis aut inæqualitatis fundamentum, quod dignitatem appellamus, propter quam, quia vel non adsit, vel minor adsit, aut nullos, aut inæquales, vel quia adsit, aut magis adsit, aliquos & majores honores cives mereantur.

XXXVIII.

Illud verò Fundamentum non est nobilitas, non opes, Libertas, sed virtus: id quod ostendi argumento potest tali: Cujus rei causa & coeunt, & permanent civitates, & cujus respectu præsentis, verè civitas aliqua dicitur, absentis impropriè & homonymos, illa res est verum fundamentum æqualitatis, inæqualitatisq; personarum, pro cujus modo ac mensurâ, distribui Magistratus inter cives debent, aut non debent. At vero virtus est id, cujus causâ coeunt & permanent civitates: Ergo.

XXXIX.

Major extra dubitationis aleam posita est. Minor ex superioribus deducitur. Ultimus enim civitatum finis constitutus fuit Beatitudo: illam autem in virtutis πρᾶξει consistere, in Ethicis satis superq; demonstratum est.

XL.

Quo accedit: quod omnium temporum Legislatores, in legibus Reip. â se institutæ condendis, id unice egerunt, ut virtus à civibus coleretur, vitia exsularent: Intellexerunt igitur probè, sine virtute Civitatem consistere non posse.

XLI.

Ex quibus hactenus disputatis, clarum perspicuumq; fit, unde Differentiæ Rerumpublicarum formaliter pendeant, nimirum à fine Rerumpublicarum, nõ autem à numero imperantium, quod voluit Bodinus, qui tamen in hac disputatione sua, sibi ipsi minimè constat. Documentum autem certissimum exortis ἀσυμφωνίας, ut eruditè Halicarnassæus.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

CUr clericis matrimonia interdixerint Romanenses, verissimam caussam aperuisse videtur Pelagius: ne scilicet bona Ecclesiastica, per matrimonia ab Ecclesiâ alienarentur? Non igitur propter Christum, sed propter sanctum denarium, lex illa rigidissima lata.

II.

Regnoldi Geldriæ Ducis consilium à Præsule Colo-

nienſi cognato ſnppeditatum de ducendâ filiâ mercatoris Bernardi de Machliniâ, ut debita ſua dote illius expungeret, ſpeciem honeſti habuit, ſed principi parũ decorum fuit. Hiſtoriam vide ap. Froſſardum lib. 3. p. 222.

III.

Rectè fecit Heinricus III. Gallorum Rex, quod Guiſſos ſine motu, neq; prævio judicij proceſſu ê medio ſuſtulit, neq; ob id Tyrannus appellari meruit.

IV.

Superbè ſimul & ſtultè faciunt (ſolent videlicet hæc duo conjuncta eſſe) qui apud principes jus urgent, & rigidè ſibi id dici poſtulant: ſæpe enim judicium noſtrum φιλαυτίαι ſuffundit.

V.

Trecentorum & ſex Fabiorum factũm, apud Livium lib. 2. temerarium fuiſſe videtur, ac proinde non valdè probandum.

VI.

Tyrannum privato occidere nefas.

VII.

Monarchia perfecta, formarum Reip. perfectiſsimã.

VIII.

Rectè præſes Gallicus apud Froſſardum l. 1. p. 37. â civibus, poſt vincula, perſuaſus ad deditionem ſibi commiſſæ arcis, deditionem capite luit.

IX.

Principem malum eſſe, habere autem bonos conſiliarios, minus nocere, eleganter diſputat Lamprid. in Alexandro ſevero, quàm ſi Princeps quidem bonus ſit, ſed improbos circum ſe habeat conſiliarios.

Sequen-

Digitized by Google

Sequentes tres Disputationes, ipse quidem Cl. Sonerus non conscripsit; sed ipsimet Dn. Respondentes: placuit tamen eas reliquis adjungere.

ERNESTI SONERI

PROBLEMATA MISCELLANEA,

Autor & Respond.

Johannes Leopoldus, Norimb.

I.

An privatio sit principium Naturale? Aff.

Necessaria est privatio, quia materia sine privatione formam accipere non potest. Deinde, quia sine illa generatio fieri non potest, quia nisi subjectum in se contineret formæ privationem, & esset idoneum ad formam recipiendam, numquam forma educeretur. Præterea: omnis mutatio fit per contraria: forma autem & materia non sunt contraria. Ergò necesse est tertium principium addere, nempè privationem. Insuper: omnem actum præcedit potentia. Forma est actus. Ergò omnem formam præcedit potentia, quæ dicitur privatio. Vt autem hoc eò melius intelligatur, sequentia consideranda: Privatio non est negatio pura, differt autem ab illa, quod hæc dicit absentiam indefinitè, nihil positivè ponens, ut non-homo: At privatio dicit non solum negationem formæ, sed in aliquo subjecto, ut sperma est non-homo privativè, dicit enim positivum aliquid, quod non est homo: hinc 10. Metaph. t. 15. privatio dicitur contradictio determinata cum susceptivo: hoc est, negatio intra genus. Deinde: materia & privatio unum sunt numero, diversa tamen duo λόγῳ, sive ratione & definitione: materia enim pertinet ad rei substantiam, eamq; perficit; privatio autem essentiam rei non ingreditur. Præterea: materia simul cum forma est causa generationis, privatio autem transmutationis. Neque privatio est destructio rerum Physicarum, sed potius isto nomine pro vero & germano principio habenda, quia est principium mutationis. Etenim cum primus & potissimus labor Physici debeat esse in assignan-

ſignandis cauſis mutationum, nec eas aliunde poſſit recipere, quàm ex privatione, ſine qua permanerent omnia in eodem ſtatu, quis ſanæ mentis ejus contemplationem dicet à Phyſico eſſe alienam ?

II.

An Locus ſit immobilis ? Aff.

Locum immobilem eſſe non ita accipimus, ut quidam recentior ſcriptor, κ) τί, in tantum ſcilicet, quantum motui ſufficit corporis locati moti, cujus partes partibus locantis applicari debent, & quaſi figi, ne cedat : ſed ἁπλῶς, tàm per ſe, quàm per accidens eſſe immobilem, quod patet unica, tum ratione, tum auctoritate. Ratio eſt : quia etiam deſtructo ambiente aëre aut aqua, cujus terminus fuerit alicujus corporis locus, aliud corpus poſt mille annos, in eundem locum exactè ſucceſſiſſe dici poteſt, ubi prius alterum erat. Auctoritas eſt Ariſtotelis 4. Phyſ. t. 41. ubi dicit, non, ut ſcriptor ille ejus verba pervertit, locum eſſe vas, quod transferri poſſit : ſed eſſe vas immobile : vas autem eſſe ut locum mobilem. Verba Ariſtotelis ſunt : ἔστι δ' ὥσπερ τὸ ἀγγεῖον τόπος μεταφορητός, οὕτως ὁ τόπος ἀγγεῖον ἀμεταφόρητον,

III.

An motus circularis cœli, ſit naturalis ? Aff.

Quia cœlum eſt corpus naturale 3. Cœli t. 1. 1. de part. animal. 5. 8. Metaphyſ. t. 1. 12. Metaphyſ. t. 5. ſed omne corpus naturale, habet motum naturalem ; impoſſibile enim eſt, ut inquit Averrhoës 1. de cœlo com. 81. eſſe corpus aliquod naturale, ſine motu naturali, tum quia propter hoc vocatur naturale, tum etiam, quia alioqui tale corpus eſſet otioſum. Ergò cœlum habet motum naturalem. Præterea 1. cœli t. 13. & ſeqq. dicit Ariſtoteles, ſicut deorſum moveri eſt naturale terræ ; ita cœlo circulariter moveri, Vel clarius ſic probari poteſt : Cœlum eſt corpus naturale : ergò ipſius motus eſt naturalis : ſi enim naturale eſt, naturam habet : ſi naturam, & motus eſt naturalis : non eſt autem alius motus præter hunc, de quo eſt diſputatio. Ergò eſt naturalis. Probo antecedens ex 7. Metaphyſ. cap. 2. ubi inter Entia naturalia, cœli ponuntur. Et 12. Metaphyſ. t. 5. duas naturales ponit Ariſtoteles ſubſtantias, alteram corruptibilem, alteram ſempiternam, & hæc eſt cœlum. Porrò, motus circularis quo cœlum volvitur, aut eſt ei naturalis, aut violentus : non eſt autem violentus, cum quia perpetuus, nullum autem perpetuum eſt violentum ; tum etiam, quia motus, qui uni corpori eſt violentus, alij eſt naturalis. 1. Cœli t. 14. 15. circularis autem motus nulli alij corpori eſt naturalis. Relinquitur igitur, ut ſit naturalis

Digitized by Google

talis cœlo. Amplius, ἐνέργεια propria cujuscunq; rei, in qua ejus perfectio consistit, ei est naturalis, sicut hominis intelligere: sed motus cœli, est ἐνέργεια ipsius propria & perfectio. 2. Cœli cap. 12. Ergò est ei naturalis. Denique, quæ sunt necessaria ad efficiendum motum circularem, ea omnia naturaliter in cœlo insunt. Ergò & ipse motus circularis est ei naturalis: primum enim cœlo ineſt figura rotunda, abest gravitas & levitas, est substantia incorruptibilis, carens què contrario: quæ omnia requiruntur ad efficiendum motum circularem. Ad hæc: uniuscujuscunq; corporis simplicis, unus est motus secundum naturam. Cœlum est corpus simplex. Ergò simplex motus convenit ei secundum naturam, 1. Cœli t. 9. hic verò alius esse non potest, quàm circularis.

IV.

An Cœlum habeat formam informantem?

Habere Cœlum formam, ipso Aristotele teste constat. 12. Metaph. t. 22. ubi dicit: omnium sensibilium eadem esse principia, materiam scilicet & formam. Cœlum autem est corpus sensile. Ergò. Deinde 2. de or: & inter: t. 51. principia & numero æqualia, & genere eadem esse in corruptibilibus: materiam, formam, & privationem. Præterea 1. cœli t. 92. apertè scribit Aristoteles: Cœlum esse sensibile, singulare, formam cum materia mixtam. Verba ejus hæc sunt: ἐπεὶ δ' ἔστι ὁ οὐρανὸς αἰσθητὸς, τῶν καθ' ἕκαστον ἂν εἴη. τὸ γὰρ αἰσθητὸν ἅπαν, ἐν τῇ ὕλῃ ὑπάρχει. εἰ δὲ τῶν καθ' ἕκαστον, ἕτερον ἂν εἴη τῷδε τῷ οὐρανῷ εἶναι, καὶ οὐρανὸν ἁπλῶς. ἕτερον ἄρα ὅδε ὁ οὐρανὸς ἁπλῶς, καὶ τόδε ὡς εἶδος καὶ μορφή. τὸ δ' ὡς τῇ ὕλῃ μεμιγμένον. Item 2. cœli. Cœlum esse animatum, & habere principium motus, at tale principium est forma. Ergò habet formam. Insuper, si eadem est materia cœli & inferiorum (quod nunc supponimus) hæc autem est indifferens ex se. Cœlum verò non est indifferens, sed naturaliter movetur in orbem. Ergò habet formam hujus motus principium.

Porrò: quicquid est, vel est potentia, vel actus, vel compositum ex potentia & actu. Cœlum non est potentia, quia non ageret in inferiora: nec actus purus, quia non moveretur, nec esset sensile. Quare est compositum ex potentia & actu, hoc est, ex materia & forma. Denique Aristoteles 1. Cœli cap. 2. demonstrat: cœlum habere diversam naturam à quatuor elementis: hujusmodi igitur distinctio, vel est à natura materiæ, vel à forma. Non à materia, quia hæc est eadem, neque potest esse causa distinctionis, sed actus & forma. 7. Metaphys. t. 49. Ergò à forma, habet igitur formam.

V.

An anima ſit forma Cœli informans?

Neg.

Quidam (ex Platonicis, & Averrhoiſtis, animam, Cœli formam conſtituunt, ſatis autem refutantur à Philoſopho 2. Cœli c. 1. Praterea anima eſt ἐντελέχεια σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ, ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. 2. de anima t. 6. Cœlum autem tale non eſt. Et qualis illa foret anima? non quidem vegetans; hæc enim perpetuas efficit mutationes, & caducorum eſt. Neque etiam nutriuntur, vel aluntur aſtra: niſi proſtellarum nutrimento vapores, quos ex terra & oceano Sol extrahit, cum ineptis hominibus obtrudere velimus? Nec erit ſentiens, hæc enim ſine vegetante non eſt. Et quis umquam affirmavit: Aſtra videre, audire, odorari, guſtare &c. niſi forſan aliquis per phreneſin poëticam ſomniaret, ſolem, vidiſſe Martem & Venerem concumbentes, áque Vulcano conſtrictos, & hoc ipſum reliquo ſuperiorum cœtui indicaſſe? Nec rationalis erit, cum nullæ ejusmodi in cœlo appareant operationes.

VI.

An ſint reciproca ingenitum, ſempiternum, & incorruptibile, itemque generabile & corruptibile?

Aff.

***Demonſtratur hoc ab Ariſtotele in fine 1. Cœli. Si quid infinito tempore poſſibile ſit eſſe & non eſſe, actu aliquando erit & non erit. At hoc eſt abſurdum. Ergò & illud. Antecedens probatur, quicquid infinito tempore habet poteſtatem ad plura, habet illam eodem tempore ſimul, quod & natura potentiæ requirit, & infinitas, unum enim tantum eſt infinitum tempus, extra autem infinitum, nullum eſt tempus aliud. Poſſibile igitur eſſe & non eſſe infinito tempore, habet hanc potentiam eſſendi & non eſſendi, reſpectu unius temporis ſimul, non autem alterum reſpectu alterius temporis, ita enim non eſſet poſſibile infinito tempore: quatenus igitur infinito tempore eſt poſſibile, infinito quoque tempore erit: (id enim quod poſſibile eſt, eſſe oportet, & quidem tàm diu, quam diu eſt poſſibile) quatenus verò poſſibile eſt non eſſe, actuetur ſanè illa potentia ad non eſſe, & non erit. Ergò erit & non erit ſimul actu. Neque abſurdum ſequitur ex eo, quod poſitum fuit, id quod eſt, ſimul actuari ſecundum non eſſe. Falſum quidem ſumitur, non tamen impoſſibile ἐξ ὑποθέσεως, ex falſo autem non ſequi debet impoſſibile, cum illud falſum pro poſſibili habeatur: quia igitur poſſibile hoc eſt, nihil impoſſibile ex eo ſequi debet. At ſequitur. Ergò non tantum falſum, ſed impoſſibile eſt, ut aliquid infinito tempore poſſit eſſe & non eſſe, ſi hoc; ergò omne*

ſempiter-

ſempiternum, ſive quod infinito tempore eſt, eſt incorruptibile, & nullam habet potentiam non eſſendi, alioqui actuari illam potentiam aliquando eſſet poſſibile, & contingeret illud eſſe & non eſſe ſimul actu. Neque habet etiam potentiam eſſendi propriè loquendo, quia omnis potentia eſt definiti temporis, deſineret ergò ſempiternum aliquando eſſe. Porrò: ſi ſempiternum eſt incorruptibile, erit etiam ingenerabile. Nam ſi eſſet generabile, poſſet aliquo tempore non eſſe, quo tempore ſcilicet dicendum eſſet, habere potentiam ad eſſe: quod enim potentiam habet ad eſſe, eſt in non eſſe conſtitutum: ſempiternum autem numquam poteſt non eſſe. Ergo &c. Propoſitio probatur ex definitione generabilis & corruptibilis. Vt enim corruptibile eſt, quod prius erat, poſterius autem non eſt, aut ſaltem contingit non eſſe: ita generabile eſt, quod contingit prius non eſſe, poſtea autem eſſe. Si ergò ſempiternum eſſet generabile, contingeret aliquando non eſſe, & ſic non eſſet ſempiternum. Patet igitur: eſſe impoſſibile, ut contingat unum & idem ſemper eſſe poſſe, & poſſe ſemper non eſſe. Simul autem ſequitur, ſi nullum ſempiternum eſt generabile aut corruptibile: nullum etiam generabile aut corruptibile eſſe ſempiternum: univerſalis enim negativa ſimpliciter convertitur. Quare omne generabile erit etiam corruptibile, & omne corruptile erit generabile, ſiquidem neutrum poteſt eſſe ſemper. Reciprocantur igitur ingenitum & incorruptibile cum ſempiterno, ut generabile cum corruptibili.

VII.

An proprium & adæquatum ſubjectum Metaphyſices, ſit Ens quatenus Ens?

Aff.

Quamquam hæc quæſtio valdè intricata, & diu inter ſummos Philoſophos agitata ſit, quæq; ſummam inter illos opinionum varietatem pepererit: Nos tamen affirmativam partem tuebimur. Ac primum quidem paſſim Ariſtoteles, Ens, qua Ens primæ Philoſophiæ ſubjectum conſtituit, dum nimirum 4. Metaphyſ. cap. 1. illam vocat Ἐπιστήμην ἣ θεωρεῖ τὰ ὄντα ἢ ὄν, καὶ τούτῳ ὑπάρχοντα καθ' αὑτό. *Deinde quælibet Philoſophiæ pars verſatur circa aliquam ſubſtantiam. Ergò & hæc quoque ſcientia verſabitur circa aliquam ſubſtantiam: Subſtantiæ autem ordinem inter ſe habent: à prima enim ſubſtantia omnia pendent, cœlum & natura. 12. Metaphyſ. t. 38. Ergò prima ſcientia primam ſubſtantiam, ut objectum proprium conſiderabit; idem autem ſunt ſubſtantia prima, & primum Ens. Non poſſunt enim cætera Entia aliunde, quam à primo Ente pendere. At pendent à prima ſubſtantia. Ergò prima ſubſtantia eſt primum Ens. Domonſtratur hoc ex principio 9. Metaphyſ. ſi enim ſubſtantia dicitur ſimpliciter primum Ens, reſpectu accidentium, quod cæteræ omnes Entis prædi-*

cationes

cationes ad illam referantur, multo magis prima substantia erit simpliciter primum ens, quia ab ea non minus dependent reliquæ substantiæ in existendo, quam accidentia a subjecto: unde dicitur: sublata prima substantia, cætera omnia sublatum iri, cum omnia ab ea habeant esse. 1. Cœli t. 100. Verum, idem sunt primum Ens, & Ens quatenus Ens, quod ut intelligatur, sciendum est, longè aliam esse reduplicationem in simplicibus, aliam in compositis, aliam in vocabulis πρὸς μίαν Φύσιν, aliam in synonymis. Etenim in substantijs compositis, reduplicatio semper notat aliquam rationem formalem, inexistentem, realem. In simplicibus autem nihil reale connotat reduplicatio, sed puram simplicitatem & separationem ab omnibus, quæ sunt præter ipsum subjectum, nobis offert. In synonymis quando fit reduplicatio, significatur ratio formalis, ex æquo omnibus speciebus communis. In vocabulis καθ' ἑνὸς, reduplicatio non infert communem aliquam naturam, sed significatur primum, à quo cætera descendunt, à quibus est separatum; hinc natum est illud: analogum stat pro primo analogato. Hinc colligitur idem esse: dicere simpliciter Ens, & Ens quatenus Ens; idem enim hæc sunt in simplicibus. Item, planum est, quo sensu accipi velimus, Ens quatenus Ens esse subjectum hujus scientiæ: quia enim est substantia prima Ergò excluditur Ens per accidens, item quia est reale, Ens rationis. Quamobrem cum idem sint prima substantia, & primum Ens, itemq; primum Entis analogatum, & Ens quatenus Ens, rectè dicitur: Metaphysica subjectum esse Ens quatenus Ens, cum versetur circa primam substantiam.

VIII.

An essentia ab existentia differat realiter?

Neg.

Valdè vera est apud Peripateticos hæc distinctio, inter essentiam & existentiam; sed quomodo id accipiendum sit? paucis dispiciemus; ac primum per existentiam intelligitur Entitas, seu actus Entitativus, qui simpliciter per esse exprimitur: per essentiam autem quidditas cujusq; rei. Si igitur Ens & unum, adjuncta rebus, nihil amplius significant quam res ipsas, neque homo & Ens homo differunt, sed eo ipso quo est homo, est ens, & quo est Ens, est homo. 4 Metaphys. t. 3. 5. Metaphys. t. 2. 10. Metaphys. t. 8. Ergò essentia & existentia non differunt re, sed tantum ratione. Præterea, cum existere sit transcendens, necesse est ut sit idem re, quod Ens: cætera enim transcendentia, ut Ens, Vnum, Verum, Bonum, non significant aliquid re diversum ab ijs, de quibus dicuntur. Insuper, si existentia re distingueretur ab essentia, essent duo termini per se primi ipsius generationis, quod absurdum est. Vnitas enim numeralis cujuslibet motus, pendet ex unitate numerali termini ad quem.

An acci-

IX.

An accidentia sint Entia, per interna quædam principia sui formaliter, an verò gradum suæ Entitatis habeant à subjecto, ex habitudine & relatione ad substantiam?

Prius aff. post. neg.

Reperiuntur quidam, qui nimiù rigidè ex verbis Arist. ostendere conantur, accidentia, ex se, non esse Entia formaliter, sed denominatione externa. Verum, quia illorum rationes nobis non persuadent contrarium, defendemus, his adduci rationibus: 1. Quicquid habet essentiam realem & absolutam, habet etiam existentiam, sive esse reale & formale, h. e. est Ens formaliter, non denominativè. Sed accidentia habent essentiam absolutam, quæ exprimitur per prædicata formalia, ut albedo est color disgregans visum. Ergò &c. 2. Accidentia dicuntur m-esse. Ergò est aliquid, quod inest diversum ab eo, cui inest ex sua natura. 3. Si accidentia non habent essentiam aut quidditatem propriam, sed tantum per attributionem ad substantiam dicuntur Entia: Ergò differentia in sui essentia participabit genus, quod est contra Aristotelem. 7. Metaph. t. 42. & l. 21. c. 1. nam etiam differentiæ sunt accidentia generis, ut bipes, quadrupes animalis. 4. 8. Metaph. t. 16. dicit Arist. Ens statim esse substantiam, & cætera prædicamenta. Vult igitur quodlibet horum, habere suam propriam Entitatem intrinsecus & formaliter. 5. 4. Metaph. t. 3. dicit, non differre: si dicatur: Ens homo, & homo, neq; igitur differunt Ens color, & color; atqui color significat propriam & formalem rationem quidditatis. Ergò etiam Entitas ejus est propria & formalis, quia idem sunt Ens color, & color. 6. Ipsi contrariæ sententiæ Patroni concedunt, etsi accidentia sint Entia merito substantiæ, non tamen esse talia Entia propter substantiam, v. g. non esse qualitatem propter substantiam, nec quantitatem. Sic dicunt: nivem esse causam ut albedo sit Ens, non autem ut albedo sit qualitas, qualitatem enim esse ex sua natura. Concedunt igitur albedinem habere naturam aliquam, per quam sit qualitas, & quia non habet hoc à substantia, ut sit qualitas. Ergò neque naturam illam habet à substantia; si naturam & essentiam habet absolutam & formalem, ergò & Entitatem. Erit igitur Ens absolutum & formaliter. Per quod enim albedo est albedo, color, qualitas, per idem est Ens, quia idem sunt Ens albedo, & albedo: vera enim essentia veram etiam existentiam seu Entitatem infert, quia non differunt re, essentia & existentia, per Ens autem existentia intelligitur. Idem de cæteris est judicium.

X.

An Angeli sint substantiæ corporeæ? Aff.

Subtilissima & spinosissima hæc est quæstio, ex qua etiam summi viri sese extricare, ac expedire vix potuerunt, ita ut potius in negativam sententiam abie-

riut. Nos tamen affirmantem partem tuebimur his armati rationibus. 1. Vbi multitudo, ibi materia. Angeli autem sunt multi. Ergò materiam eos habere necesse est: materia autem est corpus. Ergò sunt corporei. Major est ex 12 Metaph. t. 49. & Arist. 1. cœli. t. 92. non affert aliam causam, ob quam plures videantur posse esse mundi, quam quia formam in materia habeat mundus, quasi si formã in materia non haberet, nulla esset ratio, ob quã cogitare quis posset aut deberet, plures posse esse mundos. Quare pluralitas impossibilis est sine materia. 2. Materia est causa omnis contingentiæ. 6. Metaph. t. 5. Angeli sunt contingentiæ obnoxij. Ergò habent materiam, sed non vagam & incertam, cui se pro arbitrio applicent, ut quidam volunt. Ergò propriam, si enim non assignatum habeant corpus, cui assistant, sed varijs utantur, sequetur ipsos ex seipsis habere numeralem differentiam & multitudinem, neque eam accipere à corporibus quibus assistunt. Dabitur ergò in substantijs abstractis & immaterialibus, multitudo per se, quod est contra Aristotelem, & contra veritatem ipsam. Non enim materia erit causa divisionis; nam quod idem numero ab uno corpore ad alterum transire potest, id jam habet suam distinctionem numericam, non à corpore accipit. Angelos autem esse contingentiæ obnoxios, comprobat tot seculorum experientia, Dæmones (sive Angelos, nam sunt σωώνυμα,) commercium habere cum hominibus, nunc hoc, nunc illud agere, loqui, suadere, dissuadere, transferri, moveri, nunc hîc, nunc ibi esse, amare, odisse. His accedit autoritas S. Scripturæ, quæ lapsos testatur, & supplicio obnoxios, quæ omnia mutabilitatem arguunt & contingentiam. 3. Imaginatio non est sine corpore. 1. de anima t. 12. Dæmones habent imaginationem. Ergò sunt corporei. 4. 7. Metaph. t. 22. dicitur: quæ esse aut non esse possunt (intellige secundum quamcumq; categoriam) ea habent materiam, hoc enim h. e. hanc possibilitatem unicuiq; esse materiam. h. è. ex materia. Angeli autem habent possibilitatem ad esse, & non esse, non tantum in Categoria ubi, ut nunc hîc sint, nunc alibi, sed etiam in Categoria qualitatis, agere, pati, ut constat ex 2. Pet. 2. v. 4. Judæ v. 6. & 9. Ergò materiam habent. 5. 9. Metaph. t. 19. dicitur, in sempiternis neq; malum, neq; peccatum, neq; corruptionem esse, quia non habeant potentiam, sed sint actus. At Angeli ista omnia habent. Ergò non sunt puri actus, sed habent potentiam. Si potentiam. Ergò etiam materiam & corpus; & sanè si corpus proprium non haberent, nihil differrent à prima substantia simpliciter, & essent simpliciter incorruptibiles; corruptibilitas enim omnium Entium extrema, cui etiam Angeli, & substantiæ abstractæ sunt obnoxiæ, est: quando simpliciter prima substantia, radios illos, Divinæ bonitatis suæ & Entitatis communicatæ, ad se retrahit, unde omnia nihil esse oportet, quemadmodum anteà fuerunt nihil, hæc autem retractio fit abstractione à materia omni. Satis est. Tu desine rectam:

Exspuere

Digitized by Google

Exſpuere ex animo rationem; ſed magis acri
Judicio perpende: & ſi tibi vera videntur
Dede manus! aut, ſi falſa hæc, accingere contra.

ERNESTI SONERI

De

IRIDE COELESTI,

Autor & Reſpond.

Andreas Ludovicus Schopperus,
Onolzbacenſis.

THESIS I.

PYrrhonij & Sceptici Philoſophi (à Pyrrhone iſtius ſectæ principe ita nominati teſte Laërtio) omnem rei certitudinem negantes, nihil propter fluxum, & mutabilitatem omnium rerum ſciri poſſe, ſunt arbitrati.

II.

Hoſce tamen Philoſophiæ princeps in 1. Poſt. Analyt. libro ſufficienter refutavit, dum ſcientiam dari oſtendit.

III

Quamquam enim veritas inventu difficilis ſit, ac ut Democritus dicebat, in puteo, demerſa jaceat: non tamen ob difficultatem, eandem planè non dari dicemus: Non enim omne difficile, Impoſſibile.

IV.

Datis enim cauſis ſufficientib. ſequitur Effectus. Quid itaq; obſtabit? quò minus haberi queat veritas & ſcientia? quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, ut loquitur Ariſtoteles 1. Poſt. Analyt. c. 2.

V.

Quæ cum manifeſta ſint: nos ea ad noſtrum adplicemus propoſitum, atq; Iridis ſcientiam quærentes, ejusdem cauſas explicemus.

VI.

Prius autem de nomine diſpiciamus. Iridem δοτὸ τοῦ εἰρεῖν *dictam vult Plato in Cratylo, quod ſit nuncia pluviarum & tempeſtatum, tum præteritarum, tum futurarum.*

VII.

Quam equidem interpretationem & delineationem tolerari posse censeo: quam experientia facit probabilem, sua quoq; fundamenta in S. L. habet; siquidem Deus Noë promisit, hoc signum futurum perpetuum pluviarum, quæ terras non amplius sint suffocaturæ: uti textus apertè declarat. cap. 6. Genes.

VIII.

Poëtæ, eodem sensu, Iunonis nunciam finxêre, ut loquitur Vergilius 4. Æneid. in fine.

Ergo Iris croceis per Cœlum roscida pennis,
Mille trahens varios, adverso sole, colores
devolat &c.

IX.

Nominarunt quoq; Iridem Thaumantis filiam: Etenim ob pulcherrimam colorum commixtionem & venustatem, quam præ se fert, animis nostris præbet admirationem & delectationem.

X.

Quod nomen & Socrates apud Platonem in Theæteto approbat. Intuentibus enim iridem, tàm varijs colorib. picturatam, tamq; mirabilem habere convenientiam & concinnitatem, quod omnes ejus partes tam aptè dispositæ sint, ut unus color alteri, quasi ornamentum, afferre videatur, admiratio animum subit.

XI.

Admiratio enim est principium philosophandi, ut loquitur Philosophus 1. Metaph. c. 2. Διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν *& paulò post,* ἄρχονται μὲν γὰρ ὥσπερ εἴπομεν ἀπὸ τοῦ θαυμάζειν πάντες οἱ ὅτως ἔχοι.

XII.

Explicato nominis Etymo, ad causas accingamur & primum internas. Materia Iridis, teste philosopho, est nubes rorida, quæ jam resolvitur in aquam, opaca & concava. Hæc enim nubes, radios solares excipit dissimiliter, secundũ partium suarum dissimilitudinem, 3. Meteorol. c. 5.

XIII.

Huic sententiæ adstipulatur etiam Plinius lib. 2. c. 61. ubi dicit: Manifestum est, radium solis, immissum cavæ nubi, repulsa acie in solem refringi. Quibus verbis nubem cavam materiam, quæ subjectum est, denotat.

XIV.

Forma autem Iridis est arcus, coloribus varijs aptè & concinnè pictus, qui

pro

pro varietate dispositionis materiæ, & elevatione corporis luminosi, aliàs major ius minor apparet, quippe centris corporis luminosi, iridis & visus nostri in eadem linea existentibus.

XV.

Quanquam autem Iridis arcus vel major, vel minor apparere possit, semicirculi tamen magnitudinem non excedit, quod summus ille Philosopharum Princeps Aristoteles in 3. Meteor. lib. c. 2. affirmat, dum ita, inquit : τὸ δὲ ἴριδος εἶδος οὐκ ἔστιν γίνεσθαι κύκλον, οὐδὲ μεῖζον ἡμικυκλίου τμῆμα.

XVI.

Sed videtur hic obstare experientia : Nam scribit Franciscus Picus Mirandulæ comes, lib. 2. de studio doctrinæ & Humanæ Philosophiæ c. 3. se vidisse Iridem circulo completo, cum proficisceretur Florentiam. Cui quoq; Vitellio ad stipulatur, qui scribit: plures Iridis simul in Italia conspectas esse sub vespera, distantes à sole 10. grad. circulis completis & extrinsecus ferè contiguis.

XVII.

Rationem verò reddit Vitellio lib. perspect : 10. dist. 10. hujus circuli, quem dicit esse saltem apparentem, non verum Circulum : Causa autem est reverberatio luminis solaris, à forti nube in aliam roridam nubem : Nam cum visu noster facile decipi possit ob distantiam summam, non discernentes nubes à seinvicem, in eadem nube fieri putamus : siquidem sol fortes radios immittit in nubem fortem, & huic ex opposito rorida nubes respondet, quæ propter refractionem facilè recipit simulachrum impressionis : Et sic videtur Iridis arcus circulo completus.

XVIII.

Quantitate explicata, ad qualitatem accedamus, diversitatem colorum in Iride indagantes : Colores itaq;, qui in Iride conspiciuntur sunt apparentes, uti & iris est : Nubes enim, instar speculi recipientis corporis colorati formam, vel simulachrum, quod tantum apparet, pro varia radiorum solarium reflexione variat & repræsentat.

XIX.

De numero colorum dissentiunt inter se authores, quorum alij duos, alij tres, alij quatuor statuunt,

XX.

Et prima sententia est Theologorum, qui duos in Iride statuunt colores, unum aqueum, alterum igneum : dicentes: Iridem typum esse, & aqueum colorem denotare diluvium totius generis humani, totiusq; terrarum orbis, quo Deus peccata hominum punivit : Colorem verò igneum, esse signum futuræ corruptionis, vel interitus hujus mundi, quod nempe Deus igne sit perempturus totius mundi

machinam à se creatam, ut D. loquitur Petrus : Cœli liquescent instar ceræ. 2. Pet. 3. Quæ quidem sententia suo loco toleranda, ac ei ratione pietatis cedendum est, locum tamen in Physicis habere nequit.

XXI.

Altera opinio, eaq; verior omnium Peripateticorum est, qui uno ore tres in Iride colores primarios conspicuos confitentur. Puniceum, viridem, & caruleum, quod etiam summus noster Philosophus approbat 3. Meteorol. lib. cap. 4 & 5.

XXII.

De Generatione horum colorum, difficillima & intricata est disputatio; sed hic breviter. Et primum: quod attinet puniceum colorem, ille fit in nubis parte nigriori, quæ proximè occurrit, per quam fit validior immissio & repercussio radiorum, si enim fulgidum per nigrum conspicitur, puniceum colorem repræsentat.

XXIII.

Viridis vero color, fit ex debiliore radiorum refractione, in remotiore & aquosiore nubis parte.

XXIV.

Caruleus seu purpureus color, ex debilissima refractione & repercussione oritur, adeò ut visus, lumen infractum vix percipiat. Quod Aristoteles declarat in 3. Meteor. lib. cap. 4. ubi per totum caput, istam mutationem & generationem perspicuè demonstrat.

XXV.

Hisce adjungunt quidam ex recentioribus, quartum colorem, nempe flavum. Ex quorum sententia quoque pugnat Illustris Scaliger : quod videre est Exercit. 80. & probare conantur autoritate Aristotelis. Vocat enim istum quartum colorem ξανθὸν. Hisce tamen respondemus : nos equidem colorem istum interdum in Iride apparere confiteri : sed quod ex repercussione & fractione radiorum solarium generetur, negare : loquimur enim de istis coloribus, qui ex repercussione & refractione oriuntur, quos tantummodo tres esse, perspicuum est, non autem de illis qui ex mutua commixtione, aut potius juxta positione apparent; ex vicinia enim & conjunctione punicei & viridis coloris, flavus apparet teste Aristotele, supra citato loco.

XXVI.

Iridis causa efficiens principalis est Sol, qui radios suos immittit rorida nubecula, ex quorum repercussione & refractione, pro radiorum diversitate, diversi colores oriuntur, aliquando etiam ex Luna..

XXVII.

Quam sententiam amplectitur Princeps noster cum passim in 3. Meteorol.

causam

causam efficientem, radiorum solarium refractionem esse, pluribus demonstrationibus. Cum quo consentit Plinius lib. 2. cap. 61.

XXVIII

Finis in Physicis nullus est Iridis, ut nec cæterorum Meteororum, neq; enim idem sunt: esse finem, & esse signum: neq; omne signum est propter signatum.

XXIX.

Tantum de causis dictum sufficiat: nunc quoque affectiones & accidentia declarabimus, siquidem plurimum lucis ad cognitionem & veram Iridis scientiam conferunt.

XXX.

Cum itaq; omnibus corporibus naturalibus & mixtis, affectiones quædam competant, sic huic meteoro competunt affectiones generales, tempus & locus. Quoniam autem locus generalis, omnibus meteoris communis, tres videlicet aëris regiones; in specie de proprio Iridis loco dicendum est.

XXXI.

Fit itaq; vel generatur Iris in media aëris regione: quia causa materialis ibi posita est & consistit, nempe nubes, quæ si in prima aëris regione constituta essent, statim propter calorem tum aëris, tum solis resolveretur; siquidem propriùs caloris resolvere, frigoris vero condensare. Et in quavis mundi parte fieri potest Iris, tamen in Oriente & Occidente sæpius fieri, experientia testatum reliquit.

XXXII.

Tempus quod attinet: autumno frequentius generari, imò post æquinoctium autumnale fieri Iridem antiquitas reliquit. Æstate verò nunquam, aut certè rarò. Nam cum Sol altissimus est, summaq; & intensissima caliditas ob rectam reflexionem radiorum solarium, itaq; Sol consumit & devorat nubes, exiccatq; vapores & exhalationes humidas, ut ita Iris fieri non possit; Nam denegatis causis, denegatur effectus juxta tritum axioma. Hoc tamen in nostris, seu frigidioribus regionibus fallit, ubi etiam in æstate nubes coguntur creberrimè.

XXXIII.

Iris itaq; neq; sereno, neq; nubilo tempore, quo Sol lateat generatur, sed medio inter utrumq;.

XXXIV.

Ex hisce sanè ipse generationis modus facilè intelligi potest: Cum enim nubes rorida, jam jam in guttulas resoluta, ex adverso & è diametro opponitur soli, sol radios immittit, & pro nubeculæ dispositione, varios ob diversitatem & imbecillitatem radiorum, colores causſat, qui etiam ob diversitatem & varietatem materiæ, vel remissiores vel intensiores sunt.

Apparet

XXXV.

Apparet hoc in ſpeculis, in fruſta & minutas particulas fractis: ſi magnum corpus objectum ſit, recipiunt tantum partes quasdam, ob exilitatem, quia totum corpus complecti non poſſunt. Sic etiam in Iride, cum nubes in parvas guttulas eſt reſoluta, & nulla guttularum, totam corporis luminoſi imaginem recipere aut referre poteſt, colores tantum varios diſpari reflexu regerunt, unde tanta varietas reſultat colorum.

XXXVI.

Hinc jam talem definitionem Iridis conflare poſſe videmus. Iris eſt Φάσμα, arcus variis coloribus diſtincti formam repræſentans, in nube rorida, opaca, concava, ex reflexione radiorum corporis impensè luminoſi.

XXXVII.

Dixi Φάσμα, quia non ex numero corporeorum, ſed accidentium apparentium circa meteora corporea, & conſideratum ſecundum eſſam ſui apparentiam formaliter, non ut corpus: quemadmodum etiam chaſma non conſideratur, quatenus conſtat ex materia, ſcil. exhalatione calida & facilè inflammabili, ſed quatenus præ ſe fert diſrupti Cœli ſpeciem, quæ revera nō eſt, ſed apparens.

XXXVIII.

Dividitur Iris vel ratione ſubjecti, vel ratione efficientis: Ratione ſubjecti alia dicitur Marina, alia Cœleſtis ſeu Meteorologica, nobis hoc loco prior cura non eſt.

XXXIX.

Ratione efficientis dividitur in Solarem & Lunarem: Solaris fit à radijs ſolaribus, immiſſis in roridam nubem & hæc fit interdiu. Lunaris verò fit à radijs lunaribus noctu: quæ tamen rarò accidit: ſiquidem imbecillitas radiorum, tum etiam frigiditas nocturna, condenſans nubes roridas obſtat, quo minus generari poſſit Iris Lunaris. Ariſtoteles, 3. Meteor. c. 2.

XL.

Dari tamen non negamus: Nam teſte Cœlio Rodigino, in uno anno, Iris Lunaris bis apparuit, quod & Scaliger Exercit. 80. ſect. 11. approbat: & Albertus, ſe Iridem lunarem vidiſſe, atteſtatur: Et tantum de Iride dictum ſufficiat.

PROBLEMA.

Vtrum Iridis Arcus ante diluvium extiterit?

NOn deſunt, qui negant Iridem ante diluvium fuiſſe: quod probare conantur ex cap. Geneſ. 9. ubi Deus ad Noam, & ejus filios, cum ijsdem fœdus iniens dixit: Ponam arcum meum in nubibus

cum

cum obduxero Cœlum nubibus: idq; apertum & perſpicuum teſtimonium putant, quod Iris ante diluvium non extiterit. Verum cum in omni Relatione duo ſint: unum materiale, alterum formale: & materiale poſſit ſalvum manere deſtructo formali: Reſpondemus; diſcernendum eſſe abſolutum à reſpectivo: Aliud enim eſt conſiderare eſſentiam Iridis per ſe abſolutè, quatenus exiſtit: aliud eſt conſiderare Iridem, quatenus eſt ſignum fœderis & reſpectivè: Nam hac ratione unius rei poſſunt eſſe plures eſſentiæ. Itaq; fatemur, ante diluvium non extitiſſe Iridem, ut eſſet ſignum fœderis, quæ eſt relatio & formale poſt diluvium: ſed quod planè non fuerit, hoc textus non evincit. Poſitis enim cauſis ſufficientibus, rem abſolutè conſtituentibus, ſequitur effectus: quid ergò obſtitit? quò minus generari potuerit Iris ante diluvium? quandoquidem & nubes fuerint, & lumen ſolis. Poſſibile igitur fuiſſe, ut ante diluvium eſſet, concludimus: An verò certò fuerit, aut non fuerit in neutram partem quod aſſeveremus, habemus.

Θεῷ μόνῳ δόξα.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

I.

NOn omnis Actus eſt præſtantior potentiâ.

II.

Neq; ſuæ doctrinæ, neq; veritati conſentaneè ſtatuit Philoſophus 4. de Cœlo, omnia Elementa præter ignem in ſuis lòcis habere gravitatem.

III.

Neq; illud credimus, aërem deſcenſurum ad medium, ſubtractis inferioribus Elementis.

IV.

Raritas & denſitas ſunt priores caliditate & frigiditate; ſunt enim principia omnium paſſionum 8. Phyſ. tex. 55. & tamen rectè hæ dicuntur primæ qualitates tactiles, non illæ.

V.

Si ſubjectum viſus prius eſt, quam ſubjectum tactus 2. Gener. & Corrup. t. 7. Si item omnia Elementa ſunt alba, ut vult autor libri de coloribus, Ariſtoteli adſcripti, rectè colligimus, ad generationem colorum, non requiri quatuor Elementa, ut quidam ex Peripateticis voluerunt.

ERNESTI SONERI

DISPVTATIO PHYSICA DE MOTU.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. TORIO. EMANUELE

Autor & Respond.

Casparus Starck/ Daphneimensis,

THESIS I.

VIn omnibus rebus naturalibus, motus, tanquam vita quædã, insit, & nos ea vivere dicamus, quæ motus principium intra se continent, seq́, ipsa movent, natura quoq́, universa per eundem operetur: Operæ precium esse duximus, ob singularem, hujus jucunditatem, & eximiam utilitatem, ex Aristotelis sententia, disputationem de eo proponere.

II.

Philosophorum autem omnium commune effatum est: Contra negantem principia, non esse disputandum (1. Phys. t. 8.) Quare nobis curæ esse non debent, qui negant motum: negant enim ijdem principium physicum. Arist. 8. Phys. t. 22. & 1. Phys. t. 11.

III.

Quin etiam, naturam ipsam negant, quæ definitur: Quod sit principium motus & quietis &c. & consequenter omnia naturalia, quæ iccirco sunt, quia naturam habent. In summa: omnibus scientijs & disciplinis adversantur, propè enim omnes utuntur motu.

IV.

Demonstrare inquit Philosophus (2. Phys. cap. 1. t. 6.) quæ sunt perspicua, ejus est, qui non potest dijudicare, quod est per se, & quod non est per se notum. Quærere autem rationes in ijs, quorum sensus potest esse judex, ἀπόδειξιν ἐςὶ διανοίας.

V.

Antequam vero ad quæstionem τὶ ἐςὶ accingamur, prænotandum putavimus, differentiam motus & mutationis, quam Aristoteles constituit in eo, quod motus sit species, mutatio genus, sitq́, omnis motus, mutatio, non autem omnis mutatio, motus.

Omnis

VI.

Omnis mutatio est in oppositis : opposita vero sunt contraria & contradictoria ; quæ in contrarijs est mutatio, ea demum dicitur motus propriè : Quæ vero inter contradictoria, Generatio, aut corruptio, aut generis nomen retinet. Quanquam non rarò Philosophus promiscuè usurpat, motus & mutationis nomina, ubi scilicet nihil opus est ἀκριβολογεῖν.

VII.

Per motum res non absolutè accipiunt suam essentiam : Sed vel tale esse, ex tali, vel tantum, ex tanto &c. Ubi uterq; mutationis terminus affirmatione profertur, quod in contradictorijs non fit. Per generationem vero res accipiunt suum esse, ex non esse : In qua oppositione alter terminus negatione effertur.

VIII.

Motus est actus ejus quod est mobile quatenus mobile, Arist. lib. 3. Phys. cap. 3. t. 16.

IX.

Ἐντελέχειαν quæ in definitione loco generis ponitur, nos non cum Cicerone, pro continuata aut perenni motione sumimus ; Aliàs enim Aristoteles perperam, motum per eam definijsset, quia motus definiretur per motionem, idem ferè per idem.

X.

Sed accipimus pro inchoata perfectione, sive actu imperfecto, qui ἐν τῷ γίνεσθαι adhuc est. Namquod calefit, non est perfectè calidum, alioquin non esset potentia calidum, nec moveretur ulterius, & proinde motus non esset, sed esset perfectus.

XI.

In uno quoque autem motu duo sunt termini, scilicet terminus à quo, & terminus ad quem.

XII.

Denominatur motus, à termino ad quem.

XIII.

Hinc in quibus & quot Categorijs sunt termini motus : in ijsdem ponitur motus : per se autem & absolutè, in nulla est Categoria directè.

XIV.

Ratio est : quia motus nihil est præter id, secundum quod aliquid mutari dicitur : sive, re non differt à termino ad quem.

XV.

Reperitur autem terminus motus in tribus Categorijs : In Quantitate,

Qualitate, & Vbi: non in alijs. Quæ vero in ſubſtantia eſt mutatio, motus non eſt, ſed generatio & corruptio: quanquam ſine motu non fiat.

XVI.

Imo eſt quidem generatio quoq; ut & corruptio, reipſa nihil aliud, quam motus, ſed ratio formalis ejus eſt diverſa.

XVII.

Motus, qui ſecundum quantitatem ſit, dicitur augmentatio, cui contraria diminutio: qui ſecundum qualitatem, alteratio ſeu variatio: qui ſecundum locum, Latio.

XVIII.

Motus non fit ad motum, nec mutatio ad mutationem, ut ad terminum.

XIX.

Vnus motus eſt, qui eſt unius mobilis ſecundum eandem formam, eodem tempore.

XX.

Neq; duo ſunt motus, ſi animal ex turri cadens, in via moriatur.

XXI.

Motui contrarius eſt motus & quies; ille, ut contrarium: hæc vero, ut ejus privatio.

XXII.

Non autem qualibet quies cuilibet opponitur motui, ſed tantum quies in termino à quo, opponitur motui ex illo. Nam habere aliquid & amittere illud, ſunt oppoſita. Per quietem autem in aliquo habetur illud, per motum vero abjicitur.

XXIII.

Quies autem in termino ad quem, non opponitur motui qui ſit ad illum, quia eſt finis & perfectio motus.

XXIV.

Motuum contrarietas petenda eſt à terminis, in quos definunt motus, quia in motu uno, unus terminus abjicitur, & alter acquiritur, & contra, ut Dealbatio, Nigratio. Si frigus contrarium eſt calori: Ergo frigefactio calefactioni. Nam frigefactio re idem eſt cum frigore; Calefactio vero cum calore.

XXV.

Motus eſt continuus & ſucceſſivus, mobile igitur diviſibile eſſe oportet; Quod autem impers eſt, moveri nequit.

XXVI.

Ob eandem cauſam, omnis motus ſit in tempore, nullus in inſtanti: quia

ſit ſuc-

Digitized by Google

ſit ſucceſſivè, & habet partes priores & poſteriores, quæ tempus denotant. Ariſt. 4. Phyſ. prolixè.

XXVII.

Formam tamen, quæ per motum acquiritur, diviſibilem per ſe eſſe, non eſt neceſſe: ſed tantum ad diviſionem mobilis.

XXVIII

Motus quia continuus eſt, adeoq; in infinitum diviſibilis, primam partem non habet, Sed tamen principium: nec poſtremam, ſed tamen finem.

XXIX.

In motu conſideratur etiam agens ſeu movens, ipſe tamen moventis ἐντελέχεια non eſt, ſed mobilis, licet re idem ſit, quod ἐνέργεια agentis ſeu moventis.

XXX.

In univerſum naturaliter nullus datur motus primus, ſed ante omnem motum alium fuiſſe eſt neceſſe. Quod autem cœpit, Phyſicè non eſt factum.

XXXI.

Non autem ut nullus motus primus: ita etiam nullus primus motor, imò motus naturaliter æternus eſſe non potuit, niſi primus motor unus aliquis & æternus fuerit.

XXXII.

Ratio eſt, quia quicquid movetur ab alio movetur: ſi igitur in infinitum abeundum non eſt, ſtandum erit in aliquo primo.

XXXIII.

Ob eandem cauſam, primum movens, immobile quoque eſſe oportet.

Parerga Phyſica.

I.

SI terra in medio non quieſceret, cælum non moveretur.

II.

Cælum eſt animatum) (Cælum non eſt animatum.

III.

Motus circularis habet contrarium) (Motus circularis non habet contrarium.

Metaphysica.

I.

POtentia Dei, vera non est potentia, sed negatio impotentiæ ad quævis possibilia; sic & cætera attributa.

II.

Si par & impar insunt numero per se *1. post: c. 4. t. 10. distinct. antiq.* nec sine numero definiri possunt *7. Metaph. t. 19.* quomodo ibidem *t. 43.* negatur differentiam participare genus? An quia

Differentiæ sunt extra genus) (Differentiæ non sunt extra genus?

III.

Etsi prius est animal quam homo. *2. gener. animal. cap. 3.* non tamen in homine distincti sunt actus animalis, & hominis.

FINIS DISPUTATIONUM.

ORATIO:

Digitized by Google

ORATIONES ALTOR-

FINÆ, ANTEHAC SEORSIM EDITÆ.

ERNESTI SONERI,

Orationes duæ

I. DE INSOMNIIS,
II. DE VITA CONTEMPLATIVA;

Præfatio,

Illustri, Generoso & Magnifico Domino,

D. GOTTFRIDO HENRICO S. R. Imp. Mareſcallo hereditario, Baroni in Bappenheim, & Dn. in Treichtlingen, Academiæ Noribergenſis pro tempore Rectori, &c. Dn. meo gratioſo.

MOs eſt, Illuſtris & Generoſe Dn. Mareſcalle, Rector Magnifice, ut qui novo Magiſtratui ſignum dare velint debitæ reverentiæ & lætitiæ, quam ex ipſius honore percipiunt, quaſi in publicum effuſi, ex veteri formula FELICITER, & BONUM FACTUM acclament, benè imperij auſpicijs ominantes. Ego vero, quum nuper illuſtri T. M. in Nobiliſſimorum & Clariſs. hominum luce, ſceptrum Academiæ noſtræ, maxima omnium cum expectatione & applauſu delatum viderem, incredibile dictu eſt, quanto ſupra cæteros perfuſus ſim gaudio, quamq; in hac inauguratione Illuſt. T. M. exultaverim. Affecit me mirabiliter, quod videbam Illuſtri T. M, (cujus jam

Creſcit occulto velut arbor ævo
Fama,

cujusq;

cujusq; indoles & vultus verè generosus, nescio quid eximium, & supra ætatem jam tum mihi pollicebatur) ab Academia quoq; nostrâ, aliquod debiti honoris, velut insigne & monumentum erigi. Affecit me etiam plurimùm Felicitas, & bonum Academiæ nostræ Fatum, quam sub Tuo Sceptro, & Magistratu, ceu sub sideris alicujus illustrioris irradiatione & gubernatione, fortunatissimam fore omnes auguramur: præsertim quod à latere Tibi constitutum est alterũ illud Academiæ nostræ decus, Clarissimus & Celeberrimus Antecessor Dn. Scipio Gentilis J. C. &c. ex cujus singulari, in cõsilijs, prudentiâ atque dexteritate, juncta cum illustri M. T. splendore, velut ex benigna siderum conjunctione, faustoq; aspectu nihil nisi fortunatum in Academiam nostram influere posse speramus. Quare officij mei esse putavi, non tantum morem sequi communem, sed singularẽ affectũ singulari quoq; testari indicio. Quum vero nullum hoc tempore occurreret aliud, visum fuit istam, de Somnijs orationem, jejunam illam quidem, & balbutientis fœtum oratoris, cujus tamen Illustrem T. M. attentissimum habui auditorem, in gratulabundi & exultantis animi mei signum eidem dedicare, & sub ipsius auspicijs atq; præsidio in publicum emittere: alioqui, ut prævideo à livore & morsu male volorum parùm tutam futurã. Hanc ut Illustris T. M. serena fronte accipiat, neq; muneris tenuitatem aspernetur, sed prolixum offerentis animum spectet, meq; in clientelam suam recipiat, omni reverentia atq; submissione animi peto. Sic D. O. M. Illustrem T. M. bono publico diutissimè servet incolumẽ, atq; omni corporis & animi prosperitate cumulet ac beet. Dabam Altorfij Cal. Quintil. Anno M. D. C. X.

Illustri

T. M.

addictissimus

Ernestus Soverus D.

Oratio, I.

De

INSOMNIIS, RECITATA PUBLICE, ALTORFII, IN RENUNTIATIONE OCTO MAGISTRORUM.

Die ultimo Junij Anno M. DC. X.

VT qui fundos habent nobiles & sumtuosos, quorum eu-
ram distribuerunt colonis, vineas plantarunt, hortos
conseverunt, agros omnis generis conspersérunt semi-
nibus, Audit: Illustres & Generosi, Nobilissimi, Am-
plis. Magnifici, omnium ordinum præstantissimi, tùm
demùm colonorum industriam ac fidem reipsâ perspiciunt, remq;
& operæ precium sese fecisse putant, ubi verno tempore, prata, de-
centi florum varietate & pulchritudine, colorari vident, frutices ger-
minare, arbores florere, luxuriare segetes, ac deniq;, si mes
sumtuiq; respondeat: ita quia Ephebéa & gymnasia primi
runt, quiq, deinceps eadem magnâ liberalitate sustentau
liter, opinor, consiliorum suorum & impensarum æstima
tem, aut ministrorum, Professorumq; suorum fidem, si
atq; prudentiam agnoscunt, quàm ex ubere ingeniorum
si hos quidem ex juventute herbescere, alios producer
certam spem fructus facere, alios maturitati jam vicin
gant, itaq; in universum sementem esse factam, ut, quu
matura Reip. fruges demetere liceat. Quò respexisse arbi
sapientissimos & Nobilissimos Reip. nostræ, primos hujus schola
fundatores, quorum memoriam, gratâ mente, meritò veneramur,
qui publicas solemnesq; promotiones, in hoc anni temp⁹, rejecerunt,
quo terra cultoribus suis, quos hactenus admirabili aspectus amæ-
nitate delectavit, spemq; tantùm utilitatis ostendit, nunc justa labo-
rum præmia uberrimâ messe exolvit; ut quasi ad certamen hoc, cum
naturâ suscipiendum, in nostro Literario Campo, aut certè ad imita-
tionem ejus nos excitarent. Sapienti sanè consilio, cui æquum est,
ut prō viribus nos accommodemus. Ecce igitur, produximus heri
in conspectum vestrum, plantas horti nostri Academici, partim in te-

nerâ & molli herbâ propter ætatem, partim etiam in flore & robore adultiori, ſpes Reipub. non multo pòſt fructus ingenij oſtenſuras, viresq; ſuas, ad communem utilitatem, patriæ explicaturas. Nunc eas affero ex agro Philoſophico, quem diligens præceptorum cultura, & propriusingenij labor, ad maturitatem aliquam excoxit, ut jam utilem Reip. operam navare, nosq; in arenâ, ut ajunt, ſementem non feciſſe luculenter oſtendere poſſint: cujus rei vos ipſos mox, uti ſpero, habiturus ſum teſtes. Prius verò id agam, ad quod non tàm mea voluntas, quàm loci huius conſuetudo, & expectatio veſtra me invitant; ut ſcil. verba faciam, de re aliqua, vobis non ingratâ, nec à meis ſtudijs aut profeſſione alienâ. Quanquam tenuitatem & infantiam meam lubens agnoſco, mallemq; ipſe aures præbere alij, ad dicendum inſtructiori, quàm earum uſuram à vobis poſtulare; nunc præſertim, poſtquàm Orator heſternus longè diſertiſſimus, ſuavitate ſua & elegantia, eas delicatiores vobis effecit. Verumtamen quia eò deventum eſt, unde referre pedem non licet, vela facienda ſunt, quæ me cunq; tempeſtas excipiat.

Prorector Andreas Dinnerus V. I. D.

Quòd ſi favore & benevolentia veſtra, tenuitatem atq; inopiam omeæ ſublevare non dedignabimini, ut ſperare me inſignis manitas jubet, dabo operam, ut nec injucunda, nec proatura & cauſſis Inſomniorum, ex philoſophorum ſcrinijs bisq; ſimplici & perſpicuo orationis genere proponam. aciatis, mihiq; unius ſemihorulæ attentionem benignè tiam atq; etiam vos oro & obteſtor.

es operationes animæ, nulla eſt, Auditores, quæ plus difficultatis aut inis pariat, in animis hominum quam, ſomnium: ſive enim objecta nàmquamq; facultatem ad operandum, ſive operationis modũ, ſive ..., quæ conſequimur ijs operationibus ſpectes, omnia expedita magis & explorata ſunt in cæteris. Somniorum autem, nec quæ ſit cauſſa movens, nec quis modus ea excitandi, ſatis liquet: ijsque non tantùm præterita aut præſentia, ſed & futura non raro atq; latentia præſentimus, ſine omni rationis diſcurſu aut ſyllogiſmo, & quod maximam difficultatem facit, non vicina tantùm quæ nos circumſtant, ſed longiſſimè remota, ad quæ alioqui & propter locorum diſtantiam, & propter alia impedimenta, nulla humana prudentia pervenire poteſt. Qua de cauſſa divinum aliquid videntur ſomnia, & ab Ariſt. dæmonia appellata ſunt, quaſi nullam in natura cauſſam habere videantur, ſiquidem futurorum cognitio ſolius putatur eſſe Dei, & ſomniorum interpretationem tamquam divi-

nitus conceſſam, atq; inter omnia divinationum genera admirandam, omnes leges celebrarunt. Caterùm quod contingit plerùq; aliis præcognitionum generibus, quæ circa res contingentes & mutabiles verſantur, ut ab aliis ſuperſtitiosè exaggerentur & extollantur, tanquam perpetua & nunquam fallentia, ab aliis autem imperitis & ignaris cauſſarum ſuperbè contemnantur & omnino explodantur, idem & ſomnijs uſu veniſſe comperio. Epicurus enim Metrodorus, & Zenophanes, omnem divinandi vim à mortalium animis relegantes ſomnia tanquam vanas apparitiones, & deluſiones imaginum, animis noſtris per ſomnum temerè occurſantium deſpexerunt. Ex altera parte Stoicorum ſchola nimium ſomnijs tribuens, ſtatuit ea eſſe divinæ bonitatis conceſſa hominibus beneficia, ac veluti nuncios voluntatis divinæ, unde etiam μαντικὴν ſuam extruxerunt. Medios reperio Ariſtotelem, Platonem, Socratem, Hippocratem, Galenum, & alios gravis judicij atq; auctoritatis viros, qui nec nihil, nec parum, nec nimium etiam ſomnijs tribuendum putant: cujus ſententiæ veritas apparebit, ſi quid ſit ſomnium, & à quibus cauſſis proveniat, intelligamus.

Principiò autem, hoc, tanquam indubitatum, & penè ab omnibus conceſſum ſtatuendum eſt fundamentum: Inſomnia eſſe motus phantaſiæ in ſomno. Etſi enim Iamblichus & Avicenna intellectus ea adſcripſerunt, ſatis tamen refutantur, vel eo ſolo, quod etiam brutis quibus phantaſia eſt conceſſa, eveniunt, quæ tamen intellectu carent; cujus evidentiſſimum argumentum habemus in canibus, qui nonnunquam in ſomno ſublatrant, ingemiſcunt, dantque alia ſigna interiorum phantaſiæ paſſionum, quæ mox ceſſant, ubi evigilaverint. A quibus igitur & quot cauſſis phantaſia in ſomno moveri atq; affici poteſt, ab ijsdem ſomnia quoq; proficiſci eſt neceſſe. At conſtat ratione & experientiâ, quorundam ſomniorum cauſſas, eſſe in ipſo ſomniantis corpore, videlicet humores, cibos, potus, animi perturbationes, & cogitationes recentes, quæ ſomnum antegreſſæ ſunt: qualia ſomnia attendunt Medici ut interiorem corporis conſtitutionem explorent. Nam quibus bilis flava exundat, ij ſomniabunt incendia, & rixas: quibus vero atra, ijs terra & caligineſa ſpectra, funera, & carceres per ſomnum occurrent: Si ſanguis exuperet probus, & ſpirituũ copiâ fulgidus, iſti per quietem gaudebunt latis, tractabunt jocoſa, loca amœna perambulabunt, quin & volare ſibi nonnunquam videbuntur. Si verò pituita per corpus diffuſa ſit, inundationes aquarum, pluvias, & imbres obverſantes habebunt, in currendo gravitatem & impedimenta varia ſentient. Quorum omnium cauſſa eſt, quia nulla operatio animæ fit ſine ſpiritibus, qui idcirco commune animæ inſtrumentum appellantur: ſpiritus autem ſuſcitantur ex humoribus, ab ijsq; inquinamenta trahunt ipſorum naturæ conformia, quæ poſtea puras imagines, quas deferunt, ſimul contaminant, haud aliter atq; omnia rubra apparent, quæ cernuntur per

vitrum rubrum, etsi rubra non sint, communicante scil. vitro, & permiscente colorem suum proprium, cum colore rei visibilis. Eadem est ratio ciborũ & potus: cujusmodi enim sunt ipsi, ejusmodi etiam evaporationes de se per concoctionem emittunt, quæ permixta spiritibus animalibus phantasiæ in somno illudunt. Vnde prudenter Pythagoras scle, suosq; discipulos, à carnium fabarum, aliarumq; flatulentorum, & crassos vapores emittentium ciborum esu abstinuit, ut scil. & noctes quietiores transigerent, & animum ad philosophandum puriorem afferrent. De animi perturbationibus, curis, & cogitationibus profundioribus, quas interdiu nimis impressimus, nihil mirum est, si eæ eundem motum in phantasia durent etiam per somnum, cessantibus aliis motibus & operationibus sensuum, à quibus aliquamdiu per obscurabantur. Videas qui navim impellit à littore, aut lapidem projicit, longius protrudit, quàm remittatur manus impellens, ita ut cessante manu protrudente, duret tamen motus in navi & lapide: sic quoq;, qui fortem motum in phantasia concitavit, etsi postea eum urgere desinat, & ad alios transeat, nihilominus durat concitatus in phantasiâ, pro fortioris aut debilioris ejus impressione. Hucusque igitur pervenisse facile est, nec multa de his inter auctores dissensio. At illud explicatu non est facile, quomodo, & à quibus caussis illa insomnia fiant, quibus non quæ in nobis sunt, sentimus, quorumq; caussam moventem nobiscum circumferimus; sed quæ vel amicis nostris, ultra Herculis columnas, & ad Boryslhenem constitutis eveniant, aut eventura sunt, percipimus, vel nobis ipsis insignem aliquam felicitatem, infortunimve ab externâ caussa imminere præsagimus? Talia enim somnia nec rara esse, nec casu evenire certum est. Vix enim multis è millibus unum esse arbitror, qui non per vitam suam aliquid de seipso, aut familiaribus suis, per somnum, haud vano eventu præsenserit. Quin imo raræ extiterunt regnorum, urbium, familiarumq; eversiones, quæ suas, per insomnia, prædictiones non habuerint.

Exempla infinita proferre possem, nisi supervacaneum laborem, in re manifestâ & omnibus notâ, susceptum mihi viderer. Quis enim tam in historia Romana hospes est, ut nesciat: Calpurniam, Julij Cæsaris uxorem, eâ nocte, quam Cæsar in terris ultimam egit, in quiete vidisse collapsum domus fastigium, multisq; vulneribus confectum mariium, in sinu suo jacentem? cui somnio si fidem habuisset Cæsar, seq; à Curia abstinuisset postridie, parricidium corporis sui, viginti tribus vulneribus in Curia patratum, impedivisset. Quis item nescit, Augustum Cæsarem, quum ager in Castris decumberet, quo tempore Romani exercitus in Campis Philippicis concurrere debuerint, præmonitum somnio Artorij, medici sui, cladem evitasse? viderat enim medicus per quietem, fore, si Cæsar in Castris maneret, ut ab hostibus obtineretur: quod procul dubio evenisset, siquidem, postquam congressi erant exercitus, castra ejus à Bruto capta sunt. Non

praeter-

prætermittam, quod recens est, de Petro Bembo. Refert autem Hieronymus Fracastorius, vir spectatæ fidei & eruditionis, ex ipsius Bembi ore exceptum. Habebat Bembus litem cum, nescio quo; quum vero dies instaret, quo á judice sententia promulgari debebat, pridie illius diei dicebat: matrem enixè ipsum rogasse, ne sequenti die in judicium descenderet: somniasse enim, se illum vidisse vulneratum áreo, in digito minimo sinistræ manus, de quo somnio, quum ipse consolatus matrem fuisset, dixisset q; fallacia esse somnia, in judicium processit, ubi post multam altercationem, quum à judice recessissent, reum dicebat, educto gladio, percussisse ipsum eodem digito, qui à matre fuerat demonstratus. Omitto sacra, & alia innumera profana exempla, quæ passim apud scriptores fide dignos occurrunt. Hujusmodi igitur insomnia casu fieri verisimile non est, quum tam frequenter eveniant. Quod si cum falsis, quibus nullus respondet eventus, comparata videantur rara esse, non tamen hinc efficitur ea temerè fortuitoq; fieri. Nam & Eclipses Solis & Lunæ raræ sunt, nec tamen Casui eas tribuere fas est. Cur autem non omnia contingant, quæ per somnia ostenduntur, paulò post patebit. Nunc istorum somniorum causam scrutemur. lib. 2. de intellectione fol. 198.

Crediderunt non tantum Stoici, sed & antiquiorum nonnulli, hujusmodi somnia omnia à Deo immitti, nec ullam habere causam naturalem: quod, ut impium esset negare de quibusdam, ut de somnio Iosephi, Pharaonis, Nabuchodonosoris & similibus: ita vanum, & nimiæ credulitatis ac superstitionis esse putamus, de omnibus asserere. Argumentum non leve, ut opinor, est in contrarium, quo etiam Philosophus utitur; quod scil. non tantum prudentibus, bonis, & religiosis hominibus, sed improbis quoq; & sceleratis prævisiones istæ, & recta somnia contingant, ac sæpè magis, quam probis: neq; semper de rebus ad salutem publicam, aut propriam ipsorum somniantium commoditatem & emendationem spectantibus, cujusmodi Deum immissurum esse credibile est, sed plerunq;, aut certè frequenter de rebus levibus, turpibus & perniciosis, vel etiam neutris: quale est illud lepidum, quod idem Fracastorius refert de M. Antonio Flaminio. Is, quum Genuæ esset apud Magnificos Saulos, nec satis valeret, animi gratia, commodato acceperat librum quendam linguæ maternæ, quem quum dies aliquot legisset, non adhibita multâ cura reliquit super lectulo quodam, mox quum repeteretur liber ab eo, qui commodato dederat, quæsitus multum fuit, nunquam autem inventus, quod quum satis molestè ferret Flaminius amici causâ, cui commodatum non poterat reddere, per somnium tandem invenit hoc pacto: Videbatur sibi quædam è domesticis ancillis librum tollere è lectulo illo, in quo ipse eum reliquerat, quem quum vellet puella in mensam quandam transferre, cecidisse, ajebat, vidisse librum, fractâ alterâ è duabus tabulis, quibus contegebatur, quod perspiciens ancilla, trepidè librum abscondisse occulto

Digitized by Google

occulto quodam in loco videbatur. Somnio habito, quum ipsum manè Flaminius vulgasset, placuit librum inquirere, qui illic inventus fuit, ubi in somno viderat abscondisse illum puellam, fractâ etiam tabula, ut viderat. Ergo interrogata puella, unde librum sustulisset, & quomodo fracta fuisset tabula, & cur abscondisset? omnia eodem ordine narravit, quo Flaminius in somnis viderat. Hic credo, nemo quicquam suspicari poterit, cur Deus hoc somnium immittere debuerit. Accedit, quod quæ divinitus offeruntur visa, non magis noctu, in somnis, quam de die, vigilantibus ostenduntur, ut testatum faciunt sanctorum Prophetarum visiones. Eádem ratione convincitur, quod neq; à damonibus proficiscantur omnia, quæ fuit Porphyrij, & quorundam Platonicorum opinio: Siquidem nulla caussa est, cur magis noctu, quam interdiu id facturos damonas credere debeamus: quum & Socrates, demonij sui vocem magis de die vigilans, remq; aliquam minus feliciter sibi successuram aggressurus, exaudiverit.

Mapis Physicè Democritus atq; Synesius loquuti videntur, nimirum species quasdam, & simulacra à rebus ipsis emanare ad phantasiam nostram, eiq; se communicare. Veruntamen schola Peripateticorum, ejusmodi simulacrorum defluxum non admittit: quippe oporteret ea in medio interjecto recipi: quæ autem talia sunt, certam ac definitam habent distantiam, ultra quam sese non provehunt: quemadmodum sonos non ex quantocunq; sed ex certo tantum intervallo audimus. At somnia nullo intervallo excluduntur, nullis medijs intercipiuntur, sed longissimè dissita referunt, atq; etiam futura repræsentant.

Sed nolo aures vestras, tadiosâ opinionum commemoratione, fatigare quin potius, quam veriorem judico sententiam, statim vobis aperiam. Caussam sanè veriorem non invenio, ea, quàm princeps noster Aristoteles, naturæ genius, & prope dicam, terminus sapientiæ humanæ nobis reliquit: quæ, quamvis vulgaris est, nec cuivis obvia, imò etiam à paucis ipsius interpretibus intellecta, libet eam vobis fusius explicare: nec dubito, quin ea perceptâ assensuri sitis, & omnem ex animo dubitationem dimissuri. Statuit igitur is, quum innumera penè lateant in animâ nostrâ, eorũ, quæ sensimus, aut intelleximus, imagines, moveri eas à rebus externis, quarum imagines sunt, motu quodam peculiari; ita quidem, ut quæcunq; rebus ipsis eveniunt foris, phantasia per motum istum communicentur, qui similiter disponit imagines in animâ, quomodo res externæ affectantur: Et hunc motum, non esse imaginum aut simulacrorum effluentium ex rebus per medium, ut voluit Democritus, sed esse rei ipsius externæ in phantasiam actionem, medio quidem aliquo interposito, nullum tamen motum aut affectionem in se recipiente, unde etiam hujusce medij major aut minor quantitas, crassities, tenuitas, longitudo, nihil vel confert, vel officit. Hic non dubito motum istum inutilis imaginarium, & ad libitum confictum, hanc q; rationem somnio-

rum

rum absurdiorem, aut certè minus probabilem visum iri, quam quas suprà repudiavimus. Quem tu, inquient, motum in somnijs nobis somnias? Ipse Philosophus docet, in omni motu, agens necessario jungi cum patiente, sive immediatè, sive medio aliquo, quod ipsum tamen motum in se prius recipiat, quàm eum patienti communicet: quomodo enim aër inter me, & focum interjectus calefacere me potis sit; nisi ipse prius à foco incaluerit? aut quomodo manus, mediante baculo, lapidem impellere possit, nisi ipse quoq; baculus moveatur? Sustinete quaeso, & num similis in naturâ motus aliquis reperiatur, mecum dispicite. Torpedo, piscis marinus, manui piscatoris, stuporem inducit, ut rerum naturalium scriptores confirmant, etiamsi eam non tangat, nisi mediante reti, aut perticâ. Num tu igitur rete, aut perticam stupefactam quoq; dices? Lapis Herculeus, Magnes dictus, acum ferream tabulæ impositam, ipse sub tabula motus, motu suo circumducit, quiescente tabulâ, aut quocunq; corpore intermedio. Idem trahit ad se ferrum per medium aërem aut aquam, non attracto prius aëre vel aquâ. Quod si vim quandam trahendi ferrum, aëri intermedio communicatam à Magnete dicas, cur igitur aër intermedius per istam vim ferrum attractum non sibi detinet, sed illud dimittit ulterius ad ipsum magnetem? Est præterea virtus quædam loci nativi magnetis, quæ eum ad se vergere ac respicere cogit, ubicunque tandem fuerit, sive in nostro orbe, sive ad Indos transferatur: quem hic motum in tam vasto medio receptum imaginari potes? Ecquid de unguento stellato dicendum putabimus, quod vulgo armarium vocant, nostri die Waffensalb? Negare, quod sensus, & experientia, quod fides item tot gravissimorum hominum confirmat, extremæ est proterviæ atq; vesaniæ. Quis verò in eo curationis modo, in medio motus excipitur? Audiamus, quaeso, etiam Alexandrum Aphrodisæum, doctissimum Aristotelis interpretem, cujus tanta fuit auctoritas olim, ut qui ex ipsius schola non prodijsset, Philosophus non haberetur. Is in 1. Meteorologicorum dubitans, quomodo Sol calefaciat & igniat Com. 17. aërem, quum eum non attingat? quippe interjectis Veneris, Mercurij, & Lunæ sphæris, quæ impatibiles sunt, neq; aptæ recipere calorem, quem postea aëri tradant. Respondet dubitationi, nihil prohibere, quo minus per corpora aliqua, quæ ipsa quidem affectionem aliquam suscipere nequeant, aliud tamen aliquid eam patiatur: non enim quodvis à quovis pati aptum esse, aptum tamen esse posse, ut ipso cen medio, impatibili licet, agens utatur. Exemplo rem declarat. Idem Sol per vas vitreum, aqua frigidâ plenum, trajiciens radios, incendit & perurit paleas, quæ ultra vitrum positæ sunt: neq; tamen necesse est prius incendi & comburi vitrum aut aquam, & sic deinceps incendium transire ad paleas. Pariter, inquit, Sol calefacere aërem sublunarem potest, etsi interpositæ sphæræ inferiorum Planetarum non calefiant. An non etiam colores corporis objecti ex inter-

vallo

vallo oculos nostros afficiunt? & tamen aërem interjectum haudquaquam colorari videmus. Ecce igitur, ut non necesse sit medium semper eandem affectionem pati, cujus communicandæ se præbet ministrum. Ad conjunctionem autem, sive contactum agentis & patientis, satis est in quibusdam medio aliquo tangere: per vacuum enim interpositum nunquam transiret ejusmodi operatio, quia vacuum nullum est medium: in aliquibus autem aliquid præterea requiritur, quod aliquando proximè tetigerit: nam unguenti armarij nulla est vis sanandi vulnus absens, nisi applicetur telo, quod vulnus fecerit, adeoq; rem vulneratam immediatè aliquando tetigerit. Fidem quoq; faciunt jam dictis multa alia, quorum certa & indubitata extant testimonia. Cujusmodi est, quod qui lupi rictum inspexerit, obmutescit, quum tamen is, qui medius inter lupum & inspicientem existit, aut ei proximè adstat, nihil patiatur mali, non oculos claudat, vel avertat; at si malum istud medio communicaretur, multo magis, aut saltem non minus illum, qui medius extitit, lues excipere, & obmutescere oporteret. Fertur quoq; de ijs, qui aliquando à serpente læsi, aut canis rabidi dente sauciati fuerunt, eorum interventu vulnera aliorum aggravari, vitiari gallinarum accubitus, & pecora facilè abortire, illæsis alijs, in eodem aëre, cum ipsis versantibus. Sic lippi, eorum tantum oculos contaminant, qui ipsos adspiciunt, cæteris in eodem conclavi salvis, licet vicinioribus. Sic vetulæ, aspectu infantes fascinant, sine infectione medij. Hæc & similia, nisi vehementer fallor, evidentissimè demonstrant: dari in rerum naturâ actiones, ubi agens & patiens tangunt se quidem medio aliquo, motus tamen agentis in medio isto non recipitur. Quid mirum igitur, si hoc modo phantasiam quoque à rebus externis moveri dicamus? præsertim, si hac ratione somniorum positâ, & ferè solâ, omnes facilè absurditates, quas patiuntur aliorum sententiæ, evitemus, & omnes difficultates nullo labore expediamus & superemus. Video quid dubitationem facere possit. Dicet fortassis aliquis: exempla à me allata, esse tantum eorum, in quibus agens & patiens sunt ejusdem generis, ut quando vis corporea agit in corpus aliud, veluti lippus oculus in oculum sanum, rictus lupi in faucem sani hominis: diversam autem esse rationem istorum motuum, quos in phantasia, à rebus externis suscitari dicimus, quum affectiones istæ sint spirituales, ut & ipsa phantasia: res autem externæ, ut plurimum corporeæ: non posse igitur corporeus affectiones ciere motus spirituales in phantasiâ. Sed profectò hoc nullius est momenti; nam neq; equus, qui visui tuo obversatur foris, ejusdem est generis cum eo, qui in oculis tuis est: neq; qui in oculis est, ejusdem est generis cum eo, qui in phantasia & intellectu; & tamen alter istorum movet alterum. Similiter imago speculi, corporea affectio non est, & tamen movetur ad motum corporis objecti, cujus est imago. Quâ igitur facilitate imago hæc equi, primò in phantasia genita

est, ab

eſt ab obiecto externo, eadem rurſum ab eo moveri poteſt. At genita eſt, inquiunt, mediante ſenſu: idcirco enim imago Bucephali, eſt in phantaſia tua, quia eum aliquando vidiſti, aut de eo audiviſti: quæ vero per ſomnium apparent, non illabuntur per ſenſus, ſed rectâ petunt phantaſiam. Obiiciunt & illud; nihil eſſe intellectu aut phantaſia, quod non prius fuerit in ſenſu. Ex quo omnino effici videtur, nihil externum movere poſſe phantaſiam, niſi per ſenſus intret; ideoq; commentum eſſe, hanc Ariſtotelicam ſomniorum rationem. Quomodo illud philoſophorum axioma intelligendum ſit, mox dicemus: nunc verò manifeſtum faciamus: phantaſiâ & res externas, ſive corporeas, ſive incorporeas, poſſe ſe mutuo afficere. Id verò ſpero me facilè à vobis obtinere poſſe, ſi ipſam phantaſiam in corpus nõ modo proprium, ſed etiã extraneum, imo & in alterius phantaſiam agere poſſe probavero, ſine medio ſenſuum, nullã fore cauſſam, cur quis eam ab extraneis, ſive corporeis, ſive incorporeis ſimiliter pati poſſe negare debeat: præſertim quũ ejus natura magis in patiendo conſiſtat, & patiatur indies ab affectib⁹ corporeis organorũ ſenſuum, puta à ſono aurium, ſapore linguæ, colore oculorum &c.

Et quidem, quod in corpus proprium plurimum agere, illudque immutare poſſit phantaſia, infinitis experimentis conſtat. Quis enim neſcit, mulieres utero gerentes, ſi quid impenſius concupiverint, reiq; negatæ phantaſiâ diutius torqueantur, ejus veſtigium imprimere corpori fœtus? eſt autem fœtus pars corporis ipſarum, quam diu eis eſt adnatus. Quis neſcit, multos ex conſpectu vulnerum, aut ſanguinis, quo terretur ipſorum phantaſia, in animi deliquium incidere? Infantes lumbricorum morſus, cujus ſenſus in ſomno ad phantaſiam defertur, dormientes imitantur maſticando: quod multo conſpectius eſt in ganeonibus, & paraſitis, quib⁹, ex phantaſia conſpecti edulij, protinus ſaliva movetur, & tanquam præſentẽ cibum ore mandunt. Illud verò prorſus mirabile eſt, artis ſol. *quod refert Thomas Rodericus à Vega, doctiſſimus Hiſpanus, Medicus 131.*

& Philoſophus ſummus, ſe neq; à vulgaribus, neq; à paucis teſtibus accepiſſe, in ea melancholia ſpecie, quæ Hydrophobia dicitur, ex morſu canis rabidi orta, tantam aliquandò fuiſſe vim imaginationis, ut ægrotos non tantum ad latratum, & & ambulationem caninam coëgerit. ſed eo usq; perduxerit, ut fruſta & ſimulacra canum, in eorum urinis, conſpecta fuerint. Nec minus admirationis habet, quod idem refert de Hiſpano quodam, qui, quum ex febri ardenti decumberet, & frequenti delirio poſtulaſſet, concedi ſibi natationem in illo ſtagno: (monſtrabat autem pavimentum cubiculi, quod ſtagnum eſſe imaginabatur) conſtare enim ſibi, quod ab ea natatione convaliturus eſſet, permiſſus tandem fuerit à Medico. Quum ergo poſt aliquantum temporis ſpacium, ſupra pavimentum cubiculi, crebro ſeſe cum ſumma voluptate volutaſſet, dixiſſe eum, jam aquam ſibi ad genua adſcendere, optare tamen eã aſcendere altius: paulo poſt latiorem factum

clamasse, jam aquã inguina tangere, & sic deinceps secundũ imaginationis conceptã, aquã subinde ad guttur usq; accrevisse, & tũ hilari facie ex aqua, ut putabat, eum ascendisse in lectũ, seq; febri liberatũ pronunciasse, id quod supervenies medicꝰ verũ deprehendit. Quis quaeso negabit, istũ hominẽ propriæ imaginationis vi & efficacia, ad corporis sanitatẽ reddisse? Et quã caussam afferre aliã possumus, cur quis ostitantẽ aspexerit, ipse quoq; cogatur ostitare, nisi quod ostitationis phãtasia, moveat propria ostitandi instrumẽta facile mobilia? idem in sternutatione & alijs experiemur, nisi majoris vi ad ista opus esset, & instrumenta nõ adeo reluctarẽtur. Eadẽ est ratio, cur in armẽtis & gregibus brutorũ, uno libente aut mingẽte, idẽ faciant cætera: movẽtur enim eadẽ partes corporis, phãtasia rei cõspecta.

Sed fidem penè superat, quod diximꝰ, phantasiã, non tantũ proprium, verum etiã aliud extraneũ corpus, alteriusq; phantasiã movere posse. Et quanquã id plerig; negant, experientia tamẽ verũ esse testatur, licet rarò eveniat, ob varia impedimenta. Gelliꝰ refert in Noctib gentem quandã in Italia fuisse, Marsos, ortã à Circæ filio, cui, priusquã cum externis cognationib. permixta atq; corrupta esset, vi quadam genitali datum fuerit, ut serpentũ virulentorum domitores essent, & incantationibꝰ, mcdclarũ miracula facerent: q sanè haud aliunde quã ex forti imaginatione, qua eos, quos curare debebant, comprehenderent, fieri potuisse reor. Verbis enim & incantationib. vim tribuere, vanum est. Quod si vim quandã salutarẽ, & alexiteriã corpora ipsorum expirasse velis, cujꝰ contactu serpentes domiti, & ægri sanati fuerint, poterat sanè id fieri sine incantatione, aut cogitatione de ægris suscepta: q tamẽ factum nõ est. Incantatione igitur usos puto, nõ, q ejus virtute quicquã efficerent, sed quia, dum incantationi animũ intenderent, imagines curandorũ interim in phãtasia sua fortiter versarent, eiq; sanitatẽ cuperent. Cõtrarium de Psyllis scribitur, & alijs quibusdã Africæ familijs, q earũ laudatione prata intereant, arbores exarescant, emoriantur infantes. Vtrũ hîc efficaciã laudationi tribuemꝰ, quæ verbis peragitur, an potius phantasiæ, quæ laudationi intenditur? Huc quoq;, q de Basiliſco narratur, parũ abest, quin referã. Quum enim visio fiat, nõ extramittendo aliquid, sed recipiendo, ut satis demõstrant peripatetici, quæ caussa est, ut si prior cõspiciatur ab homine Basiliſcus, ipse moriatur: si v. prior hominẽ cõspexerit, eum enecet? Si aspectu hunc necẽ peragi velis, cõtrario modo fieri debebat, & is prior mori, q visu alterꝰ mortiferã speciẽ prior recepisset. Ego v. Auditores, hanc suspicor esse caussam. q is, qui prior alterũ intuitꝰ fuerit, prius etiã imaginationis vim & aciẽ in eum dirigat, ipsumq; cõfodiat. Sed maneat hæc lis sub judice. Illud, credo, nemo mihi negabit, propter auctoritatẽ summi viri Augustini. q ex eo refert Cardanus. Vir quidã, Prastantius nomine, petierat à quodã Philosopho solutionẽ, nescio cujus dubitationis, quã, quum Philosophꝰ detrectasset, fortè imparatꝰ, nocte sequẽti vidit Prastantẽ, tametsi vigilabat,

gilabat, adsistere sibi Philosophũ, ac dubitationẽ solvere, mox́q; abire. Postero die, quum Praestantio eundẽ, obviã sibi factum interrogasset, cur pridie rogato noluisset quaestionẽ solvere, nocte a. intempestiva, & venisset ad se, & dubitationẽ aperuisset, respondit Philosophus: nõ equidẽ ego adveni, sed somnians visus sum tibi hoc officium praestare. Attendite quaeso, phantasia philosophi, dubij solutionẽ somniantis, in tantũ potuit permovere phantasiã Praestantij vigilantis etiãnum, ut is adsistere sibi philosophum, eumq; audire se putaret. An dubitatis amplius, moveri phantasiã posse à rebo externis, nõ moto prius sensu? Forsan à rebus saltẽ corporeis eã moveri nõ posse arbitramini? Dicite mihi ergo, cur qui laborant antipathiã cum felibo, felis in eodẽ cõclavi occultatas sentiant, eorumq; praesentia angantur, horreant, sudent? quas tamẽ neq; visu, neq; auditu, neq; olfactu se deprehendisse fatentur. An nõ idcirco fit, quia feles prio movent phantasiã, (into n. angi incipiunt) exinde moto in corpo resultet? Cur item occisorũ cadavera horrorẽ incutiunt interfectorib. transeuntib. ignariis etiã quòd ibi lateant? Sed frustra sum ut plurib. hoc ostendere laborẽ. Ex dictis luce meridianã, clarius patere arbitror, moveri phantasiã nostram posse à rebus externis, quae per sensus non intrent. Quod a. dicunt Philosophi, nihil esse in intellectu & phantasiã, qu[illegible] prius fuerit in sensu, id sano modo accipiendum est. Neq; n. hoc volunt, pr[illegible]s nihil imaginari nos posse, nisi quod sensu percepérimus prius: quippe hac ratione nihil etiam per nos ipsos, nostrã sponte invenire possemus, sed omnia prius inventa vel audivisse, vel vidisse oporteret. Repetat unusquisq; memoria, sua somnia, & ea consulat: quoties vidit in somno, personas diversissimas in unam personam coaluisse, loca item distantissima conjuncta fuisse, & infinita alia, quae nunquam confusa vidit, neq; audivit? Sed hic est illius axiomatis verus sensus: De nulla re nos quicquã imaginari, aut cogitare posse, quae vel ipsa aliquando, vel saltem ejus partes per sensum, non ingressa sint. Nam Hippocentaurum nunquã imaginari possem, nisi & equum, & hominẽ aliquando distinctos vidissem, ex quib. is componitur. Sic neq; Sirenas cogitatione comprehenderẽ, nisi & virginem conspexissem & piscem. Nõ est a. necesse, ut quae phantasia conjungere potest, eadẽ quoq; reipsa sint cõjuncta, & sic aliquãdo sensu percepta. Quarumcunq; igitur rerũ imagines vel totas, vel secundum partes semel per sensum accepit phãtasia, earum postea varias affectiones sentire potest sine sensu, nõ aliarum. Unde fit, ut somnia nulla habeamus de ijs, quae ad oculos auresve nostras nunquã pervenerunt, sed de amicis tantum & notis, quorum imagines vel semel tantum aliquando, ad phantasiã memoriamq; nostrãp sensus externos introiverint. Est n. phantasia veluti speculum, in quo relucẽt imagines rerũ externarũ: quẽadmodũ igitur in speculo imago mutatur, & cõformatur rei externa, quã repraesentat: ita etiã imago in phãtasia, insequitur mutationẽ rei externae: & ut ejo objecti externi, cujo species ad speculum nõ pertingit, nulla etiã mutatio in speculo relucet, ut cunq; exita in varias se mutet formas:

marita etiã cujus rei imago in phantaſiam noſtrã, per ſenſum nunquam intravit prius, ejus fortunam & caſus, neq; per ſomnium, neq; vigilantes percipimus.

Nõ eſt a. neceſſe, ut quoties motꝰ ille in phãtaſiã fieri debet, toties de novo, p ſensꝰ externos, res objecta ſeſe inſinuet: ſed ſatis eſt, ſemel p eos influxiſſe: quẽadmodũ in curatione vulneris abſentis, p unguentũ armariũ ſive ſtellarũ, nõ eſt neceſſe, ut telũ, cui applicatur unguentũ, perpetuo tangat vulnus, ſed ſatis eſt tetigiſſe ſemel.

Concludamus igitur, ſomnia iſta, quæ neq; à cauſſis internis, neq; à Deo immediatè immittuntur eſſe motus phantaſiæ, factos à rebus externis, quarũ aliquando imagines, per ſenſus externos ad phantaſiam ſunt illapſæ. Et huic motui ſimiles ſunt loquutiones angelorum ac dæmonum: quâ illi aliquando phantaſiam noſtram, etiam dum vigilamus, percellunt: unde nonnunquam videmur nobis audire vocem angeli, aut dæmonis ſuadentis aliquid, aut diſſuadentis: quam tamẽ vocem proximè adſtantes minimè percipiunt: nempe, quia non eſt ſonora per aures ingrediens, ſed tacitus & occultus phantaſiæ motus. Talis fuit vox dæmonij Socratis, quam prater ipſum nemo exaudivit. Et hinc, opinor, Ariſtoteles ſomnia appellavit dæmonia, quod ſimilia ſint loquelæ dæmonum.

Verum interqueat hic aliquis contra me telũ, quo ſupra fugavimus antiquos: Si enim imagines, in phantaſia, ab objectis ſuis externis movẽtur, nulla cauſſa eſt, cur id noctu magis & in ſomno, quã interdiu fiat? Huic paratum habet reſponſum philoſophus: Omnino illos motus nõ minus fieri de die, quàm nocte, verũ nocte à dormientibus magis percipi, quum nox ſit tranquillior, unde etiam ſonos ex longiori intervallo tum audimus: interdiu autẽ omnia agitantur & turbantur, tam interna, quam externa, ſenſus in præſentib. objectis occupantur, ac ſubinde novis rerum imaginib. phantaſiam interpellant & diſtrahunt. Addo, quod motꝰ, qui à ſenſu ad phantaſiam tendunt, ſunt vehementiores: quare minũ nõ eſt, ſi imbeciliores à rebus externis factos obſcurent, veluti minus lumen majorũ præſentiã, & dolor remiſſior ſi[illegible]mus partis, ab acutiori in alia parte obſcuratur. Neq; tamen ſemper ita latent iſti quoq;, quin aliquando ſe prodant etiam in vigilantib. atq; in corpus redundent. Nam non rarò in ſubitaneum reſolvimur gaudiũ, & exultamus ſine cauſſa manifeſta: aut contra graviter percellimur animo, atq; in mœrorẽ conjicimur, palleſcimus, animo linquimur, corpus concutitur horrore, ſudore perfunditur, aures tinniunt, & id genus alia patimur, quorum tum temporis rationem nullam reddere poſſumus. Diſtinctiùs verò iſtos motus ſentimus in ſomno, quia tùm ſenſus externi à munere ſuo feriantur, nec phantaſiam interpellant. Hæc quoq; ratio eſt, cur Melancholici aliquando futura præſagiant: dicuntur n. ſomnijs ſimiles, & melancholicorũ deliria, vigilantiũ ſomnia appellantur. Ut enim animus ſomniantis, omniũ ſenſuũ exteriorũ organa, ceu otioſa ſuſpendit ac deſerit, interiores a. phantaſiæ motus tantũ percipit, qui ſomnia dicuntur: ita Melancholici, dũ naturæ ſuæ indulgent, animũ ab externis abſtra-

hunt, & intus quasi perpetuã tranquillitatem habent, non interruptã perturbationib. sensuum, unde contingit ijs magis percipere istos motus à rebus externis, in phantasiam, absq; sensuũ ope transeuntes, quàm alijs hominib. qui animũ potius in objectis sensilib. occupant. Idem evenit illis, qui in ecstasi aut profundo animi deliquio detinentur: quia n. omniũ sensuũ operationes in ijs cessant, nec animus invitatur ad percipiendũ motus sensibilũ præsentium, fit non rarò ut Patriæ, parentũ, & amicorum fatũ jam inchoatum, & post demũ cõsummandum præsentiant, & resuscitati prædicant. Hujusmodi est, quod Plinius refert de Hermotimo Clazomenio, ejus anima relicto corpore errare solitam, vagamq; è longinquo multa annunciasse, quæ nisi à præsenti nosci nõ posse videbantur, corpore interim semianimi, nimirũ ecstasin pati cõsueverat Hermotimus, quam nõ intelligentes adstantes, neq; ratione videntes, quâ longinqua percipere posset animæ in corpore manens, animum ejus, relicto corpore, oberrasse falsò crediderunt. Sed fluctuat adhuc animus dubitatione, circa futurorũ præsagia: nam quæ nondum sunt, quomodo ea phantasiam movere possint? Difficilis sanè nodus: solvitur tamẽ si statuamus, quemadmodũ res, quæ præterierunt, sui vestigia relinquunt: ita eas, quæ futuræ sunt, indicia quædã præmittere, quæ quidẽ indicia, utpote jam actu præsentia movere possint. Manifestũ est hoc in tempestatib. quarũ mutationis signa præcedentia, etsi à vobis nõ animadvertuntur, à gallo tamen gallinaceo, pavone, hirundine, & alijs bestijs, quarũ sagacitati hanc prærogativã natura cõcessit, deprehenduntur, nobiq; voce ac actu tantu annunciantur. Accedit quod quæ futura sunt, non rarò tanquã præsentia, & jam cõfecta in animo consultoris, & autoris phantasiâ hæreant, unde cõmunicari possunt, nõ ut futura, sed ut præsentia. Postremo quæret quispiã, si ita res habet, cur nõ omnia eveniunt, quæ somniantes videmus? Ad hoc respondere nõ est difficile: non n. ad fatalem necessitatẽ omnia cogimur, aut cursu irrevocabili cuncta ferri censemus. Hæc natura contingentiũ est, ut fieri & nõ fieri possint. Multa interturbat casus atq; fortuna: multa prudentũ consilijs evitantur & corriguntur, plurima divina ꝓvidentia inexplicabilis impedit ac dissipat. Sæpè coguntur nubes, nõ tamẽ perpetuò sequuntur imbres: multi apparantur & instruuntur exercitus, nec fiunt bella: nõ raro apparẽt præsagia pestis, nec sequitur strages: neq; omnis fumus in flammã exardescit: & in summa, ut cũ philosopho loquar, nõ oẽ fit quod futurũ erat, neq; idem sunt τὸ ἐσόμενον & τὸ μέλλον: Adde, quod plerunq; turbantur & confunduntur phantasmata inter se: imagines n. naturã humorum aut ciborũ referentes, cõmiscentur cũ phantasmatib. extrinsecus motis, eaq; adulterant, deturpant, adeoq; nonnunquam monstrosa efficiunt, ut vix quisquã proprij & puri retineant. Unde ebriorũ somnia, & quæ post cibũ cõtingunt, ut plurimũ sunt falsa: quæ antẽ peracta coctione, sed aris humorũ motib. spiritibusq; depuratis obrepunt, ut matu-

tina, plerunq; veriora sunt. Est. n. tanta vis multitudinis vaporū è cibis, humorumq; ebullitione ascendentiū, ut nō tantum phantasiæ motus, à rebus externis suscitatos, obscurare & depravare possint, verū etiam, ut omnino non percipiantur efficere: quá de causa dixit philosophus, pueris ante Veneris usum nullā cōmunemgere somnia, aut valde obscura, quorū vix meminisse possint: unde hinc est, q. quidā, ut idem asserit, per omnē vitam nulla videant insomnia, quales Plutarch. quoq; cōmemorat: Herodotus a. de Atlantiis Africæ populis, in universum testatū reliquit: propter celerē sūl. motū spirituū. Vt n. rota celerrimè in gyrū acta nō mota veri sed quiescere videtur, nec quicquā distinctū in eā notare visus noster potest: ita etiā in celeri spirituū & phantasmatū motu accidit phantasiæ, ut videndo nihil videat. De Nerone quoq; Suetonius refert, q. nulla somnia habuerit, nisi post interfectā matrē: verisimile est enim, tum ex sceleris cōscientiā repixisse animū. spiritusq; defecisse, unde motus eorū rarior & tardior, ideoq; perceptibilis extiterit. Confusione igitur imaginū, à diversis caussis motarū, accidit, ut rarò hujusmodi motus sincera phantasia dignoscantur: quapropter etiā matutina somnia rarò sunt pura & recta, sed plerunq; sub specie aliqua simili, res externas repræsentant: ut. si vis mihi ab hoste immineat, occurret fortassis in somno ursus, vel latro, amicus vel benefactor, sub patris aut numinis alicujus specie sese mihi offeret. Hinc ait philosophus, qui noverit similitudines perspicere, eum optimū & artificiosissimū fore somniorū judicē atq; interpretē. Sic legimus de Iulio Cæsare, q. quum apud statuā Alex Magni quodā die ingemuisset, quasi eá ætate adhuc nihil insigne gessisset, qua Alexander imperiū orbis adeptus fuerat, nocte sequenti somniaverit se stuprū matri intulisse: quo ostento interpretes responderunt, significatum ipsi imperiū terræ, quæ esset omnium mater: rectius fortassis interpretabimur, Matrē Romā patriā ipsius, cui stuprū quodammodo intulisse videri potest, mutatione status Reip. Idē Iulius, eā nocte, quæ cadē ejus antecessit, visus sibi est inter nubes volitare, & cū Iove manu jungere: indicio haud obscuro, q. mox inter divos referendus esset. Atia mater Octavii, quū eum utero gestaret, somniavit viscera sua ad sidera asserri, expansaq; per omnem terrarum cahq; ambitum. Viscera scil. filium Octavium significabant, cujus potentia in terris, usq; ad divinitatis opinionem sese erat expansura.

4. hist. animal. 10. & 7. hist. animal. 10. de defectu oraculorū ppè finē. Herod. l. 4.

Sed ecce, dum in eo sum, ut occultos phantasiæ motus vobis probem, interim reipsa illos in me experior. Dum enim hanc telam pertexere intendo, visus sum mihi audire voces istorum Candidatorum ornatissimorum, rogantium & urgentium, ut ex hoc somnio evigilem, atq; orationis meæ cursum ad finem inflectam: ut quod ipsorum virtuti & eruditioni præmium, jam dudū decrevit erga philosophicus, tandem exolvam, votumq; ac desideria ipsorum expleam. Visus quoq; mihi sum audire voces vestras, de auditum satietate conquerentes, ac deprecantes pro istorum honoribus maturandis; Agite igitur, abrumpam & visioni parebo.

Sequuta est renuntiatio, SPLEN-

SPLENDIDO, ET NOBILISSIMO EQUITI, GUILIELMO A WENSE &c. DN. ET AMICO MEO CARISSIMO.

MULTÆ sunt causſæ, Nobiliſs. Guilielme, propter quas hanc de Philoſophia orationem, Tibi inſcribendam eſſe duxi; duæ autem potiſſimum me permoverunt, quarum præcipua eſt, admiratio Virtutis Tuæ atque Humanitatis, quam ita cum generis ſplendore conjunxiſti, ut neſciam, utrum in te magis admirer; certè utrumque ſuſcipio, quum ita ſe mutuò ornent, ut fulgida gemma ab operoſo auro gratiam accipit, & refert viciſſim. Altera eſt, quod hactenus

——————————ſolebas

Meas eſſe aliquid putare nugas;

& hanc ipſam orationem, ſuâ dignitate & merito nullam, Tuo tamen judicio, ex amore mei profecto, aliquam, quàm Tibi placere ſæpè teſtatus ſis, nondum ſum oblitus. Quare eam lubens emancipo, & quicquid mihi in ipſam juris fuit, Tibi totum tranſcribo. Tu, ſi ita videbitur, fœtum hunc præmaturum & crudum, utpòte ſub brumâ, paucis diebus nâtum, pro Tuo in me & ipſum favore, complectere, fove, & Virtutũ Tuarum ſplendore gratioſiorem effice: me vero honoris ac nominis Tui ſtudioſiſſimum, ut feciſti hactenus, redamare perge. B. V. Dabam Altorfi: Calend. Quintil. Anno cIↃ cI c x.

T.

omni ſtudio & fide

Erneſtus Soner us D.

Oratio,

Oratio, II.

De

VITA CONTEMPLATIVA, RECITATA IN PROMOTIONE BACULAURIORUM ALTORFII,

XX. Decemb. Anno cIↃ IↃ cIX.

CEleberrimus ille Rhetorum Isocrates, quum in convivio à sodalibus rogaretur, ut in medium aliquid de eloquentiæ suæ fonte proferret, id munus à se ita deprecatus est: Quæ præsens, inquit, locus & tempus exposcit, ego non calleo: quæ ego calleo, nec loco præsenti sunt apta, nec tempori. Eâdem ego deprecatione, etsi paulò aliter, hodierno die apud vos uterer, Auditores illustres & Generosi, Magnifici, omnium ordinum præstantissimi, nisi me expectatio vestra, quam, quantum in me est, fallere non debeo, & istorum quatuor juvenum merita, quorũ virtuti Collegium philosophicũ, in hac splendidissimâ luce, præmium per me exolvi voluit, ad dicendum impellerent, immo cogerent. Nam quod huic loco conveniat, qui toties gravissimorum & eloquentissimorum hominum voce personuit, ego in philosophorum & Medicorum umbrà educatus, & neq; ingenio ad dicendum aptus, neq; instructus arte, proferre nequeo: quæ vero ex istorum scholis, sine ambitioso verborum cultu hausi, ea istũ orationis splendorem, qui politas vestras aures decet, vel omnio non recipiunt, vel certè à me non expectant. Verum quum frustra me deprecaturum esse, atq; omnium oculis & vultu ad dicendum aliquid invitari intelligam, sanè permittam me Humanitati vestræ, & si minus expectatione atq; auribus vestris dignum, saltem præsenti actui conveniens, aut non omnino alienum quidpiam profari conabor, genere quidem orationis philosophico, quod nec fastu turgeat, nec vilitate aut impuritate planè sordescat, sed aptum sit rationum momentis comprehendendis. Dicam autem *De Vitæ Contemplativæ*, quantum præstet activæ, & effectivæ, & quod nihil præstantius datum sit Hominibus Cognitione; idq; eâ moderatione, ut quod malorum oratorum est, si nulla alia re, saltem brevitate vobis placeam. Quod

dum

dum facio, obſecro vos & obteſtor, ut benevolentiæ veſtræ aurē, curſum orationis meæ proſequi velitis, quo ea, velut ſecundis ſubvecta ventis, quem ſibi propoſuit, ſcopum conſequatur.

IAm vero unumquemq; veſtrum intelligere arbitror, non de quâvis contemplatione ſive cognitione ſermonem mihi eſſe inſtitutum: non enim de ea dicere eſt animus, quæ ad aliud quidpiam, ſive perſuadendum & docendum, ſive agendum aut faciendum eſt directa, qualis eſt Theologorum, ICTorum, Medicorum, cæterorum item artificum cognitio, quam paſſim hodie θεωρίας appellatione dignantur, dum horum alios Theoricos, alios Practicos parum conſideratè cognominant: Sed de illa, quæ Græcis ἀπλῶς & κυρίως, θεωρία dicitur, quæ ſibi finis eſt, in ſeipſa ſubſiſtit & acquieſcit, nec tendit ulterius ad operationem.

Hujus quanta ſit dignitas & præſtantia, vel ex eo ſatis clarè perſpici poteſt, quod, ſi fas eſt hominis aliquid de Deo balbutire, recta ratio cogit, non aliam ei attribuere operationem, quàm contemplationē: aut, ut planius dicam, ipſam Dei felicitatem, quâ æternum fruitur inſatiabiliter, nihil eſſe aliud, quam contemplari, ut graviſſimus auctor, ſummus Ariſtotelis interpres Alexander oſtendit. Quum enim nefas ſit, atq; à communi omnium hominum, quotquot divinitatis ſenſum aliquem habent, opinione remotum, credere, Deum vel ſenſu, & operationis omnis expertem eſſe truncum, vel inertem & otioſam mentem, dormientem Endymionis ſomnum, neceſſe eſt ſanè ei aliquam ἐνέργειαν vitæ intellectivæ aſſignare. In eo enim pariter omnes conſentiunt, vivere Deum, & intelligere. At quum vita, quæ ex intellectu traducitur, triplex ſit: Contemplativa, Activa, & Factiva, (Græci commodius θεωρητικὴ, πρακτικὴ, & ποιητικὴν dicunt) atq; inde triplex prodeat operatio, θεωρία, πρᾶξις & ποίησις, certum eſt πρακτικὴν Deo competere nullo modo poſſe, multo vero minus ποιητικήν. Eſt enim vita practica, quæ ex virtute morali ad honeſtatem eſt comparata, moderatrix affectuum & perturbationum. Atqui τὸ θεῖον ſublimius & excelſius eſt, quàm ut iſtos furentium perturbationum flatus ac tempeſtates ſentiat: humani animi eſt iſta humilitas, ut, velut in alto mari expoſita rupes, varios ventorum & fluctuum impetus patitur: ſic ipſe quoq; variorum & vehementium perturbationum motu impelli, affectuum cupiditatibus rapi atq; percelli poſſit: Deus O. M. ut eſt ſupra hanc ſortem, extra omnem fortunæ aleam poſitus, fruiturq; ſempiterno ac felicissimo ævo: ita neq; turbari adverſis, neq; ſecundis rebus affici poteſt. Accedit, quod omnes virtutes ethicæ excerceantur cum προαιρέσει, quæ finis eſt conſultationis; conſultatio autem omnis de rebus incertis ſuſcipitur, quæ aliter evenire poſſunt: (non minus enim ſtultum eſt de rebus omnino certis, quam de impoſſibilibus deliberationem inſtituere:) Mens vero di-

vinanō operatur incerto eventu, nihil ei obscurum quod agit, nihil incertum, aut dubium, uno intuitu media & finem cognoscit, non disponit calculos, aut ratiocinii discursu demum investigat, qua viâ ad finem perveniat, nullum ei obstat impedimentum, expedita sunt omnia. Audiamus autem ipsum Philosophum, in divino opere Ethicorum, divinè in hanc sententiam disserentem. Quales nam, inquit, actiones dijs immortalibus attribuere convenit? justas ne? sed ridiculi sanè viderent, si commercia facerent, depositа redderent, atq; alia hujusmodi interse contraherent. Num quid fortes, ut formidolosa sustineant, periculaturq; quia honestum sit? An liberales? sed cui dabunt? absurdum quippe, si etiam nummum, aut tale quidpiam eis adesse dicamus. Si temperantes eos esse asseruerimus, quid nam ejusmodi essent? si quidem quod pravas cupiditates non habeant, molesta atq; invidiosa laus est. Si demum omnia percurramus, quæ ad actiones morales attinent, parva & indigna dijs esse videbuntur. At vivere deos omnes existimant, quare etiam operari: ei autem qui vivit, & omni caret actione, ac multo magis effectione, quid restat præter Contemplationem? Quare Dei operatio, quum beatitudine excellat, Contemplativa erit. Sed quid? si non tantum temeritas & insciitia, sed extrema impietas est quicquam Deo tribuere imperfectum, quum ipse fons & auctor sit omnis perfectionis, ecqua religione virtutem, sive τὸ πρακτικὸν, ei adscribere non verebimur? quam imperfectam esse ex eo intelligere licet, quod propter se ipsam non expetitur, sed propter vitam beatam, quæ in contemplatione consistit, quam virtutis præmium ideo dixit Seneca. Propterea enim nobis proposita est virtus, inquit Lactantius, ut perdomitis libidinibus, rerumq; terrestrium cupiditate superatâ, puræ ac victrices animæ ad Deum, hoc est ad originem suam revertantur. Satis hoc ipsum declarat, quod maxima virtutis vis est in perferendis malis; quod negligit omnia, quæ pro bonis concupiscuntur; quod summus ejus gradus ad mortem pertet; quandoquidem vitam, quæ optatur à cæteris, persæpè respuit; mortem quam cæteri timent, fortiter suscipit. Sane tot sustentati & superati usq; ad mortem labores, absq; præmio haberi non possunt: si enim virtus divitias, opes, voluptates, & cætera hujusmodi, quæ alij avidissimè sectantur, contemnit, quia fragilia sunt & viliora; ergo contemnit, ut solida & præstantiora consequatur: ipsa igitur beata atq; perfecta non est, sed perfectionem quærit: ubi verò nisi in Contemplatione divinorum, (hæc enim simpliciter Θεωρία est, quæ est τῶν θείων ὄρεξις) quam tanti esse dicebat Anaxagoras, ut quascunq; miserias propter eam libeat sustinere? Quod si igitur nihil in Deo imperfectum, si seipso nihil habet perfectius aut sublimius, cujus adytu prohibeatur â perturbationum æstu, quem prius virtute restinguere necesse habeat, si perpetuo degit vitam optimam, nunquam captâ, nullo q; ævo finiendâ felicitate; vanitas est ipsi virtutes morales, aut vitam

activam

actiuam adſignare : inſania autem prorſus, eandem ad vitam effectiuam ſiue ποιητικὴν deprimere, utpote quæ multo adhuc, quam actiua, ſit ignobilior, hominibus ad ſublevandam humanæ fragilitatis, & mortalitatis indigentiam conceſſa. Sed video hic grandem mihi exoriri tempeſtatem à Theologis, qui tantum anathemate me non ferient, quod videbor illis juſtitiam Deo denegare, quæ eſt actiua, creationem mundi tollere, quæ ποιησις videtur, providentiam evertere, quæ omnium virtutum concurſu & conſpiratione admirabili à Deo exercetur. Ecquid enim clamitabunt, juſtitia tibi non eſt, quâ ſeverè, in violatores legis & contumaces, Deus animadvertit? aut fortè ne hoc quidem facere eum dices? Ecquid tibi liberalitas non eſt, qua egenis ſubvenit, divites inanes dimittit? numquid benignitate & clementia non utitur ergo pios & probos? an non ira & furore exardeſcit in ſui contemtores, atque elatos deprimit? Meliora, ô viri reverendi, æquioribus, quæſo, animis atq; auribus dicta mea accipite : nulla unquam tanta pectori meo inſedit impietas, nihil iſtorum nego, & tamen quæ hactenus à me diſputata ſunt, veriſſima eſſe arbitror. Vos verò videritis, utrum facilius mea dicta refellatis, an ego vobis reſpondeam. Si eſſentia divina ſimpliciſſimè ſimplex eſt, & immutabilis, quod ne ipſi quidem negatis, & cogit neceſſitas, eſtq; ab omni compoſitione tàm ſubſtantiarum inter ſe, quàm accidentium, & qualitatum cum ſubſtantia cocuntium, aliena & immunis, velitis, nolitis, coginimi fateri, nihil iſtorum verè & proprie in Deo exiſtere. Nam ſi habitus iſtos ineſſe concedatis : compoſitum ex ſubſtantia & accidentibus ſtatuitis. Si mentem practicam, aut factiuam tribuatis, mutabilitatem aſſeritis, & aliquid Deo ſublimius ponitis: ſiquidem omnis πρᾶξις, & omnis ποιησις ad finem nobiliorem tendit, mutaturq; intellectus tum practicus tum factivus, appetitu & intellectione boni, quod extra ſe eſt, cujus cauſſa agit. Quodnam verò, dicite mihi, bonum extra Deum eſt, quod ipſum movere queat? Aliam igitur & longè eminentiorem rationem eſſe oportet, qua iſta Deo competunt, cujus ſimilem in alijs etiam ſubſtantijs incorruptibilibus cernere licet. Solem dicimus calidum, tantùm quia caleſaciat, quamvis reverà calidus non ſit. Eundem vitalem nuncupamus, quia inferiora omnia viviſicet, vegetet, nutritionis, & generationis auctor exiſtat, quum ipſe neq; vitam in ſe habeat, neq; vegetetur, neq; nutriendi aut generandi facultatem ullam reverà ſit ſortitus. Simili modo, quæcunq; nos à Deo accipimus, juſta, clementia, benigna, liberalia appellamus, tanquam à juſtitia, clementia, liberalitate profecta ſint, quum tamen iſtæ appellationes in objecto demum patiente, extra Deum oboriantur, propter ſimilitudinem earum affectionum, quæ alias à talibus virtutibus proficiſcuntur : neq; enim neceſſe eſt, omnem effectum eſſe homonymon ſuæ cauſſæ, aut ſolem quoq; reverâ calidum dicere oportebit. Addo, propter eum quoq; cauſſum DEVM dici

juſtum, liberalem, miſericordem, quod quæcunq; ipſius voluntate patimur: (quæ quidem, ceu ipſe ea egiſſet humano more, actionum ejus opera impropriè vocare ſolemus) alieniſſima ſint ab effectibus vitiorum, quæ iſtis virtutibus in homine ſunt oppoſita: ſchola philoſophorum uno verbo diceret: tribui Deo virtutes non poſitivè, ſed per negationem vitiorum: juſtus enim eſt, quia non injuſtus; liberalis, quia non tenax aut avarus; miſericors, quia non crudelis; & ſic de reliquis virtutibus. Quia ergo? juſtiſſimum dicimus eſſe Deum, ſed ſine juſtitia, ſi propriè loqui velis; benigniſſimum, ſed ſine benignitate: ſummè miſericordem, ſed ſine miſericordia: liberaliſſimum, ſed ſine liberalitate. Si accuratè loquendum ſit, fontem potius juſtitiæ, clementiæ, liberalitatis, cæterarumq; virtutum dicere eum neceſſe erit, quam juſtum, clementem, liberalem. Vt enim rivus, fons non eſt, etſi à fonte emanat: & ut fons non eſt rivus, nec rivum in ſe habet, rivi tamen, qui extra eſt, origo: ita mens divina, omnis bonitatis atq; virtutis fons eſt, licet neq; virtutem in ſe habeat, neq; habere poſſit aut velit, tanq; aliquid ſua majeſtate vilius. Simile quid in numeris videmus, qui ab unitate omnes deſcendunt, & varias ſortiuntur affectiones, nullus tamen eorum eſt in ipſa unitate, ut neque affectiones ipſorum. Non igitur ſimpliciter negamus, iſta Deo competere, quin imò exultamus in illis Dei noſtri attributis, & gloriamur, adeoq; ſpem omnem noſtræ ſalutis æternæ inde max. confirmamus: ſed modum verum, quo conveniant, exquirimus, proprietatẽ urgemus, rem ipſam interim firmiter tenentes: quemadmodum nec qui Solem calidum eſſe negat, eundem quoq; protinus negat calefacere, aut caloris auctorem exiſtere. Verum inſtant: expreßè hæc in ſacris literis Deo adſcribi. Quid tum? Si hoc ſatis eſt, alas quoq; eum habere, & pedes, credatis oportet, quia aſcendiſſe & deſcendiſſe expreßè legitur. Mirum eſt profecto, ea, quæ ad corpus ſpectant, omnes agnoſcere & fateri figuratè de Deo dici, non itidem ea, quæ ſunt animi: quaſi vero corporis tantum materialis apparatu, non etiam animi potentijs & qualitatibus à Deo ſimus diſcriminati. Eadem eſt ratio effectionis: etſi enim religioſa mente credimus, mundum, & quicquid ejus ambitu atq; complexu continetur, ab auctore Deo prodijſſe, & in eo divinam potentiam cum veneratione ſuſpicimus, factum tamen eo modo, qui πάνσοις dici poſſit, cum ratione negamus. Neq; enim materiam præexiſtentem, in quam ageret, & ex qua omnia faceret, habuit, neq; inſtrumentis ullis uſus eſt, ſine quibus πάνσοις nulla exercetur, ſed ſolo nutu ac bonitatis ſuæ immenſa diffuſione omnia conſtiterunt. Quis unquam dixit Solem efficere lumen, aut hominem efficere videndi facultatem, vel aptitudinem ad capiendas diſciplinas? quis non intelligit, hæc ſine effectione fluere ab eſſentijs, quarum ſunt ſequelæ? Haud aliter, quæcunq; Entia à primo Ente promanarunt, ſine laborioſa productione ejus extiterunt, & immenſæ virtutis ac bonitatis ubertatem

Digitized by Google

tatem consequuta sunt, in hoc ab illis differentia, quod quæ res creatas sequuntur, sequuntur necessario, unde Sol nunquam potest non spargere radios, aut fundere lumen: quæ autem creatorii ineffabilem Entiatem, ut loquar cum scholasticis, consequi possunt, ea non necessario, sed quando libuerit, exundant: hoc enim singulare creatoris privilegium est, cunctis creaturis denegatum, quanquam non me latet, aliter sensisse Aristo. Manifestum igitur est, ut opinor, divinæ ac beatissimæ menti, neq; πραξιν, neq; ποίησιν competere posse, adeoq; eam solum vivere vitam theoreticam. Si quis tamen omnino contendat, practicâ quoq; & factivam eam esse concedendam, est sanè, tametsi id concedere nulla nos cogit necessitas, nihilo minus principem locum obtinebit Θεωρία, quod ad propositum nostrum max. pertinet. Nemo enim arbitror eò dementiæ & temeritatis descendet, ut Beatitudinem Dei, in istiu operationibus positam esse affirmet, aut si quis est, qui adeo parùm intelligentiam suam excutiat, ab eo scisciari libet, nunquid putet D.O.M. ante conditum mundum, quum nondum esset, in quem justitiam, benignitatem, aliasq; virtutes exerceret, an, inquam, putet, eo tempore, Deum fuisse beatum? si neget, profanus est, & indignus quo cum disputem: si asserat, fateatur simul necesse est, Beatitudinem divinæ mentis, qua nunquam caruit, in his virtutibus, earumve actionibus non esse constitutam. Attamen in operatione aliqua esse illam oportet, quandoquidem substantiæ viventis vitam intellectivam, felicitas, ocium aut somnus non est, sive continuus, sive interceptus labore: at nulla restat operatio mentis, præterquam theoria: hæc igitur est divinæ mentis ἐνέργεια, hæc felicitas & beatitudo ejus. Videre, Auditores primi, quanta sit hujus vitæ, Contemplativæ inquam præstantia, quanta dignitas? ipsum supremum Ens, Ens Entium, Mens divina, cujus numen cuncta venerantur, majestatem stupent, imperij nutum contremiscunt, ad cujus bonitatem omnia suspirant, hanc & non aliam vitam deligere voluit aut potuit, in qua admirandæ majestatis suæ solium firmaret, gloriæ splendorem effunderet, bonitatis rivos panderet, ac beatissimè degeret. Quid putatis amplius accedere posse? Dicam: quia dixi parum, quanquam vereor ut, quod dicturus sum, fidem inveniat apud eos, qui aures nunquam præbuerunt philosophiæ: ferè enim, quæ novitate insuitatâ animum percellunt, fidem etiam apud imperitos amittunt. Quid illud est? Non solum, Auditores, Dei operatio est actus contemplandi: sed est ipsemet Deus: Hoc enim summa simplicitas primi & summi Entis exigit, quæ non admittit ἄλλο καὶ ἄλλο in sui essentia, ut idem in eo sint quod intelligit, quod intelligitur, & ipsa intellectio. Nam si ejus substantia non esset ipsemet intelligendi actus, daretur in eo ἄλλο καὶ ἄλλο: actus scil. intelligendi, ab intellectu diversus, & non esset perfectissimus: quippe perficeretur demum hoc actu, qui ejus est felicitas, ac impium est, vel umbram alicujus imperfectionis imaginari, ob

perfectissimo Ente. Hinc Philosophus in 12. Theologiæ suæ deduxit, non tantum Deum vivere æternam & optimam vitam, sed esse ipsammet vitam æternam, beatitatem suam, unde necessario sequitur, felicitatem ejus nullis intervallis interstingui, nullo ævo finiri posse. Vt enim necessario semper est, fons omnis essentiæ: ita necessario semper est beatus, quia beatitudo ab Essentia ipsius non est diversa, quod sane max. conveniens est divinæ majestati, ut nunquam miser evadere possit. Porrò, quia beatitudo hæc ejus est essentia, estq; vita contemplativa, intellectio nimirum sui ipsius, iterum patet, quod eam cum vita practica, aut effectiva permutare nunquam possit, nisi eum etiam Esse suum, cum alio Esse commutare velis. quod ipsius immutabilitati, & immortalitati repugnat Verum quia hæc fortè non ad omnium captum dicuntur, ad magis popularia se mea convertit oratio. Dicet forsan aliquis, quorsum ista de contemplatione, quæ Dei operatio & Essentia dicitur? expectabam ego, de illa vita contemplativa, cujus Homo sit capax, & qua nihil homini præstantius datum esse dicebas. Sistone quæso, huc jam ibam ipse, ut ostenderem eam vitam, quæ est simpliciter optima ac nobilissima, adeoq; optimi Entis, esse hominis quoq; proprium & summum bonum. Id vero ut intelligamus, hæc mecum, quæso perpendite. Fons & origo rerum omnium est D O M. ex cujus fœcundo gremio, cuncta, quæ sunt præter ipsum, pullularunt, eâ quidem conditione. ut quæ ab ipso, ceu bonitatis principio recessierint longiùs, minus de bono participent, habeant vero privationis amplius: cuncta tamen pariter ad ipsum, ceu bonitatis fontem, qui solus à seipso, non aliunde participatam habeat bonitatem, naturali instinctu nituntur atq; anhelent, veluti ad principium, cujus bonitate privari, & à quo divelli ægrè ferunt: quarationc merito Deus principium & finis omnium dicitur, ut enim ex eo omnia prodeunt: ita quoq; ad ipsum, redeunt omnia, estque reditus iste ad felicitatem iter, quod qua plenè absolvunt, finem cum principio jungunt: quæ vero imperfectiora ac debiliora sunt, citrà subsistunt, longiùs, proximius, pro perfectiore aut imperfectionis suæ gradu Nec; enim omnia finem assequuntur, etsi maximè omnibus sit propositus, μαλιστα γὰ ἐνείνϑ τυχεῖν ἄξιον πᾶσι ϑ τέλος, inquit Philosophus 2. de Cælo: t. 66. Sed accidit perinde ut in sanitate: quemadmodum enim quædam corpora optima, gaudent atq; fruuntur sanitate quædam autem non quidem fruuntur, facilè tamen, ut levi aliquo exercitio ad eam perducuntur: quædam omnino perduci ad eam nequeunt, sed tantum eò, ut propius à sanitate absint, non tamen attingant: ita quæ à primo Ente descendunt, suo quæq; modulo, ac mensura se ei rursum assimilare student, ejusq; tum æternitatem, tum operationem, quæ beatitudo est, imitantur perfectius, obscurius. Sic videmus elementa operationem quidem Dei, in qua bonitas est, imitari motu recto, admodum ignobili, quia terminatur quiete: æternitatem verò generatione sibi

similis,

ſimilis, & propagatione ſpeciei. Cælum autẽ & æternitatem imitatur perfectiùs, tenet enim eam in individuo: & operationem motu nobiliori, volvitur enim in ſeipſum perpetuò ſine quiete, ut tamen totum loco non moveatur, quemadmodũ etiam divina intelligentia, intelligendo in ſeipſam redit immutabili conſtantiâ. Ita caterorum Entium unum quodque, peculiarem habet imitationis modum & terminum, qui ſuæ quidem ſpeciei extremus ſit, ad quem pervenire liceat, non tamen abſolutè ultimus ad quem adſpirat. Solus homo non imitatur tantum, ſed aſſequitur etiam beatitatem divinam, quadam tenus quidem in hac vitâ, perfectius autem in futurâ: quia ſolus habet mentem contemplativam, quæ eſt particula divinæ mentis. Hinc contemplatio, aut vita contemplativa meritò ejus proprium bonum cenſetur, quia cum nullo caterorum animãlium, eam habet communem: propter quam cauſſam philoſophus in 10 Ethico ſcriptum reliquit, caterorum animalũ nullum poſſe eſſe felix, quia nullum ſit contemplationis capax: eo uſq; enim ſeſe extendere felicitatem, quoũq; protenditur contemplatio, & quibus magis ineſt contemplatio, ijsdem quoq; magis competere felicitatem; ideoq; Dijs totam vitam eſſe beatam, quia nunquam in contemplando defatigentur; in quam ſententiam etiam in Metaphyſicis diſſernit, optimam vitam Deo eſſe perpetuam, quæ homini pauco tempore conveniat, puta in hac vita, in quâ ſæpius à contemplando avocatur. Quamvis autem aliquando dicat, homini iſtam vitam competere non qua homo eſt, ſed qua divinum quid in ipſo; non hoc vult: vitam iſtam non eſſe hominis propriam, ſed non eſſe perpetuam: quia propter mortalitatis indigentiam ad humiliora aliquando deprimitur. Nam ibidem mox aſſerit illud: divinum eſſe maximè hominem: ſi max. eſt homo: ergo quæ ſecundum illud vita traducitur, max. erit hominis propria, ideo etiam reprehendit Simonidem tam in Ethicis, quam in Metaphyſicis, quod edixiſſet mortalibus mortalia ſapere: & contra potius præcipit: mortales quum ſimus, exitamur quantum licet ut reddamus nos immortales, h. e. vitam ex divino illo & immortali quod in nobis eſt, tranſigamus: id enim max. eſſe unumquemq; quod in ipſo eſt præſtantiſſimum. Hanc ob cauſam dictum eſt à Seneca: hominem eſſe partem Dei, totumque eſſe plenum Deo; nempe Mentem ſignificavit Theoreticam, divinæ particulam auræ, vitamq; beatam, quæ eſt ipſe Deus, quam, mentis beneficio homo conſequitur. Quid enim eſt, inquit, cur non exiſtimes in eo divini aliquid exiſtere? Totum hoc quo continemur, Deus eſt, & ſocij ejus ſumus & membra: Capax eſt noſter animus, perfertur illò, ſi vitia nõ deprimant, in hoc à natura formatus, ut Dijs paria velit. Nam ſi aliena vi ad ſumma niteretur, magnus erat labor ire in cælum, & alibi: Vis iſthuc divina deſcendit, animum excellentem cœleſtis potentia agitat: non poteſt res tanta, ſine numinis præſentia ſtare: itaq; animus noſter majore ſui parte illic eſt, unde deſcendit.

Quemad-

Quemadmodum enim radij ſolis contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt, unde mittuntur: ſic animus magnus & ſacer, & in hoc demiſſus, ut divina propius noſſemus, converſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ, illinc pendet, illuc ſpectat ac nititur. Attendite obſecro, quomodo hujus divini boni capax ſit homo, quia ipſe eſt pars, & ſocius, & membrum Dei.

Sed quid multa? nonne ſatis indicij nobis ſuggerit innata cupiditas quâ ad ſcientiam contemplationemq; ferimur omnes? Nonne ipſius corporis ſtatus & oris figura, declarat excellentius aliquid in nobis, quàm in pecudibus eſſe? illarum natura in humum pabulumq; proſtrata eſt, nec habet quidquam commune cum Cælo, quod non intuetur. Homo autem recto ſtatu, ore ſublimi, ad contemplationem mundi ejusq; cauſſæ excitatus, confert cum Deo vultum, & rationem ratio cognoſcit. Propterea nullum eſt animal, ut ait Cicero, præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei: ſolus enim ſapientia inſtructus eſt, unde etiam ſolus religionem intelligit. Caput igitur homo hanc operationem, contemplationem nimirum, quam Dei felicitatem eſſe diximus: hæc enim ſimpliciter & abſolute contemplatio eſt, unde Θεωρίαν q: θεῶν ἕξιν dictam volunt, capit vero? imò ita, ut propriam ſibi vendicet præ cunctis animantibus, eáq; à beſtijs, non dicam præcipuè, ſed ſolum diſtet. Nam cætera quæ videntur hominis propria, etſi non ſint talia in brutis, tamen ſimilia videri poſſunt. Sunt in eis ſimulacra virtutum moralium, caſtitatis in Equo, pietatis in Ciconia, magnanimitatis in Leone, ſunt etiam liberalitatis, cæterarumq; virtutum: ſunt & prudentiæ, civilisq; vitæ veſtigia, quibus ſocietatem humanam imitantur: nam imperij ſpeciem exercent, judicia agitant, accuſant, damnant, ſupplicia irrogant: bella gerunt, legunt cohortes, aciem inſtruunt, excubias agunt, & alia hujusmodi civilis vitæ munia obeunt Exercent etiam opificia & vitam πανεργον: melificant apes, aves ſibi nidos conſtruunt, aranea texunt, nent ſtamina bombyces. Quid tam proprium videt homini, quam providentia futuri? atque ſunt animalia quæ latibulis ſuis diverſos & plures exitus pandant, ut ſi quod periculum inciderit, fuga pateat obſeſſis. Alia provident in futurum, ut

——— *Ingentem formica farris acervum*
Comportant, hyemis memores, tectoq; reponunt.
Item apes,
Quæ patriam ſola, & certos novere penates,
Venturaq; hyemis memores æſtate laborem
Excipiunt, & in medium quæſita reponunt.

Proprium hominis putatur ſermo, tamen & illi quædam ineſt quoq; ſermonis ſimilitudo. Nam & dignoſcunt invicem ſe vocibus, & quum iraſcuntur, edunt ſonum jurgio ſimilem, & quum ſe ex intervallo vident, gratulandi officium voce

decla-

declarant. Nobis quidem voces eorum videntur inconditæ, ſicut illis fortaſſe veſtræ, ſed ipſis, quæ ſe intelligunt, verba ſunt: deniq; in omni affectu certas notas exprimunt, quibus habitum mentis oſtendant. Riſus quoq; homini proprius cenſetur, & tamen videmus in alijs quoq; ſigna quædam lætitiæ, quum ad luſum geſtiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem ſerenant, oculos in Laſciviam reſolvunt. Solius veritatis guſtum nullum habent, ejus dico, quæ in Contemplatione ſpectatur; à ſola ſapientia, & vita contemplativâ excluſa ſunt: quum reliqua omnia, quodammodo participare videantur, ſolius mentis theoreticæ, ne umbram quidem ullam oſtendunt. Sola igitur mente contemplativâ, non practicâ, non factivâ, homo ſe effert ſupra pecudum ſortem, atq; nobiliori loco ſe collocat. Eâdem autem ad Deum accedit quam proximè, quâ fas eſt homini: unde Plato philoſophiam (hæc enim eſt iſta contemplatio de qua agimus, max. Metaphyſica, ſive Theologia) definivit: quod ſit ſimilitudo hominis cum Deo: hac enim homo dijs paria conatur, ut loquitur Seneca. Ex quo perſpicuum eſt, non ſolum eſſe hominis proprium, ſed etiam maximum bonum: nihil enim majus aut ſublimius, nihil melius eſt Mente divina, ulterius ad bonum nihil proveh̃i poteſt, quam ut Deo reddatur ſimile. Hinc in Metaphyſicis ait philoſophus: ſi in divinam naturam caderet, ut invidere quædam poſſet hominibus, ſicuti poëtæ fabulantur, Deos max: inviſuros eſſe homini hanc vitam, utpote qua nihil præſtantius ipſi poſſideant: Sed nec invidet, inquit, natura divina, & ſecundum proverbium πᾶσα ψεῦδος ἀεὶ δοκεῖ. Neq; putandum eſt, aliud ſignificaſſe antiquos per ignem, quem Prometheum Iovi ſuffuratum, ob eamq; cauſſam ad Caucaſum relegatum eſſe tradiderunt: huc enim reſpiciebant, ut vel è cælo nihil precioſius auferri potuiſſe oſtenderent, mente & vita theoretica. Et quid quæſo, aliud exiſtimabimus velle ſacras literas, quando hominem, ad imaginem Dei atq; ſimilitudinem conditum eſſe aſſerunt, quàm conditum eſſe ad ſimilitudinem operationis & felicitatis divinæ, quæ eſt contemplatio Dei? Nolite etiam credere, Auditores, aliam fore ineffabilem illam felicitatem vitæ æternæ, quam eadem ſacra oracula pijs pollicentur, quam philoſophiam perfectam, contemplari Deum de facie ad faciem, non oculis corporis, his enim Deus non cernitur, ſed mentis. Teſtimonium ex ipſo Veritatis pectore vobis affero: Hæc eſt vita æterna, inquit Veritas, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quæ ſequuntur. Audite etiam electum Veritatis inſtrumentum, præconem Apoſtolum, qui, quid ſperaret fore vitam æternam, non aliter expreſſit, quam cognituram ſe ibi de facie ad faciem, quæ hic per ſpeculum cernebat. Ecce cognituram ſe inquit, non facturam aliquid. Neq; enim eò ad humilitatem, patientiam, temperantiam, juſtitiam, aliasq; virtutes morales, ad opum & vanitatum mundi contemtum, invitamur Legibus divinis atq; humanis, ut ſcil. his rudimenta ponamus ejus

vitæ, quæ olim in nobis eadem perficienda sit, q: tum etiam his virtutibus locus sit futurus, aut talis beatitudo nobis expectanda, quæ sit istarum virtutum actus: nihil minus verisimile: durabit quidem charitas, & amor mutuus beatorum, cessabit a. officiorum vicissitudo, quippe quum nulla ibi futura sit indigentia: sed ideo nobis ista præcipiuntur hic, quia cognitionem perfectam, summumq; bonum nemo adipiscitur, nisi qui vana contemserit, affectus ad mediocritatem temperaverit, quæ dicitur virtus; ut scil. hic, beatitatem illam saltem gustare incipiamus, sedatis cupiditatum fluctibus, in cujus possessionem plenam olim, quando dabuntur nobis spiritualia corpora, quæ perturbationum foco non æstuabunt, immittendi sumus. Hoc intellexerunt etiam Philosophi, & apertè docuit Aristoteles, dum scribit: Prudentiam non Sapientiæ imperare, sed sapientiæ caussa. Non enim sapientiam quærimus, ut virtutibus Ethicis perficiamur, sed virtuti studemus, ut sine impedimentis, sapere & contemplari possimus. Siquidem mens nostra, dum in hoc mortali corpore detinetur, quod subinde variis jactatur impulsibus, veluti nubibus ac fumis ex ardente cupiditatum foco excitatis, impeditur & prohibetur à contemplando: extincto autem isto igne fumisq; dejectis, liberè se erigit, atq; in divinæ Majestatis campum, contemplando, sese effert. Hinc etiam testatus est idem, neminem esse theoretici boni capacem, nisi qui practicum nactus sit. Idipsum voluit Plato, dum philosophiam dixit esse mortis meditationem, non eam, quam Cleombrotus de saxo sese præcipitans perperam intellexit, sed abstractionem mentis, à corporeis vinculis: quum enim minimè vivimus vitam corporis, maximè vivimus vitam mentis: unde Apostolus, postquam ad gustandam futuram illam perfectam felicitatem, ad tertium cælum raptus fuisset, ipse dubitavit, utrum in corpore, an extra corpus constitisset: nempe mentis oculis aspexit illius gloriæ splendorem, corpore interim ocioso & q: emortuo.

Quando ergo tanta est præstantia Contemplationis, quæ philosophia dicitur ac sapientia, tantaq; dignitas ac bonitas, quin exclamamus: O decus philosophia eximium! ô ineffabile bonum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse possit? tu nos vere sanis esse homines; tu supra pecudes nos effers; tu Deo reddis similes, cæloq; collocas: felicem, qui te vel eminus suspicit; ter verò quaterq; beatum, qui te possidet. Hanc igitur sectemur auditores optimi, huic nos tradamus, huic toto incumbamus pectore: quisquis es, sine hac miser, & vix homo es: quisquis es, cum hac eris felix atq; semideus: nihil igitur eâ potius nobis sit, aut antiquius, ne similes vedamur gallo Æsopico, qui quum cibum quærens, gemmam pretiosissimam invenisset, milij granum ei præposuit.

Multa

Multa adhuc restant, Auditores, de ejus utilitate, quæ latissimè se per omnes scientias & artes, immo per omnes actiones humanas effundit : maxè propter eos, qui quum nihil aliud quod reprehendant, inveniunt, ociosa somnia, & inutiles subtilitates objiciunt, quodq; nullo in honore sint philosophi, ideoq; non modo aspernantur ipsi homines quæstuarij, qui ad lucrum & ambitionem omnia referunt, verum & alijs, ut hanc vitam contemnant, suasores & hortatores existunt. Hos ego semper judicavi similes illi vulpeculæ, quæ postquam caudam amiserat, callidè omnibus sui generis persuadere nitebatur, ut sibi quoq; caudas amputarent, quo multitudine sociarum, turpitudinem suam vel elevaret, vel solaretur. Ego verò Auditores, ut de contemtu taceam, ne videar propriam quodammodo causam invidiosè agere, qui licet Philosophus non sim, à philosophia tamen non sum alienus ; tum etiam, quia philosophi honorem præ sua felicitate non æstimant, qui tamen sponte illos comitatur apud rectè judicantes : de utilitate certè hoc ausim affirmare, nullam esse scientiam, nullam artem, aut facultatem, quæ insignem à philosophia usum non capiat ; quæ, non dicam plurimum, sed seipsam totam philosophiæ non debeat ; quæ non principia sua, firmamenta, ac lucem ex primi Entis scientia habeat. Vt enim primum Ens, sui bonitate, peperit cuncta alia Entia : ita prima scientia, quæ est primi Entis contemplatio, cæteras omnes q; germina de se produxit. Et ut numerorum scientiam perfectam nemo assequi potest, qui unitatem ignoret, quod ex unitate omnes numeri suam originem trahant : ita qui primum Ens ignorat, umbrã habet cæterarũ scientiarum, & somnium. Est enim ut unitas primũ Ens ac summum bonum, ab hoc omnia bona descendunt, quæ autem bona non sunt, sunt ipsius privationes. At hoc bonum sola philosophia contemplatur, quæ eadem est Theologia naturalis ; sola igitur philosophiæ, prima illa, lucem omnibus scientijs impertit. Hinc Plato felices prædicavit eas Respublicas in quibus aut Philosophi præessent, aut reges philosopharentur : quia scil. philosophi intuentes alteram faciem animæ mundi, quæ ea deorsum versa leges rectitudinis dispensat, (quam Fatum dixit) quas leges alterã factè sursum ad Deum versa (quam providentiã appellavit) à Deo accepit, non modo quid rectum, æquum, atq; honestũ sit intelligunt, verũ etiam quæ sit horum ratio, quis fons & origo. Philosophia imperandi ratinẽ peperit, Medendi leges invenit, artes efficiendi ad vitã necessaria produxit : imo etiã Theologiæ divinitus patefactæ, haud leve robur fideiq; momentũ addit : nõ, quod mens pia & religiosa, quidq; de divinis oraculis dubitare debeat aut possit, etiã sine philosophia : sed quod confirmetur magis, si quæ à Deo cælitus demissæ sunt voces, eas ratio per lucẽ quoq; naturæ approbet, ostendens admirabilẽ consensum Dei & naturæ, quodq; Deus in omnibus suis operationibus invictã cõstantia & rectitudine, perpetuò sibi sit similis. Docet Theologia revelata, unũ esse

Deum, esse æternum, immutabilem, sapientem, immensæ bonitatis: Theologi credunt. Philosophia, sive Theologia naturalis non dicit tantum, sed demonstrat: Philosophi non credunt, sed sciunt. Dicit Theologia omnia à Deo esse condita in tempore, animam esse immortalem, homines ex morte resuscitandos esse: Philosophia etsi hæc certò facta, aut futura non videt, possibilia tamen omnia intelligit, unde confidentius assensum ijs præbet animus noster. Plurima hujusmodi, ex omni disciplinarum ac facultatum genere afferre possem sed jam longius progressum me esse intelligo, quam proposueram, & retrahit me fides mea, de brevitate initio vobis data. Quare hic finem philosophandi facio, & ad id adgredior, quò me oculi, vultusq; vester jam pridem volare videntur.

Sequuta renuntiatio.

SEQVVN-

SEQVVNTVR ORATIONES

MICHAELIS PICCARTI

ORATIO I.

DE ORTU PRIMO, ET MIGRATIONE VETERUM GERMANORUM.

CUm hujus meæ consuetudinis, institutiq; rationes, jam ante reddiderim vobis sæpe, Auditores operam nunc ludere, aut abuti potius videbor: si denuo id facere præsumam: Quæ enim ante hac me ad dicendum perpulêre causſæ, quasq; vos calculo semper approbastis vestro, eæ nunc quoq; invitant, aut vim potius mihi admovent, uti ne sileam, sed morem secutus veterem, iterum apud vos verba faciam, atq; utinam ea, quæ nec allata pudori mihi, nec auditæ tædio sint vobis. Itaq; omissâ illâ curâ purgationis, in aliam incubui, quæsiviq; diu, & sumpsi cum studio, quid potissimum nunc adferrem, quod & beneficio huic vestro, quod frequentia & confluxus hic vester testatur, respondere: dignitatem deinde hujus loci, quem conscendi, tueri: deniq; existimationem meam honestis rationibus hactenus partam, si non plenè perfectèq;, saltem aliquatenus, & in partem, sartam tectam conservare posset. In quo dum sum, animumq; huc illuc distraho, aut diduco: ecce offert se animo Gens nostra, Laudatissimiq; Majores GERMANI: de quorum ortu primo, & migratione, cùm multa legissem sæpe, multosq; pervolvissem scriptores: duo tamen in jis mihi semper displicuere: Unum, quod ortum nostrum à fabulis multi quærerent, & ineptæ plebeculæ palpum obtrudendo, famam ac gloriolam aucuparentur: Alterum, quod multa affectibus & gratiæ darent, & quisq; suæ genti, unde ortus, antiquitatem ultimam tri-

buere non vereretur. Fecit hæc res, ut & ego animum in hoc negotium intenderem, doctorumq; super eâ re scripta, accuratius ruspararer, & quæ ad propositum, sine affectu, facerent, colligerem: Quid adsecutus fuerim, vestri facere decretum est judicij, Aud: adferam enim nunc ea, & liberé examinanda cuivis permittam. Neq; enim edictiones hic proponam Prætorias, neq; sententias dictabo, quibus nefas sit contradicere: rationes tamen edisseram, quibus in hanc opinionem, quam ex me audietis, deductus sum & fontes aperiam, unde hauserim, & nisi valdè fallor, hoc ad minimum obtinebo, ut intelligatis, justas me habuisse recedendi à multis, aut certè dubitandi causas. Quæ dum paucis exsequor & perago, oro vos, Aud. ut solita me benevolentia, favoreq; consueto prosequi velitis. Operam ego dabo, ut in pauca rem conferam, & auscultationis tædium, quâ licebit, abstergam, doloremq; ex temporis jacturâ mitigem ac minuam.

Hîc verò primùm, si Tacitum Historicum audias, nunquam sine laude loquendum, ut censuit Sidonius Apollinaris: Operam ego perdere, aut certè operosè nihil agere videbor: Facit enim ille indigenas Germanos, minimèq; aliarum gentium advenis aut hospicijs mixtos, Rheno Danubioq; includit, ac montibus Sarmaticis, Dacisq;, cætera Oceano ambiri: Rationes etiam adfert stabiliendæ huic sententiæ, quarum prima: Quod exteris non patebat in Germaniam accessus, nisi navibus: Danubius enim, & Rhenus, mare septemtrionale, ac Vistula, amnis arcebant liberiorem aditum: Oceanus item in æstus & periculosus navigantibus, terrebat adituros, qui Aquilonaria Germaniæ ambiens peregrinas gentes excludit. Altera: quod inculta horridaq; natio, non admodum afficere ac delectare poterat exteros, regio præterea ipsa informis terris esset, aspera cœlo, tristi cultu & adspectu, quam nemo, nisi cui patria sit, vel opaturus sit vel habitaturus. Addunt & alias alij, quod Germani extera matrimonia aut sedes, modestia non ambiverint, ambire volentes armis repulerint, ne potentiæ, famæ, & libertatis, quarum rerum studiosissimi erant, jacturam facerent, aut ullo modo imminui labe factarive paterentur. Hic obex, quoniam ad omnes Orationis meæ partes opponi potest, (quidquid enim dixero, statim contra occurretur, atqui aliter Cornel. Tacitus judicavit) idcirco initio, si fieri potest, orationis meæ amovend9 atq; amoliendus est, & vel ideo maximè, quia sectam jam trahit: Adsentiuntur enim illi multi, inprimis

Sabel-

Sabellicus, Æneas Sylvius, Cunradus Celtes, Bebelius, Althamerus & alij. *a)* Dicunt igitur C. Cornelium Tacitum, scripsisse hæc edoctum ab alijs, qui præsentibus contenti, præterita parum respexerint. Erat autem Germania tum horrida adhuc, exculta demum sub Adriano Imperatore, Romanis etiam parum cognita, quamquam inferior, quæ hodiè Belgi nomine venit, imperio eorum subesset, eamq; curaret Tacitus, qui & postea sub Fl. Vespasiano, in Germania militavit, ubi & Velledam virginem, numinis loco diu inter germanos habitam, gente Bructeram ad Lupiam amnem, in secundâ Germania habitantem, vidit. Addo præterea, majorem apud me & quemvis bonum auctoritatem esse debere, Historiæ veteris Græcæ, Herodoti, Ptolomæi, Strabonis, Clementis Alexandrini, & aliorum, quorum luminibus ut unius Taciti auctoritas officiat, nondum, ut crederem, induci potui.

a) lib. 2. Enne ad. 6. Epistola ad Matth. Mayerna.

Tacito igitur sile hîc, & nomini suo obsequi jusso, edoctus à veteri Historiâ sic ego censeo: Germanos majores nostros, Persarum olim fratres fuisse, ijsq; primâ Origine conjunctos, egressos inde post mortem Alexandri Magni, cùm omnia bellis in Asia arderent, dissidentibus procerum & Dynastarum animis, & suis unoquoq; commodis vigilante: Egressos autem omnium primos eos, quos hodiè Frisios & Saxones appellamus, & insedisse primùm Cimbricũ Chersonesum, inde transvectos Albim, ea occupasse loca, easq; regiones, quas hodièq; tenent, quibus alij postea se conjunxêre populis, qui omnes hodiè Germanorum nomine veniunt. Hæc paucis verbis de re totâ: exposita nunc doceamus oportet, & confirmemus.

Ac primùm quidem Germanos, Persarum fratres à primâ origine esse, multa arguunt, è quibus tamen præcipua solùm delibare nos temporis ratio cogit, primùm quidem conspiratio, & consensus in pietatis negotio, & numinum cultu: tum morum & consuetudinum, qua circa publica negotia, qua circa privata, communio: deniq; Idiomatis & linguæ cognatio, de quibus ordine paucis. De Persis igitur cõstat: nulla eos templa, neq; delubra etiam habuisse, neq; numen aliquod parietibus inclusisse, multo minus effigiasse aut per idola delineasse? Docet, præter Strabonem, & Diogenem Laërtium, perspicuè Herodotus, *a)* & rationẽ rei addit: *Persæ*, inquit, *neq; statuas neq;*

a) Lib. 1.

neq; templa neq; aras exstruere consueverunt : quin immò facientibus hoc insania tribuunt, ob id, ut mea fert opinio, quod non, quemadmodum Graeci, sentiant : DEOS ex hominibus esse ortos : Tangit hoc & Cicero, ubi Persarum Regem, templa Græciæ, flammis absumsisse ait, *a)* quod parietibus includerent DEOS, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorum hic mundus omnis templum esset. Et alibi : ex hac ipsa caussâ, Persas DIs hominibusq; invisos, ait, non solùm quia Barbari & hostes essent, sed etiam, quia more gentis, nulla DIs in terris templa condenda esse crederent, præsertim cum uni Soli, quem inter alia numina præcipuè venerarentur, vix ipse mundus sufficeret. De statuis & simulachris eleganter Clemens Alexandrinus : *b)* Simulachra DEORUM, Persæ, ligna & lapides esse non existimârunt, ut Græci ; sed nec Ichnevmonas, & Ibides, ut Ægypti, sed ignem & aquam, ut Philosophi. Atq; hæc olim sic erant. Idem verò hoc de majoribus nostris Tacitus : *Germani, inquit, nec cohibere parietibus DEOS, neq; in ullam humani oris speciem assimulare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur : Lucos ac nemora consecrant. Deorumq; nominibus appellant secretum illud, quod solâ reverentiâ vident.* Liceat mihi hîc, Auditores, bona vestrâ cum pace, parum exspatiari, & de veterum religione pauca adtingere.

a) 2. de LL. b) In Protrepti.

Antiquissimi, quâ Gentilium, quâ Christianorum, templa habebãt nulla, nulla delubra, nullas item aras aut statuas, vel simulachra. De Gentilibus Heraclitus innuit Epistolâ ad Hermodorum : *Vos, qui templa vestra jactatis, ait, ô imperiti, docete nos prius, quid sit ille DEVS, qui in templis concluditur : Nempe pij estis, qui in tenebris DEVM collocatis : Homo quidem opprobrium duxerit, si lapideus dicatur : At vobis DEVS lapideus est, quasi verò sancta illa res è rupibus nasciatur ! O ineptiæ ! scire verò debebatis quod DEVS nec manu factus sit, nec manu fieri posset, neq; ab origine sui fundamentum habeat, aut circumferentiam ullam : Sed universus hic mundus, stellis, animalibus, & plantis variegatus, DEI templum est.* De Romanis ex Varrone Augustinus *a)* docet : Dicit, inquit, Varro : Romanos, plus quam annos centum & septuaginta, DEOS sine simulachro coluisse. Quod si adhuc, addit, mansisset, castius DI observarentur. Qui verò primi simulachra Deorum populis posuerunt, eos civitatibus & metum demsisse, sensit Varro, & errores addidisse, prudenter existimans : DEOS facile posse in simulachrorum stoliditate contemni : Hæc ex Varrone Augustinus, quibus conciunt ea quæ Seneca scripserat libro eo,

a) lib. 4. de Civit DEI cap: 36:

bro eo, quem contra ſuperſtitiones condiderat, quamque laudat idem Auguſtinus alio loco: *a)* Sacros, ait Seneca, immortales, inviolabilesq; DEOS, in materiâ viliſſimâ atq; immobili dedicant, & habitus illis hominum, ferarumq;, & piſcium, quidam etiam mixto ſexu diverſis corporibus induunt. Numina vocant, quæ, ſi ſpiritu accepto ſubito nobis occurrerent, monſtra haberentur. Et profecto non ſine cauſſâ Deorum vett. ſimulachra, ille ſtolida, iſte monſtroſa appellat. Quæ enim non monſtra fingebant? Panor, Faunorum, Satyrorum, Priapi, & aliorum numinum? Quid Peſſinuntis, ſeu matris DEÛM in Phrygiâ Idolum erat aliud, quam Saxum informe ingens? quot ſub numinũ reverentia, querni trunci culti ſunt olim? De Chriſtianis auctor Origenes adverſus Celſum: Celſus, inquit, objicit nobis, nos ararum, ſtatuarum, templorumq; dedicationes fugere: At Chriſtianus etiam Idiota perſuaſiſſimum habet, quemvis mundi locum partem eſſe, univerſum autem mundum, templum eſſe DEI, & in quovis loco precatur clauſis ſenſilibus oculis, erectis autem animæ luminibus, atq; ita ſuper totum adſcendit. Minutius item Felix in Octavio reſpondet: Putatis nos occultare quod colimus, ſi delubra & aras non habemus? Quod vero ſimulachrum DEO fingam? cum, ſi rectè exiſtimes, ſit DEI, homo, ſimulachrum. Templum quod ei exſtruam? cum totus hic mundus, opere ejus fabricatus, eum capere non poſſit. De ſimulachris piè admodum D. Hilarius: DEUS fide & religione intelligendus eſt, pietate profitendus, Spiritu adorandus, ſenſu verò perſequendus non eſt, & D. Lactantius: DEI, cujus Spiritus ac numen ubiq; diffuſum, abeſſe numquam poteſt, ſemper & ubiq; imago ſupervacanea eſt. Obſervavit puram hanc & illibetam, veteris Orthodoxias, ſimplicitatem D. Conſtantinus Magnus Imp. teſte Euſebio *b)* in ejus vitâ, qui, ut nullum ſimulachruũ umquam admiſit: ita in numis quoq;, in quibus precantis habitu ſculpi voluit, cœlum expanſis manibus intueri conſpicitur erectus.

Perſæ porro noſtri, poſt ſupremi Numinis cultum, Solem quoq; maximè venerabantur, quem Mithram appellabant, cui ſacer currus, Regemin publico procedentem, anteire ſolebat, ut refert Xenophon, *c)* eiq; Equos conſecrabant, ut auctor eſt Juſtinus, rationem ex Herodoto reddit Ovidius: *d)*

a) lib. 6. de Civ. DEI cap. 10. b) lib. 3, cap. 35. c) & l. Cyripæd. d) 1. Faſtorum.

Placat Equo Perſis radijs Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda DEO.

Lunam porro etiam colebant, & ignem noſtrum terreſtrem, qui, ut ſervius loquitur, conſtat de ligno & aëre. Illam Herodorus *a)* Perſarum præſidem facit: De Igne Strabo: Maximus Tyrius, *b)* Clemens Alexandrinus *c)* & alij: Atq; huic quidem in ſacris primò loco faciebant, quem & æternum conſervabant, ut Curtius *d)* docuit: Eadem hæc Numina Germanorum olim erant: Ita enim de illis Cæſar: *e)* Deorum, inquit, numero Germani eos ſolos ducunt, quos cernunt, & quorum apertè opibus juvantur, Solem, Vulcanum, & Lunam. Reliquos ne famâ quidem acceperunt. Terram quoq; Matrem, Perſæ venerebantur, & hoſtias illi mactatas à Cyro Xenophon *f)* tradidit: Noſtri quoq; ſuam Ertham, ſive ut Tacitus nominat, Hertam. Terram, inquit, Germani venerantur quam Hertam dicunt, eamq; intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Flumina porrò etiam apud Perſas ſacra erant & in ſummo cultu, ut auctor eſt Arnobius *g)* & Clemens Alexandrinus in Protreptico: ſic ut neq; lavarent in ijs, neq, veſicam levarent, nec inſpuerent, nec cadaver, aut alia quæ ſpurca, polluta, aut contaminata viderentur, in profluentem abijcerent, ut præter Herodotum Strabo *h)* notavit, ac ne manus quidem in vivo flumine perluebant, quo pertinet & Taciti locus, ubi ſcribit: *i)* Tiridatem, cum Vitellî copijs ad ripam Euphratis conſiſtentem, placando amni Equum adornaſſe, proſperi transgreſſus cauſsâ. Non minus Germani noſtri ſua flumina, inprimis Rhenum colebant, in quo & liberos recens natos explorabant, ſui ne eſſent, an adulterini? ut docet Julianus in Epiſtolâ ad Maximum Prolem enim natam ad Rhenum ferebant, clypeoq; imponebant, quod ſi undis abriperetur nothã cenſebant, ſi vero innataret Rheno, verè ſuam, & cum gaudio domum referebant. Unde Nonnus Poëta *k)* eleganti Epitheto Rhenum ε'λεγχιγάμον vocat, quaſi judicem conjugij, & temerati vindicẽ. Innuit hunc morem & Claudianus, qui Germanos dicere volens, ita circumloquitur:

Et quos explorat naſcentes gurgite Rhenus.

Et nonnulli hinc nominis conſilium petunt, à puritate dictum putantes. Atq; hæc quidem circa Religionem Perſarum & Germanorum

a) In 6. Æn. b) lib. 15. Serm. 38. c) Protrept. d) lib. 4. e) l. 6. de Bello Gall. f) lib. 8. Cyrip. g) lib. 6. adv. Gent. h) lib. 1. lib. 15. i) 6. Annal. k) In Dionyſiacis.

Digitized by Google

norum conſpiratio, hic conſenſus eſt. Videamus deinceps & morum Harmoniam. Hic, ſi Hiſtoricos audiamus, primum id docebimur, comam Perſas aluiſſe; ita auctor eſt Herodotus; unde Ammianus Marcellinus *a)* longis capillis hirſutos Perſas dicit : Oppianus βαθυπλοκάμυς dixiſſet. Germanis porrò comam etiam Tacitus tribuit, & quidem rutilam, quem colorem à naturâ dictum, arte juvabant, & ſapone ex ſevo & cinere inungebant, non tamen ad ornatum, ſed ad terrorem. Ita enim Clemens Alexandrinus. *b)* Τῶν δὲ ἐθνῶν οἱ Κελτοὶ κομῶσιν, ἀλλ' ἀ κοσμοῦνται : ἔχει τι φοβερὸν τὸ εὔτριχον τῶν βαρβάρων, καὶ τὸ ξανθὸν αὐτοῦ πόλεμον ἀπειλεῖ συγγενές τι χρῶμα τῷ αἵματι, quæ in juniorum cauſſam latine ſic reddi poſſunt: Celtæ (Hi autem Germani, ut in vulgus conſtat) comam alunt, ſed ſine immodico aut indecente ornatu : terribile quiddam præſe fert denſum Barbari capillitium, flavus autem ille color bellum minatur, ut qui videatur cognationem habere cum ſanguine : Armati item ubiq; Perſæ & gladijs accincti, ut auctor eſt Ammianus Marcellinus *c)* Omnes, inquit, promiſcuè Perſæ, vel inter epulas feſtosq; dies, gladijs cincti cernuntur; & Joſephus, *d)* ubi regem Parthorum, qui Perſis conjunctiſſimi, inter epulas à ſuis obtruncatum narrat, ſubjungit tandem: Μαχαιροφορεῖν γὰρ ἐθ' ἅπασιν. Germani quoq; noſtri olim nihil, neq; publicæ neq; privatæ rei niſi armati gerebant, ut ſcribit Tacitus, neq; ad negotia ſolum, ſed & ad cõvivia tales proceſſere, etiam poſtquam templis uti cepere, templa armati adiere, quod hodièq; in aulis ſollemne. Perſæ præterea vino dediti & crapulæ, præſerim ubi paullatim Medico-Lydioq; luxu corrupti fuerunt. Itaq; in convivijs majoribus poculis popoſciſſe legimus, ſibi invicem propinaſſe, & convivas ad bibendum compuliſſe, ita narrantibus Æliano & Joſepho, *e)* & atteſtante libello, Eitheræ titulum præferente, in ſacris. Germanorum ut hodiè: ita & olim idem vitium : nam ut Tacitus ait : Diem noctemq; continuare potando nulli apud illos probro. Poti etiam Perſæ, ait Herodotus *lib. 1.* de rebus maximè ſerijs conſultare conſueverunt : quodq; inter pocula deliberatum fuerit, id poſtridie reſumere ſobrij & examinare, ac tum vel comprobare vel abrogare, & vice verſa, de quibus ſobrij deliberarunt, ea inter pocula iterum examinare : quem Herodoti locum de Perſis allegant Athenæus *f)* & Scholiaſtes Ariſtophanis. *g)* Strabo *lib. 15.* & Ammianus

a) l. 6. b) l. 3. Pædag. cap. 3. c) l. 23. d) l. 18. Antiq. c. 3. e) Variæ Hiſt. l. 12. c. 1 l. 11. Antiq. Iudaic. c. 6. c. 1. f) l. 4. g) in Equitibus.

Marcellinus idem confirmant, quod Herodotus dixit: Idem prorsus mos Germanorum fuit, de quo Cornelium audiamus: Diem noctemq; continuare potando, nulli probro: sed & de reconciliandis invicem inimicis, & jugendis adfinitatibus, & adsciscendis Principibus, de pace deniq; ac bello, plerumq; in convivijs consultant. Hoc insignior Tacitus, qui rationes subjungit acutus & eruditus hujus moris, cum ita: In convivijs consultant, tamquam nullo magis tempore ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat: Gens non astuta, nec callida, aperit adhuc secreta pectoris licentiâ loci. Ergo detecta & nuda omnium mens postera die retractat, & sua utriusq; temporis ratio est: Deliberant, dum fingere nesciunt: constituunt, dum errare non possunt. Quorum verborum sensum hunc reperio. Germani, inquit, in Conviviis, inter illa Bacchi commercia, per βεβακχισμένον εἶναι τὸν νοῦν, deliberant de rebus graviſſimis, & est hujus rei, dariq; potest non inepta ratio: quia videlicet tum fraus, dolus, & simulatio abest ab animo, & quod quisq; sentit, id simpliciſſimè & sine velo eloquitur: Nam ut veriſſimè Poëta *a)* canit:

Candida tum verax aperit præcordia Liber.

Sobrij verò examinant, quæ per vinum, deliberationis modo & formâ proposita fuerunt. Non debeo tamen dissimulare hoc loco, minimè hunc Persis & Germanis proprium & suum fuisse morem; nam eundem & Cretensium fuisse, adserit Athæneus, *b)* immò Græcorum omnium universè, si Homerum *c)* audias, & Plutarchum fusè in sympoſiacis. Persæ etiam oſculo excipere, non cognatos solum & propinquos, sed & advenas quosvis solebant, ut auctor est Herodotus & Xenophon, *d)* hoc tamen discrimine adhibito seu observato, ut si pares essent, mutuo se oſculo, salutationis loco impertirentur: inferior superioris vel malas tantum, vel genua oſculabatur, ignobilis prorsus & infimæ fecis homo, ad oſculum non admittebatur, sed is prostratus adorabat superiores. Idem mos & Germaniæ fuit veteris, cujus antiquitatem studiosè retinent hodièq;, inferioris Germaniæ incolæ, & vicini jisdem Galli, veri Germanorum pulli, quod quamvis fastidioſe negent ipsorum scriptores hodiè, tamen non eradicabunt ex Cornelio Tacito, locum contra se perspicuum & evi-

a) Horatius. b) lib. 4. cap. 5. c) lib. inprimis 7. d) Vterq; lib. 1. alter Cyrop.

& evidentem, quem laudat Alb. Kranzius in Saxonia ſua, ad quem vos remitto. Deniq; Perſæ præcipuâ obſervantiâ colebant eos, qui vicinas ædes inhabitabant, vicinitatem ſcilicet in primariâ amicitiæ parte ſtatuentes, edocti uſu quantum ſit πῆμα κακῆς γείτων. Primas autem tribuebant ijs, proximè qui habitabant, ſecundas ijs, qui à primis proximi, & ſic deinceps. Idem hodièq; Germani obſervant, qui vicinos ſuos ijs officijs proſequi ſolent, quibus vel proximos cognatos, quod vel proverbia arguunt vernacula, quantum vicinus vicino debeat; quantum item improbus nocere poſſit, oſtendentia. Plura porro congerere temporis ratio vetat, ex his tamen paucis, morum quoq; conſenſus & conſuetudinum facile ſeſe prodit, & in animos veſtros irrepit, ego ad tertium caput accedo: conſenſum linguæ & Idiotiſmi. Hic fides habenda eſt utriusq; linguæ peritis, inprimis ex meritis ſuis & virtute ſumma, Viro Incomparabili & Illuſtri Joſepho Scaligero, cujus dudum cœlo receptus animus, nunc totus occupatur in amplexu alterius Herois, & veriſſimi Herculis Muſagetæ, Iſaaci Caſauboni, quem nuper ingratiſſimo huic ſeculo eripuit quoq; & in cœlum transtulit, æquiſſimus rerum arbiter & Brabevta juſtiſſimus Deus Opt. Max. cui Optimè de re literaria merito, etſi felicitatem ſuam non invideo, non poſſum tamen non graviſſimè animo turbari percelliq;, cum & alloquio literario ſummi Viri deinceps carendum mihi video, & de Commentario Polybiano, quem præter hunc dare nemo potuit, nemo deinceps ſine plagio poterit, deſperandum mihi video. Ignoſcite mihi Auditores, extra lineam, quod dicitur, recenti lucta abrepto, & inopino furto illius viri perculſo, cui, ita ominor:

Parem fatura non habebunt ſecula.

Hi igitur duo Heroes, poſt amiſſum tertium jugalem, Juſtum Lipſium, biga literarum nobiliſsima, ita confirmant nobis: multa, immo plurima Perſarum vocabula pure germanica eſſe: Nam & Perſæ dicunt Fader, Muter, Bruder Tuchter, pro patre, matre, fratre, & filiâ, item Bandt pro vinculo: multa item levi immutatione ex Perſicis Germanica facta. Nam quod Perſis eſt Garm, in Germanis eſt Gram, infenſus: Quod Perſis Garb, id Germanis Grab foſſa, & ſic in alijs quam plurimis: Adſtipulantur Scaligero, Caſaubono etiam Augerius Gislerius Busbequij Dominus, Legatus ad portam Ottomonicam à D. Ferdinando Imp. miſſus, peregrinationibus &

prudentia Politica non minus, quam Genere & dignitate vir Nobiliſſimus: Petrus item Furmerius Leovardienſius Friſius, Rerum Friſicarum ſcriptor non indiligens & ingenuus.

His porrò argumentis de conſenſu relligionis, morum & linguæ, accedat & auctoritas Poëtæ Tragici, omnis retro antiquitatis ſcientiſſimi L. Annæi Senecæ: *a)* qui cum de temeraria Humani generis audacia multa graphicè dixiſſet, in hæc tandem quoq; verba erumpit:

Nil, qua fuerat, ſede reliquit
Pervius Orbis. Indus gelidum
Potat Araxem: Albin Perſæ,
Rhenumq; bibunt.

Auditin' Aud. Perſas Rhenum & Albin bibere: Animam Senecæ jurare auſin, huc, illum animum intentum habuiſſe, cum iſtæc ſcriberet. Germani igitur noſtri originitus Perſæ, & inde egreſſi, & egreſſi turbatâ poſt' mortem Alexandri Aſiâ: egreſſi item primùm ij, qui poſtea Saxones & Friſij dicti, in quo demonſtrando reliquus nobis, inſtituti noſtri labor eſt. Ptolomæus igitur Geographiæ ſuæ *lib. 6. b)* inter Perſidis populos refert etiam Sacas, quorum ſitum ubi deſcripſit, ita ſubjungit: Sacarum regio Nomadum eſt. Civitates autem non habet, nemora & ſpeluncas habitant. Et apud Sacas tractus montanus, item locus, Turris lapidea λίθινος πύργος appellatus. Eadem habet & Herodotus, qui & armaturam eorum deſcribit, Germanis uſurpatam: Sacæ, inquit, criſtatas in capitibus caſſides geſtabant, in acutum erectas atq; compactiles, induti femoralibus, nec non arcus gentiles atq; pugiones, adhæc dolabras & bipennes: De ijsdem Sacis & Ammianus Marcellinus in deſcriptione Perſidis: *c)* Sacæ, inquit, natio fera, ſquallentia incolens loca, ſolo pecori fructuoſa, ideo nec civitatibus culta: cui Aſcanimia mons imminet, & Comedus: Præter quorum radices & vicum, quem λίθινον πύργον appellant, iter longiſſimum patet mercatoribus pervium ad Seras ſubinde commeantibus, exquo tabulam ſuam eſſormaſſe fideliter videtur Mercator, in Tabulâ Ptolomæi Aſiatica V II. Hi Sacæ primùm egreſſi ſunt ex Aſiâ, occaſione, ſi fides eſt Speculo Saxonico *d)* tali; Secuti fuerant hi Sacæ caſtra Alexandri Magni, & totam Aſiam

a) In Medeâ. b) cap. 33. c) lib. 23. d) Artic. 44. lib. 3.

Digitized by Google

ſiam ſubjuganti fortiter adfuerant, magnâq; ſuâ cum laude, ſic ut toti Aſiæ penè terrori eſſent. Mortuo Alexandro, Aſiani conjunctis copijs, opibus, & viribꝰ eos aggreſſi ſunt, reſiſtente initio Duce Sacarum Petrocolo, qui λίθινον illum πύργον incolebat, unde & illi nomẽ, qui tandem inferiorem ſe cum ſuis videns, fugam ſuis ſuaſit, quem ſecuti & alij còntermini populi, effudere ſe in Europam ſimul navigijs majoribus, & novas ſedes quæſivere, ibidemq; ſe vocarunt Sacaſones, & per ſyncopen, ut pueri Grammaticorum loquuntur Sacſones, quaſi Sacarum Sohnios ſeu filios: ita enim cum Cambdeno malo ſentire, quam Speculo Saxonico, vel Furmerio, quorum illud adſerit Petrocolum Ducem, ſuos comites appellaſſe Saxones, quia Petra etiam Saxum diceretur, quam Petram ſive turrim lapideam ipſe habitaſſet: Furmerius autem ab angulis turris lapideæ, qui acuti erant, nomen accepiſſe cenſet. Acutum autem Veteribus Germanis **Sachſe**/ unde Gladij vett. Germanis **Sachſen** dicebantur. Juvat Cambdeni & meam Sententiam, quod Strabo *a*) ſcribit: Eosdem Sacas Armeniæ quandam partem, de ſuo nomine Sacaſenam dixiſſe. Venere autem hi Sacaſones primum in Cimbricam Cherſoneſum, ubi Ptolomeus eos conſtituit: Poſtea Albim fluvium transvecti, partem in Suevorum ſedes paullatim conceſſere, hoc eſt, hodiernum Saxoniæ Ducatum, partim in Friſiam & Bataviam delati ſunt: Qui cum locis à fratribus ſeparati eſſent, etiam nominibus ſe ſeparârunt, & Friſij quidem, leviter immutato originis vocabulo Perſicæ, Phreſæſones, quaſi Perſarum Sohnios ſe appellarunt, unde poſtea conciſius, Phriſones appellati, & locus, quem occuparant, Phriſia, aut Friſia: alij vero alijs nominibus uſi: puta Getæ, Daci, Suevi, & alij. Marſi, Gambrivij, Vandali.

Hæc fuere, Auditores, quæ ſuper Origine & migratione primâ Germanorum, ex ſcriptis probatiſſimorum Veterum haurire potui, quibus jungo & hoc, omnes hos populos, qui locis varijs diffiti, eandem tamen originem ſuam obliterari nolebant, Bruderos voce Perſico-Germanica ſeſe appellaſſe mutuò, quod, cum Romanis innoteſceret, latinâ voce Germanos, pro voce exoticâ aut peregrinâ eos appellarunt, ſed longo demũ poſt tempore, quo pertinet illud Taciti: Germaniæ vocabulum recens & nuper additũ, quoniâ qui primum Rhenum transgreſſi à victore primùm ob metum Germani

a) *lib. 15.*

mani (quia videlicet fratrum more auxilia sibi mutua ferrent) mox à se ipsis invento nomine (quia fratrum appellatione sese invicem salutabunt, vocarentur. Neq; hic Lipsio auscultandum censeo, qui à Gerrâ, hoc est, bello, Germanos dictos arbitratur quasi militares mannos, seu viros pugnaces. Pro me enim Strabo *a*) sentit, qui à fraternitate Romanis sic dictos diserte ait, perperam verò ideo, quod Gallorum fratres essent, quo accedit & Plutarchus in Mario : A quo Mario, cum Legati Teutonum, sibi & Fratribus suis agrum & oppida postulassent, quæ ad sedes suas ponendas essent satis : interrogante Mario, quinam fratres illi essent : Teutones etiam esse responderunt. Quibus ille, omittite, inquit, fratres vestros, jam enim habent à nobis datam terram, semperq; habebunt, innuens, prælio cœsos occubuisse. Vestri jam judicij facio, quod & initio feciſſe memini, plus ne probatissimis scriptoribus, quos adduxi, tribuere velitis, an fabulis illis anilibus, quæ Germanos à nescio quibus Trojanis Phrygibus, autalijs, originem traxisse nugantur, mihi semper placuit ἄνωθεν τὸν ποταμὸν διορύττειν, fontem à capite fodere absurdum contra visum ὁδοῦ παρόντος ἄπειρον ζητεῖν. Credo & vobis Auditores, ac proinde hic sisto, vobisq; pro comitate hac vestrâ, qua dicentem benignè audivistis, gratias immortales ago.

a) lib. 7.

DIXI.

MICHAELIS PICCARTI

ORATIO II.

EXPEDIATNE PRINCIPI, SUBTRAHERE SE OCULIS SUBDITORUM SUORUM?

CUm his diebus proximis, Auditores, vitam Philippi II. Hispaniarum & Indiarum Regis potentissimi, descriptam à magni nominis Historico, animi caussâ perlegerem, inq; virtutibus ejus, quas non fuisse nullas probè noveram, earumq; præcordijs, in quibus decantandis non malignus

lignus erat Historicus, haud rarò subsisterem, delatus sum à lectionis serie, tandem ad eum locum, ubi ita inquit; occupato regno Portugalliæ, quod ille coronam laborum suorum reputabat, tanquam sibi sceptra & tributa Indiarum reddens, quibus repagulum aperiret ad delibandas, cum placuerit, coronas omnium Europæ regnorum potentissimas, inclusit se in Curiale, cum intentione, nunquam indè egrediendi, & ceu ex specula, contemplandi undas & fluctus exsultantes, in universam terram. Actiones corporis erant in uno loco, at animæ operationes sese per universum terrarum orbem, veterem & novum effundebant & dilatabant, tantundem acumine pennæ efficiens, quantum prædecessores ejus acumine gladij. Sui conspectum perrarò, nec temerè Hispanis exhibebat, nec quisquam vel potentissimus in adspectum admittebatur, nisi cui longissimo tempore postulanti, id in summi favoris gratiam concederet.

Quo perlecto, non potui non etiam subsistere, & quæ legeram, animo veluti ruminare: id dum facio, notata mihi duo præcipuè in commemoratis verbis, quorum alterum, magnorum Principum exemplo feciſſe Philippum animadvertebam, & non admodum improbandum: alterum autem, communi eum errore deceptum sequi statuisse, censebam. Prius est, quod Philippus, acquisito & occupato Portugalliæ regno, quiescere voluit, & sedem velut imperij premere: Idem enim feciſſe Imperatorem Antonium olim Romæ, Cornelius Fronto, summus atq; admirabilis Orator testatur, illumq; belli in Britanniâ confecti laudem, quam vis ipse in urbis palatio residens, gerendi ejus solum mandasset auspicium, ac veluti longæ navis gubernaculis præsidentem, totius velificationis cursusq; gloriam meruisse, ait. Unum hoc multò ante studium Tiberio fuit, omnium artium Imperatoriarum callentissimo Principi, cui adversus sermones Senatus etiam, opponere majestatem imperatoriam motui Legionum Germanicarum jubentis, immotum fixumq; fuit, ut scribit Tacitus, non emittere caput rerum, Urbem videlicet Romam, undè in omnia regimen, neq; se, remq; publicam in casum dare: Idq; hodiè quoq; pro arcano sui Imperij habent Ottomannici Principes, non deferendæ temere Urbis Constantinopolitanæ decretum sciscet, & famosissimus ex illis Amurathes gloriari ausus est, se Constantinopoli sedentem (omnia enim bella per Duces & Legatos cõfecit) majores res, quam ullum majorum suorum, qui ipsi Exercitus duxerant, gessisse, maximis gentibus perpacatis, imperioq; Otto-

mannico ad maris usque Caspij portas propagato. Potuit hoc idem jure merito gloriari Divus Rudolphus noster, qui Pragæ Bohemorum tanquam in specula constitutus, universi tamen curam egregiè gessit, & Imperium, illustrissimis numerosissimisq; victorijs adversus hostes partis, nō conservavit modò, sed heroicè, auxit protulitq;. Potuit deniq; in partem hujus gloriæ venire Philippus quoq; noster: ita hoc ejus consilium non valdè nunc improbamus, largimurq; ultrò illud Taciti super hac re judicium: non decorum Principi, si una alterave civitas turbet, illicò accurrere, cujus integra auctoritas majoribus servari debebat: majorem esse majestati è longinquo solere reverentiam, si status imperij & salus regni in discrimine versetur, tum fortè necessarium fore vim Principatus è proximo ostentare. Alterum ejus consilium est, in quo hæremus, quod subtrahere se suorum quoq; oculis voluit, idq; seriò & præfractè exsecutus est, quod publico inveteratoq; eum errore abreptum feciisse, dixi paulò ante, neq; nunc multo; quin adeò paratus sum id argumentis evincere, hoc loco & tempore, quo pro consuetudine hujus Academiæ, dicendum aliquid mihi est, sub exordium novæ Interpretationis Scholasticæ, nisi vos nolitis, Auditores, & docere adeò conabor: nequaquam Bono publico occultationem illam & veluti furtum Principis, vel institutum à quibusdam populis, vel à quibusdam per κακοζηλίαν usurpatum.

Ea verò de vobis mea & spes & fiducia est, Rector Magnifice, Viri in omni disciplinarum genere celeberrimi, Domini Collegæ plurimum honorandi, florentissimiq; genere, indole, virtute ac doctrinâ juvenes, ut planè animum inducam, Vos, pro eâ benevolentiâ & humanitate vestrâ, quâ me semper hactenus prosecuti estis, huic quoq; voluntati meæ non repagnaturos, sed & petitioni meæ, peto enim à vobis, uti ne nolitis, locum daturos: operam ego unicè dabo, ut in dicendo & vestri, & mei rationem habuisse videar.

Examinanti mihi, Auditores Optimi, instituti hujus causas, consilia, & veritatem, occurrêre statim pro Philippo nostro multa: maximé autem instituta, potentissimi olim hodieq; famosissimi regni, & ex institutis secuta consuetudo, inveteratusq; mos, propago deinde & æmulatio aliorum extra illud Regnum, Ratio & bonum publicum, populi deniq; suffragium, & tacitus consensus atq; approbatio. Quæ si omnia vana aut falsa esse docuero, spero me id, quod volui, minimè difficulter obtenturum.

Atq;

Atq; initio quidem multitudinis & vulgi præjudicium grave telum est, ideoq; primo excutiendum loco; hic enim obex ad omnes meæ Orationis partes objici poterit. Atqui aliter populus judicat. vetus item illud: τοῖς μαινομένοις ὁ συμμαινόμενος οὕτως μαίνεται; amoliendus igitur statim, nè sæpius mihi cum eo res sit. Censet igitur aliter populus, sed Persarum instituto corruptus, & specie externâ dementatus, officij verò & muneris regij ignarus: Quid? quod vulgus ex Cleanthis sententia, ὡδὲ συνετὸν ἔχει κρίσιν, ὅτι δίκαιον, ὅτι καλὸν, sed plerumq; fovet, ἄκρατον, καὶ ἀναιδέα δόξαν, & ex veteris Rhetoris effato plerumq; μεθ' ὧν οἱ πολλοὶ, μετὰ τούτων ἡ μέμψις. Valeat igitur nunc multitudo aliquandiu, & rationes nostras audiat, si modo audire potest, suspendatq; judicium, quòd dedit ei præjudicium, suffusio oculi interioris. Ego enim ad instituta regni Persici me converto, quæ reges suos à subditorum oculis removebant, ἀφανίους ὁρᾶσθαι, καὶ δυσπρόσοδους εἶναι volebant, ut loquitur Xenophon, immò πάντ' ἀόρατους, ut Aristoteles & Herodotus. Causas hujus instituti duas animadvertere visum: quarum altera à similitudine & comparatione sumpta, quæ inter Deum & Regem est: Rex, dicebant, Dei personam repræsentat, vicemq; ejus gerit in terris, sicut igitur ille inconspicuus est, & ex eâ causâ venerabilior: ita Regem quoq; adorabilem faciet occultatio, majoremq; solitudo. Alteram causam ab improbitate populi sumebant, qui consuetudinem in contemptum abire permittit, & cujus vultum cognovit, ejus imperium exutit: multum potuere hæ duæ rationes: & consuetudo hæc includendi Regis, etiam ad Medos volente Dejoce transijt, ut author est Herodotus, qui præter dictas rationes & tertiam addit: Conspici, inquit, se à nemine voluit, neeum cernentes æquales, & una cum eo educati strenui & fortes, invidiâ felicitatis regiæ correpti, insidiarentur vitæ ejus, sed potius augusti aliquid ei tribuerent, quem à conspectu suo remotum viderent. Eundem fastum imitatus est postea apud Plutarchum Demetrius: Apud Polybium Ptolomeus Philopator, qui ex eo δυσέντευκτος Historico dicitur: apud Tacitum Tiberius: apud Philonem Caligula: apud alios, alij. Ad hæc quid ego? Paucis dicam: vana ista fuisse & reverà ridicula: Nam vel ideò Rex subditis suis conspicuus esse debet, quia Dei inconspicui vicem in his terris gerit, qui populi necessitatibus succurrat, jus eidem dicat, & accepta ab invisibili Deo imperandi prudentiâ, rectè præsit, & fine cujusq; querelâ: At majestas & reverentia hac occulta-

tione quæritur & paratur ? Per me sanè *præ*stigijs etiam alijs, non delitescendo modò fucum faciant : at *hoc* quoq; meminerint, non esse quod illis invideamus, si verâ majestate destituti ad simulationem confugiant : Nam qui nihil sani aut integri habet, & hoc ipsum intelligit, quî fieri potest, ut non lucem fugiat, quo sui contemptum devitet ? Exemplo memorabili sit Franciscus Trovilluvius, ex montanis Cenomannorum ortus: illi, cum circâ septimum ætatis annum, sinciput, erumpente cornu, cepisset exasperari, & postea cum ætate augeri, vervecini modo leviter ἐλικτὸν pudore ejus. Firmi sive Firmini pagum, natalem sibi locum reliquit, & in montes Cenomannorum concessit, ubi inter operas carbornarias ad annum usq; ætatis tricesimum quintum latuit, nihil pari studio cavens, ac ne cui unquam caput aperiret, quod metuebat, ne si res palam fieret, pro monstro haberetur, & libertate αὐτοπραγίας ademptâ circum duceretur, quæ tandē misero Fortuna cum evenisset, homo ferox & contumeliæ impatiens, quiq; deformitatem suam ab agyrtis in occasionem æruscationis esse versam, ægerrimè ferret, brevi eo mœrore & indignatione confectus perijt. Lateant igitur & illi quoq; Principes, qui præter generis prærogativam nihil adferunt ad imperij dignitatem, plura contrà ferunt celanda potius quàm retegenda, qui cornua alunt in pectore, quibus fungus in cerebro nascitur, pepo in corde provenit, & in latibulis istis suis cum Domitiano muscas conficiant, calices cum Commodo frangant, cum Adriano cucurbitas pingant, cum Europo Macedoniæ rege laternas faciant, aut etiam, ut vel obscuriùs lateant, ad carbonarias quoq; divertant, cum Trovilluvio nostro, operas : Ad alia autem nostrum vocabimus Principem munia, quibus destinatus est, quibus curandis constitutus quæq; illum verè Augustum faciant. Sed tu Persas iterum mihi regeris, quibus cultus & studium adveneratio in Principem cerevit per hæc. Quid si largiar tibi ? & eo fuisse ingenio Persas dicam, qui indignos se putarint conspectu & alloquio sui Principis, homines videlicet ad servitutem nati : arguit certè hanc indolem, quod summi satrapæ & Provincijs præfecti in literis ad Regem sese servos, & inter se συνδούλους conservos appellare consueverunt, ut vel ex sacris tabulis & Josepho disci potest : Quod item promiscuè Persæ verberibus flagrisve cæsi Regio jussu, gratias ei agebant, præclare secum agi existimantes, quod Regi in memoriâ essent, ut author est ex Nicolao Stobæus. ¡Quid etiam negem, veram fuisse venocationem

aut-

aut cultum, ſed ſimulatum vi metuq́; expreſſum, qualis hodiè Turcarum eſt. Quid tu porrò mihi reſpondebis, ſi in contrarium exempla producam. Audi quæ Plutarchus de Artaxerxe Mnemone dicat: οὐ μόνον, inquit, τοῖς ἐντυγχάνουσιν ἑαυτὸν εὐέδην παρεῖχεν, ἀλλὰ καὶ τὴν γυναῖκα τὴν γνησίαν ἐκέλευσε τῆς αὐλαίας τὰς ἀνελκούσης ἀφίεναι, ὅπως οὐ δεόμενοι καὶ τὴν ὁδὸν ἐντυγχάνωσιν. Artaxerxes, inquit, non tantum ipſe compellantibus liberaliſſimè vacabat, ſed & uxorem ſuâ jubebat petenti aulæa dimovere, ut poſſet abjis, qui vellent etiam in viâ & itinere compellari. Quomodo autem hanc comitatem accepêre Perſæ? docet idem Plutarchus alibi de Statyrâ conjuge ejus, magnam videlicet eam à Perſis gratiam iniviſſe. Si ipſa, quia panderet currum, gratioſa fuit populo, quomodo cenſes acceperint humanitatem Regis? Valeat igitur Perſicus ille typhus, & cum eo omnes illi, qui æmulandum ſibi eum putarunt. Reſtat verò & aliud incommodum, cujus vitandi cauſſa includendus Princeps tanquam in ergaſtulo, quia ſæpius conſpectus in contemptum incidit, vileſcitq́; perſona. DI meliora: id verò loquuntur priſcorum quoq́; ſapientum monita, & monumenta. Audi Livium: Continuus, inquit, adſpectus minus verendo magnos homines ipſa ſatietate facit. Audi Valerium: humili, inquit, & trita conſuetudine, quo ſit venerabilius vacuum eſſe oportet, quicquid in excelſo faſtigio poſitum eſt: Aut Apuleium Afrum magis amas? Ille verò: parit profectò converſatio contemptum, raritas conciliat admirationem: adde, quod quem tu faſtum Perſicum proclamas, eum Philo Judæus τῷ ἀχρηλὶ λυσιτελέσαλον utiliſſimum Principi dicit, undè vides è Bono publico quoq́; eſſe Principem abſcondi. O Jejunam & languidam concudendi rationem: humilis & trita conſuetudo à Principe abeſſe debet, ergò intrâ ſecretum Palatinæ domus abditus contineri, & non niſi ſumma neceſſitate perurgente, tanquam veſtale aliquod ſecretum conſuli debet. Φεῦ φεῦ τῆς κενόπτου: Tu verò hæc mihi Syneſij verba accipe, & animo imbibe: Ἀλλ' ἥλιε τὲ μέχρι τήμερον εἶδεις πῶ καθαπτόμενον: καὶ τοί τι συνηθέστερον θέαμα? Solemne in hodiernum diem quisquam deſpexit? quanquam quid eſt, quod frequentius conſpiciatur. Nihil igitur vereatur Rex conſpici, dum modo ibi ſit, ubi Regem eſſe oportet: in templo, in judicio, in bello. In templo enim, ſi ſacra procuret; in judicio, ſi jus dicat; in bello, ſi pro ſalute & incolumitate patriæ decertans conſpiciatur, nihil ei verendum eſt, ut contemnatur à ſubditis, quin potius tanto magis admirabilis

erit gratusq; populo futurus. Ita certè Theodosio suo confirmat Latinus Pacatus, cum ait: Non magis communem hunc diem atq; Solem, quam nostrum Imperatorem videre licet. Quid cum vicinum habeant permissa fastidium (ita & tu Persa vis) nunquam iste mirantes explet oculos, magis magisq; visus expetitur: novum dictu: præsens desideratur. Iis videlicet in locis conspicitur, & in illis occupatus, quæ reverentiam sui gignant vel terrorem. Quod si in lustris, in popinis frequens sit, si insessor alieni thori, si in sylvis perdius & pernox, si forum aleatorium concalefaciat crebrô, si carnificis assecla, aut morionum conturbernalis: non negarim in contemptũ & odium eum incidere, & sua quidem culpa. Sed & aliud ea transverso telum: Sœpè deformitas aut vitium aliquod corporis, suadet celâri Principem, cujus respectu contemptus populi nasceretur. Non nego ego, formæ decus multum ad auctoritatem Principis posse: nam ut eleganter Curtius: Etiam barbaris hominibus, in corporum majestate veneratio est, magnorumq; operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie natura donare dignata est. Sed vim administrationemq; regni in forma sitam esse non concedo: itaq; in plures Principes illud, quod Chrysantæ Xenophon tribuit Elogium, quadrat: Χρυσάντας ἀνὴρ οὔτι μέγας οὔτε ἰσχυρὸς ἰδεῖν, Φρονήσει δὲ διαφέρων: Chrysantas vir neq; corpore validus, aut robore conspicuus, prudentia verò, quæ potissima est Imperatoris virtus, alijs longè præferendus, quæ ubi Principem circumdat, facilis est formæ jactura, neq; metus contemptus. Vel claudum illum Regem & pumilionem Agesilaum vide mihi, eum verò toto opere commendavit Xenophon, neq; unquam ij quos ipse duceret, neq; adversus quos tenderet, neq; quorum regiones peragraret, contemptui eum habuerunt, etsi in qualibet civitate ad publica maximè loca diverteret, ubi quicquid ageret, omnium erat oculis expositum, si quis Spartani Ducis videndi desiderio teneretur. Quomodo verò contemptum effugit? rerum gestarum magnitudine, & victoriarum splendidissimis Trophæis. Parvo enim exercitu in Asiam penetrans, hominem eum, quem innumeræ nationes tanquam Deum adorabant, propemodum imperio deturbavit, totamq; Græciam victorijs suis illustravit. Philopœmeni ultimo Græcorum, (sic enim quidam venustè eum appellavit) nihil ad gloriam obfuit, quod corpore parum decens, cultus etiam omnis negligens esset, quanquam hujus sui vultus & cultus aliquando pœnas luit, sed apud fœminam; nihil Vladislao,

dislao, Loctico sivè cubitali statura, quæ illi cognomentum dedit, qui de se ipso apud Poëtam:

Corpore parvus eram, cubito vix altior uno,
Sed tamen in parvo corpore magnus eram.

Nihil alijs; scilicet, ut eleganter Seneca: Gladium bonum nemo dicet ideò, quia deauratus est baltheus, aut vagina gemmis distinguitur, sed quia ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus: nemo etiam, ut Dio Prusæus ait, prudens, vinum ex dolio judicat: sæpius quippè invenias vasi despicabili optimum inesse vinum, sæpius contrà in concinno dolio vinum in vappam degenerasse. Ita in Rege non ista externa, quæ Regem veluti circumstant, sed animi cultus & studia considerari debent. Concludo igitur cum Xenophonte per comparationem, quam & ipse instituit: Quisquis Persico fastu inflatus est, exultet sanè in eo, si quàm rarissimè videatur, difficilesq; habeat aditus: At verò quisquis Princeps vult esse ita, ut nomen cluet, is gaudeat & suorum conspectu, & frequenter quoq; ab ipsis conspici lætetur, νομίζων (verba Xenophontis) αἰσχρὸν εἶναι μὲν τὸ ἀφανίζεσθαι πέλας, τοῦδὲ εἰς κακοσβίαν, τὸ φῶς μᾶλλον κόσμον παρέχειν, certus, turpiter viventi tenebras convenire, vitæ autem ad decus & gloriam institutæ, atq; ad salutem publicam directæ, plus ornamenti lucem afferre. Nam quæ contrà & allata sunt ab alijs, & afferri potuisse visa sunt, ea, ut spero, ita sunt discussa à nobis, ut neminem cordatum remorari ultrà possint, quo minus in sententiam nostram & animo inclinet, & pedibus descendat. Verum quia pars adversa Bonum publicum etiam crepat, doceamus paucis, illud pro nobis stare, & quidem magis. Regnum omne, quod à vobis & omnibus bonis impetraturum me confido, inter duo veluti divisum est: ipsum Regem, & ejus potestati subjectos: ita instituturum, ut societas conservetur, & salus quà Regis, quà subditorum, in tuto collocetur. Regis est providere saluti subditorum; subditorum, nosse suam salutem in Regis salute, inclusam esse; itaq; unicè pro illâ excubare, illi timere, fidem & obsequium probare, & tanto se meliorem credere, quanto magis obedientiam Principi suo testetur. Prudentiam verò Rex undè hauriat, si domi veluti à se ipso obsessus claususq; delitescat, pauciſſima videat audiatq;, à quibus rerum agendarum prudentia colligitur, interim verò voluptatibus emancipatus pulmonis marini vitam agat, ut loquitur Synesius, Jus dicere Rex subditus

suis

ſuis debet, aut Rex eſſe non debet, monente etiam vetulâ: at quomodo jus dicat ille, qui domi latet? omnium, quæ foris aguntur, ignarus? qui alienis videt oculis? alienis, quæ audit, auribus audit? Bellorum præterea πηχυ̃ς eſſe debet, ὥσπερ ὁ σκυτοτόμος ὑποδημάτων: ἐκεῖνός τε οὐ χαλεπὸς ὅταν ἀγνοῇ τὴς τέχνης τὰ ἔργανα. Ὁ τε βασιλεὺς πῶς ἐπισήσεται χρῆσθαι στρατιώταις ὀργάνοις, ἃ μὴ γινώσκει: Ut ſutor calceamentorum, ita Imperator bellorum artifex eſt: ſicut igitur ſutor ridiculus eſt, ſi ſuæ artis inſtrumenta neſciat: quomodo Rex militibus tanquam organis victoriæ peritè utetur, ſi eos ignoret? Jam ipſorum ſubditorum virtus an non elangueſcit, ſi princeps eos ignoret? Ejus enim oculus & conſpectus accendit vireis, animos, acuit virtutem, vitæ ſanguinisq; pulcherima merces reputatur teſtimonium Principis: Et optimus quisq; ab optimis, inprimis à Principe cognoſci gaudet. Eant igitur & ſolem mundo quoq; eripiant, & ſidera cœlo, qui Principem ſubditis eumq; & unius alteriusvé parietis angustijs concluſum tentent. Nobis & omnibus bonis Princeps eſto conſpicuus ille Sol, character & imago Dei inconſpicui, qui blandiſſimo ſuo vultu radijsq; majeſtatis ſuæ fovet nos, & diſcutit ſimul omnium adverſorum nebulas: Nobis & omnibus bonis pateat, non aditus modò ad Principis conclave, ſed ad ipſum usq; cor & pectus Principis, undè manat fons ſalutis publicæ: Nobis deniq; & omnibus hactenus bonis ut patuit, ita pateat deinceps quoq; ad veritatem, repudiatis pervulgatis erroribus animus, ut id probemus, quod fas piumq; eſt, ab alijs verò & contrarijs toto pectore abhorreamus. Sed fortaſsè nec inutile fuerit introſpicere cauſſas, propter quas Perſicus hic error paulatim ſerpere potuerit, & alias quoq; aulas inſidere, & Principes hominem, qui eſt naturâ animal πολίτικον, & magis quàm ullum gregale, exſuere fecerit; rerum certè tam novarum & abſurdarum aut graves aut ſubtiles oportet eſſe cauſas, Reperire verò hactenus diligenti meditatione tres potui: quarum duæ ab ipſis Regibus aut Principibus manarunt: una eſt conſcientia imperitiæ aut infirmitatis. Cum enim Princeps intelligit, ſe neq; corporis, neq; animi viribus parem eſſe tuendæ majeſtati Regiæ, confugit ad hæc ſimulachra, & ipſa raritate ac ſolitudine majeſtatis famam affectat, quo advocat & externum corporis ſplendorem atq; ornatum, ut tanquam numen aliquod reputetur, quod nutu ſolum agat, aut oculi motu etiam leviſſimo. Et ſi retrò reſpicias, tales fuêre pleriq; olim Perſæ, homines item molles & delicati,

lac

lætæ avium aventes, & qui gladio percussi unguenta potiùs, quàm sanguinem fusuri essent. Talis Sardanapalus, talis etiam Lygdamis, ad quem cum Legati Lacones venissent, isq; aliquoties diem colloquio produxisset, tandemque indicari juberet, valetudine se non satis esse firmâ, rennnciari ei mandarunt: Atqui per Deos non colluctatum cum eo venimus, sed collocutum solùm. Talis, quod mireris, etiam libertus aliquis, Pallas videlicet Claudij, qui huc superbiæ & fastidij devenit, ut nunquam domi aliquid, nisi nutu aut manu significaret, vel si plura demonstranda essent, scripto uteretur, ne vocem sociaret, adeò impotenter servilia illa portenta imperitarunt: Tales ejusdem farinæ alij. Altera causa itidem est ab ipsis Principibus, nempè illis, qui ad Principatum nil nisi vim attulerunt, quos Tyrannos hodiè dicimus, qui neq; jussu populi, neq; auctoribus patribus regnant, neq; generis serie nituntur. Hos enim metus includit, tribunal illud, quod in mente cujusque à natura ipsa constitutum est, & expectare jubet, quod meriti sunt, atq; intus tortore flagello cor surdo verbere cedit. Hæc causa Tiberio includendi se apud Tacitum; Constantio apud Ammianum Marcellinum, & alijs apud alios. Tertia causa ab aulicis manat, qui cum imperia & Principatus aureum vellus habere animadvertunt, tonsuræ cupidi, Principem claudunt, & voluptatum illecebris atq; otij dulcedine delinitum detinent, simulantes fidem & industriam, seq; pollicentur Reipub. necessitates & desideria ad ipsum delaturos, & ab eo responsa atq; Oracula petituros: prostitui auctoritatem Principis, si se passim vulget, & cuivis de hominum fece: majorem ex occulto & longinquo reverentiam. Quod ubi obtinuerunt apud minus cautos, DI boni, quæ illi postea non moliuntur? quæ non agunt? non dicam meis verbis: Lampridium audite: Perdunt, inquit, Eunuchi Principes suos, cum à populo submovent, claudentes eum, & agentes antè omnia, ne quid sciat, internuncij sunt, sed aliud sæpè, quã respondetur, referentes. Clarius Vopiscus: Colligunt, inquit, se quatuor aut quinq; in aulis, atq; unum consilium ad decipiendum Imperatorẽ capiunt: dicunt, quid probandum sit: Imperator qui domi clausus est, vera non novit, cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur: facit judices, quos fieri non oportet, amovet à Rep: quos debebat retinere. Quid multa? ut Diocletianus ipse dicebat: Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Exempla quæris? Petronium Thurinum vide, Alexandri Severi Aulicum, quæq; de eo Lampridius scribat, qui fumo tandem justissimo

ſtiſſimo judicio enectus eſt, cum fumos diu populo vendidiſſet, Zoticum item Heliogabali apud eundem: Aut hodiè Aulas adi, & brevi atrociora videbis. Movit ea res optimum Imperatorem Rudolphum I. Habsburgicum, & juſtiſsimam ei bilem in naſum concivit: qui, cum ſubmoveri à ſatellicio ſuo tenuiores quosdam videret ad ſe affectantes, non ſine ſtomacho edixit: PerDeum! ſinite homines ad me venire: Non enim ideò ſum ad imperium vocatus, ut in arculâ includar. Divinè tu & Heroicè Principum maximè, qui magiſtratus munus rectius animo complexus es, quàm hodiè illi, qui voluptatibus & otio ſe natos putant, aut contumeliæ alienæ. Viveres tu utinam hodiè, & non plebem, ſed ipſos etiam Principes ac proceres imperij videres, à recens exſterquilinio effoſſis aut enatis veſpis ſubmoveri à conſpectu ſui capitis, quo autem animi dolore, ex his verbis tuis conijcere non eſt difficile. Sed hæc queri licet, & dolere, corrigere non licet, certè in noſtra manu non eſt.

Sed tempus admonet tandem, Auditores, ut me ipſe colligam, neq; diutius auribus veſtris ac benignitate abutar. Potuiſtis autem credo ex illis, quæ dixi, intelligere: neq; Perſici regni leges aut conſuetudinem, neq; multitudinis aſſenſum & ſuffragium, neq; etiam propaginem ſemel introducti moris, neq; deniq; Boni publici prætextum, tantum apud cordatum judicem valere debere, uti Princeps chariſſimorum ſuorum ſubditorum conſpectui ſe ſubtrahat, aut ſpontaneo carceri mancipet: omnia verò alia & imprimis Boni publici rationem contrà ſuadere. Nos, qui in ſcholarum umbra verſamur, neq; ad lucem aularum oculos penè tollere ſine periculo poſſumus, in eo acquieſcamus, quod veritatem rerum nobis ſcire & profiteri licet: alijs autem vel amplectendi eandem, vel obruendi libertatem, quia aliter non licet, quam diu viſum præpotenti illi Deo, qui ſuprà nos res humanas curat, ſine pugna relinquamus.

DIXI.

MICHAE-

MICHAELIS PICCARTI

ORATIO III.

DE MAGNANIMITATE ROMANA.

SUperioribus, qui nobis ex antiqua consuetudine feriati fuerunt, Auditores, venit ad me studiosus quidam, monetæ ut apparebat probioris, omniq; doctrinarum & virtutum colore non imbutus modo leviter, sed & probè tinctus, qui, cum perlustrandæ Germaniæ causâ iter ingressus esset, Noribergamq; Ocellum ejusdem pervenisset, celebritate hujus quoq; Academiæ permotus, ex urbe huc deflexit, & cum plerosq; Collegas salutasset, ad me quoq; visere voluit, & post satis longum, peramicum tamen colloquium manum meam libro suo, quem ad hujusmodi usum comitem itineris circumferebat, petijt, neq; difficulter inpetravit: Versanti verò mihi, ante inscriptionem librum, & pervolventi, obtulit sese in vestibulo ipso manus & Symbolum Fortissimi Imperatoris, Illustrissimiq; Auraicæ Principis MAURITII, quem non sine causa Martem aut Achillem Germanicum, Historici hujus seculi appellant, conceptum verbis Gallicis:

IN MAINTAINDRE, hoc est:

Ego manu tenebo.

Substiti enim verò in tam generosi pectoris, Heroiciq; animi Symbolo, quo innuere illum apparebat: Postquam Ordines Confæderatarum Belgicarum Provinciarum, salutem & libertatem suam, contra magnum Regem asserendam, virtuti ipsius commisissent, de indole filij, ex Divi Patris fide & rebus gestis conjecturam facientes, quando etiam ipse paternis vestigijs insistendo, immortalem gloriam exinde sibi peperisset, se deinceps quoq; ad extremum usq; vitæ articulum, & officij sui memorem, & gloriæ partæ acerrimum vindicem atq; assertorem fore. Substiti, inquam, & ex quo fonte tam nobile propositum hausturn esset, disquirere cepi. Levi autem indagine prægressa, ab ingenio veterum Romanorū, per longas annorum traduces manasse ac fluxisse pervidebam. His enim, cum Patre &

Fundatore urbis Romulo ex hamanis sublato, Julius Proculus enunciasse: Romulum primâ luce cœlo delapsum, repentè sese ipsi obvium dedisse, atq; in hæc verba compellasse: ABI PROCULE, NUNCIA ROMANIS: CŒLESTES ITA VELLE, UT MEA ROMA CAPUT ORBIS TERRARUM SIT: PROINDE REM MILITAREM COLANT, SCIANTQ;, ET ITA POSTERIS TRADANT: NULLAS OPES HUMANAS ARMIS ROMANIS RESISTERE POSSE: OMNES ROMANI VISI SUNT INTONARE ILLUD: JE MAINTAINDRE, certè in tantum accensi sunt militaris rei studijs, ut exinde orbis universi imperium totis animis devorarent, & decreta Numinum sibi firmiter manu tenenda persuaderent. Quibus autem institutis id maximè egerint, & id quod volebant consecuti sint, non dubito, quin gratum sit illis, qui ignorant, cognoscere, qui verò jam nôrunt, ijs nec molestum fore arbitror, si audiant collectim, quæ sparsim tradita didicere & veluti recognoscant. Unde cum pro more dicendum mihi aliquid esset, hoc tempore, eam potissimum materiam deligere volui, ut quando facundia tenere vos nequeo, materiæ splendore partim, partim varietate temporis hujus, usuram mihi emerear. Rogo ego vos Auditores omnium ordinum splendidissimi, ut quam ergà me benevolentiam frequentiâ vestrâ declarastis, eam dicturo benigna auscultatione quoq; testari velitis, certò vobis persuadentes, non minus me hujus beneficij quam temporis rationem habiturum.

Romani igitur Numinum illo effato veluti ebrij & infatuati accedente, temporibus Tarquinl, Capitis Toli invensione, quod caput Romæ non minus imperium & Principatum tum adsignabat, ubi militaribus studijs sese tradidissent, ante omnia fingendam sibi fortunam censuerunt, eâ quidem ratione, ut, sicut nullis secundis casibus efferrentur: ita nullis contrarijs aut adversis conciderent, invictos quin potius sese crederent, idq; penitus animis infixum atq, impressum haberent. Testis mihi Polybius *a)* hujus rei: qui cum narraret: Persea post relatam de Romanis victoriam pacem petijsse, impetrare autem non potuisse: subjungit: Est enim hoc perpetui moris Romanorum, quem à majoribus acceperunt, acceptis detrimentis, maximè pervicaces & hostibus se invictos ostendere, victoriâ verò partâ, maximè moderatos; quod pulcherrimum esse institutum nemo diffiteatur. Experimentum hujus rei *b)* dedere, clade accepta ab Hanni-

a) In excerpt. Legat. Exc. 69. b) Polyb. l. 3.

Digitized by Google

Hannibale in Hetruria ad lacum Thraſymenum, cujus cladis nuntius Romam cum allatus eſſet, magiſtratus propter calamitatis magnitudinem, rem neq; diſſimulandam neq; molliendam arbitrantes, populi concionem advocarunt. Ad quam circumfuſam, cum Prætor è Roſtris dicere cepiſſet: Magnâ, ô Cives! pugna victi ſumus: tanta repentè ſecuta eſt animorum conſternatio, ut ijs, qui utriq; interfuerant, prælio videlicet & concioni, multò tunc major clades accepta fuerit viſa, quam in ipsâ pugnâ: & meritò quidem: nam qui à longo tempore & rem, & verbum illud, quo ſe planè victos faterentur, ignoraverunt: tunc caſum iſtum neq; mediocriter neq; moderatè ferebant, ut auctor eſt idem Polybius. Quid de cannenſi clade dicam, qua ſociorum civiumq; ſuorum quinquaginta millia luxere Romani, quâq; major pars Italiæ, Atellani videlicet Calatini, Hirpini, Apulorum pars, Samnites, Brutij præterea atq; Lucani, Petellini, Surrentini, Tarentini, Metapontini, Crotonienſes, Locriq;, & Ciſalpini, omnes Galli, alijq; victoris fortunam ſecuti ſunt, cum ingruentem hoſtem intra viſcera imperij haberent, & penè ad mænia conſidentẽ viderent? an ibi animo defecêre? aut eò abjectionis ſeſe demiſere, ut fœdus pacemve hoſti proponerent? minimè verò: Sed atteſtante Plutarcho *a*) retentâ dignitate, non modò de ſervandâ urbè, ſed etiã de reparando exercitu cogitarunt, juniores ad arma cõciverunt, nec Siciliam Hiſpaniamq; neglexerunt: Quin tam elato, tamq; conſtanti animo civitas tunc fuit, ut nec captivos, cum redimere ab Annibale parvo liceret, vellet, immo ſenatus conſultò negaret, maluitq; ut vel interficerentur, vel extra Italiam venundarentur. Quicunq; fuga evaſerant, hos juſſit in Siciliam deportari, neq; in Italiam, dum cum Annibale eſſet debellatum, reportari. Illi, cum Marcellum poſtea à ſenatu miſſum frequens adijſſent, ſupplices atq; ad genua ejus procumbentes, honeſtumq; ordinem militandi poſtulaſſent, multo ejulatu lachrymisq; polliciti, re ipſa ſe oſtenſuros, infortunio potius aliquo ſuo, quam ignaviâ cladem illam acceptam fuiſſe: miseratus eos Marcellus, petijt per literas à Senatu, uti liceret ſibi legiones ſuas ex illis ſupplere. Quid ad iſta Senatus? Nequaquam videri Patribus, militibus ignavis aliquid Reip. rectè committi. Si omnino M. Claudio Marcello aliter videretur, uteretur ſanè ijs, dum ne quis eorum corona vel dono militari, virtutis ergò ab Imperatore donaretur. A quâ clade, antequam diſcedam, id tacere non poſſum, *b*) quod

a) *In Annib.* *b*) *Plutarchus in Fab. Max. & Liv. Dec. 3. l. 2. extremo.*

idem Senatus Conſuli Varroni, ex illâ clade & fugâ rebus fædiſſimé infeliciſſimeq; geſtis, comite univerſo populo, obviâ ad portas honoris cauſa proceſſit, Magiſtratusq; & Principes Senatus, in quibus Fabius quoq; Maximus fuit, ſilentio facto, laudaverunt eum, quod de Repub. à clade tantâ non deſperaviſſet, ſed adeſſet ad tractanda gubernacula ejus, & ad utendum legibus civibusq;, ut nondum deploratis. Hannibalis porrò Urbem petentis, & ad Collinam usq; portam progreſſi, uniusq; hoſtium Romanorum auſi, haſtam intra urbis muros conjicere, ut autor eſt Plinius, *a)* ſpes & vota minuere, partim magnæ, partim parvæ quædam res; magna illa, quod cum ipſe ad mœnia urbis Romæ armatus ſederet, milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ, ex urbe, aliâ portâ profectos audivit: Parva verò, quod per eos dies eum fortè agrum, in quo ipſe caſtra haberet, veniſſe, nihil ob id diminuto pretio, cognitum ex quodam captivo eſt. Id verò adeò ſuperbum ei viſum, indignumq; ejus ſoli, quod bello captum ipſe poſſideret, habere inventum Romæ emptorem: ut extemplò vocato præcone, tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc eſſent, juſſerit venire. Ipſe nihilominus ſex millia paſſuum ab urbe, ad Turiam fluvium caſtra retulit, ut autor eſt Livius *b)* Perſeus *c)* Philippi filius Macedo, cum meliorem partem hoſtium Romanorum fudiſſet, hoc eſt, Equitatum, quo ſe invictos gloriabantur: Equites quippe Romanis Principes juventutis, Equites ſeminarium Senatus, inde lecti in Patrum numerum Conſules, inde Imperatores creati: monitus, ut ſecundâ fortunâ ad conditionem honeſtæ pacis uteretur potius, quam ſpe vanâ evectus in caſum irrevocabilem ſe daret, ipſe etiam Romanæ virtutis non ignarus, legatos Pantauchum Balacri filium, & Medonem Beroœenſem, ad P. Licinium Craſſum Conſulem miſit, qui fœdus in easdem leges renovarent, quibus Philippus Pater ejus, pacem à T. Quinctio victore accepiſſet: Immò qui pacem peterent, vectigal, quantum Philippus pactus eſſet, daturum Perſea confirmarent, ceſſurum etiam urbibus, agris, locisq; quibus Philippus ceſſiſſet omnibus. Hæc tum victor petebat, quæ victi ſolent. Ad ea quid Romani? vicit videlicet hic quoq; Romana conſtantia: Reſponſum quippe, ita ab Romanis pacem dari, ſi de ſumma rerum, liberum Senatui permittat Rex, de ſe, deq; univerſa Macedonia ſtatuendi, jus. Quam ſuperbiam Perſe-

a) lib. 34. c. 6. b) lib. 6. Decad 3. c) Liv. Dec. 5. l. 2. Polyb. in Exc. Legat. Exc. 69.

Perſeus, ex fiducia quippe viriū ortā gnarus, magis ſuſpectare cepit, ideoq; per alios Legatos plura obtulit, ſed aliud reſpōſum aut mitius aufere nō valuit. Idē reſpōſum datū Pyrrho Epirotæ, *a*) q, ubi Romanū Conſulē Albinū (Levinū alij vocant) profligaſſet, caſtra Romanorū cepiſſet, ſocias civitates alienaſſet, agros latè vaſtaſſet, pacē tamē petendā à Romanis cenſuit; itaq; miſit Cyneā Legatū, q & primores privatim ad pacē inflecteret, & muneribus corrumperet, & à Senatu pacem peteret, additis blandimentis: Pyrrhū captos in prælio ſine pretio redditurum, atq; ad ſubjugandam Italiam operam ſuam Romanis commodaturum, pro his autem niſi amicitiam Romanorum, & Tarentinorum ſecuritatem nil poſtulare quidquam. Sed Cyneas privatim parum, publicè nihil impetravit: Neq; enim munera Pyrrhi, Romanorum quisquam acceptavit, reſponderunt potius omnes, etiam fœminæ: nam & illæ prenſabantur: Si pax publicè conveniſſet, ſuum etiam privatim ipſos promtum ſtudium & obſequium Regi præſtituros, à publico autem judicio recedere ſe nunquam poſſe. Senatus autem Appij Claudij Cæcij lecticâ in Curiam delati graviſſimâ oratione permotus, Cyneam dimiſit cum hoc reſponſo: Pyrrhum ubi ex Italiâ exceſſerit, poſſe eum ſocietatem & amicitiam populi Romani ambire, & ſuper eâ re Legatos mittere. Quam diu verò in armis fuerit, tam diu perſecuturos eum bello Romanos, etiamſi ſexcentos Albinos aut Levinos in fugam egerit. Qui Cyneas interrogatus à Pyrrho, quodnam ipſius judicium de Urbe & Senatu Romano eſſet? Reſpondit: Urbem ſibi templum viſum, Senatum autem tot Regum, quot Senatores eſſent, confeſſum. Atq; huc reſpexit Q. Cicero, cum Nervijs multum diſputantibus, unum hoc modo reſpondet: Non eſſe conſuetudinem Pop. Rom. ullam accipere ab hoſte armato conditionem: ſi ab armis diſcedere velint, ſe adjutore utantur, Legatosq; ad Cæſarem mittant, ſperare ſe, pro ejus juſtitia, quæ petierint, impetraturos. *b*) Memorabile admodum eſt, quod Tacitus *c*) narrat de Germanici clade in Oceano acceptâ, eum tamen adeò ſe repente collegiſſe, ut mox popularetur & exſcinderet non auſum congredi hoſtem, aut ſicubi reſtiterat, ſtatim pulſum nec umquam magis, ut ex captivis cognitum eſt, paventem. Quippe invictos, & nullis caſibus ſuperabiles Romanos prædicabant, qui perditâ claſſe, amiſſis armis, poſt conſtrata equorum viro-

a) *Plutarchus in Pyrrho.* *b*) *Cæſar. lib. 5. belli Gall. cap. 41.*
c) *2. Ann. cap. 25.*

virorumq; corporibus littora, eadem virtute, pari ferociâ & veluti aucti numero irrupissent. Gravioribus verbis increpuit Ovilius Calarius Ovij filius, Samnites imperitè jactantes : Habere se ad Furcas Caudinas victoriam non præclaram solum sed & perpetuam; cepisse enim eos non Romam, sicut ante Galli, sed quod bellicosius multò sit, Romanam virtutem ferociamq; : longè, inquit Ovilius aliter se res habet, silentium illud obstinatum sub jugum missorum Romanorum militum, fixiq; in terram oculi, & surdæ ad omnia solatia aures, intuendæq; lucis pudor ingentem molem irarum ex alto animo cientis indicia sunt, addiditq; : aut se Romana ingenia ignorare, aut silentium illud brevi, Samnitibus flebiles clamores gemitusq; excitaturum; Caudinæq; pacis aliquando Samnitibus, quam Romanis tristiorem memoriam fore : Nec defuit augurio eventus, ut apud Livium *a)* videre est.

Vidimus hactenus, Auditores, constantiam, infractosq; Romanorum in adversis animos, subjungamus nunc moderationem illorum & abstinentiam, quæ itidem à magnanimitate promanat, & cõsideremus, quam modestè Romani, quamvis in extremâ necessitate constituti, oblatis aliunde vel auxilijs, vel muneribut usi sint. Gerebant cum Carthaginensibus Romani bellum, insidente Italiam Hannibale, qui ad Thrasimenum lacum, ut superius audivimus, maximâ illos clade affecerat : Neapolitani, cum Romanos pecuniæ indigentes esse facilè animadverterent, aureæ pateræ ab illis quadraginta eximij ponderis in curiam illatæ sunt, & verba in hunc sensum facta : Scire se & mole, & mora belli, Romani populi ærarium exhauriri, & cum juxta pro urbibus agrisq; sociorum, ac pro capite atq; arce Italiæ, Urbe Romana atq; imperio bellum id geratur, æquum censuisse Neapolitanos, quod auri sibi, cum ad splendorem & ornatum, tum ad subsidia fortunæ à majoribus relictum foret, eo juvare populum Romanum, si quam opem in sese crederent, eodem studio fuisse oblaturos : gratum sibi Patres populumq; facturos, si omnes res Neapolitanorum suas duxissent, dignosq; judicaverint, à quibus donum, animo ac voluntate eorum, qui lubentes darent, quam re majus, ampliusq; acciperent. Quid ad hæc Romani ? Legatis, inquit Historicus, *b)* gratiæ actæ pro magnificentiâ eurâq;, patera, quæ põderis minimi fuit, accepta. Advenerant tum & Pesti Legati, aureas item pateras offerentes, ijs sicut Neapolitanis gratiæ actæ, aurũ prorsus

a) l. 9. Dec. 1. b) Liv. Dec. 3. l. 2.

ſus non acceptum. Viginti quinq; circiter pòſt annis, bellum ijdem Romani cum Antiocho gerebant maximo ſumptu longoq; temporis tractu, non defuere, qui ſubſidia atq; auxilia maximi momenti offerrent: imprimis tum Legati ab duobus Regibus, Philippo & Ptolomæo, illo Macedoniæ, hoc Ægypti Domino, Romam venerunt, pollicentes ad bellum auxilia, pecuniam & frumentum. Ab Ptolomæo etiam mille pondo auri, XX. millia pondo argenti allata: Nihil eſt acceptum, Gratiæ Regibus actæ, & cum uterq; ſe cum omnibus copijs in Ætoliam venturum, belloq; interfuturum polliceretur: Ptolomæo id remiſſum, Philippi Legatis reſponſum, gratum eum Senatui Populoq; Romano facturum, ſi M. Acilio Conſuli non defuiſſet *a*) Venerunt item à Carthaginienſibus & Maſaniſsâ Rege legati: Carthaginienſes tritici modium mille, hordei quinquaginta millia ad exercitum, dimidium ejus Romam apportaturos polliciti ſunt: id ab ſe ut Romani munus acciperent, petere ſe, & claſſem ſuorum ſuo ſumptu comparaturos, & ſtipendium, quod pluribus penſionibus in multos annos deberent, præſens omne daturos. Maſaniſſæ legati quingenta millia modiûm tritici, trecenta hordei ad exercitum in Græciam, Romam trecenta millia modiûm triciti, CC. quingenta hordei, equites quingentos, Elephantos 20. regem ad M. Acilium Conſulem miſſurum. De frumento utriſq; reſponſum, ita uſurum eo Pop. Romanum, ſi pretium acciperent. De claſſe Carthaginienſibus remiſſum, præterquam, ſi quid navium ex fœdere deberent. De pecuniâ ita reſponſum, nullam ante diem accepturos. Inſtitit his majorum ſuorum nunquam laudatis ſatis veſtigijs Germanicus Druſi Neronis filius: *b*) Cum enim duæ legiones, quas P. Vitellius Legatus ducebat, in terreſtri quodam itinere, intumeſcente Oceano, miſerabili clade acciſæ eſſent, & ad ſupplenda ea damna certarent Galliæ, Hiſpaniæ Italia, &, quod cuiq; promtum, arma, equos, aurum offerrent, laudato eorum ſtudio Germanicus armis modo & equis ad bellum ſumtis propriâ pecuniâ militem juvit. Ut verò Romani à ſociorum auxilijs abſtinentiſſimi continentiſſimiq; fuere, ita dedignabantur vel maximè munera ab hoſte accipere, multo minus ipſi hoſti mittere: Ideò cum Pharnaces, *c*) qui Pontum invito Cæſare tenebat, & Domitium Clavinum Legatum prælio fuderat, adventanti in Pontum Cæſari & injurias acceptas vindicaturo, placandi

a) *Liv. Dec. 4. l. 6.* *b*) *Tacit. 1. Anal. c. 70. & 71.* *c*) *A. Hirtius de bell. African. c. 12.*

causa auream coronam misisset, ea remissa est, denunciatumq; se. verè: Ponto confestim decederet, familiasq; Publicanorum remitteret, cæteraq; restitueret socijs civibusq; Romunis, quæ penes eum essent: si fecisset, jam tunc sibi mitteret munera ac dona, quæ, benè rebus gestis, imperatores ab amicis accipere consuevissent. Cui affine est & aliud eorundem factum. Saguntini *a)* socij & amici Pop. Romani, interceperant quosdam Carthaginienses, magnâ pecuniæ vi instructos, missos à Senatu Carthaginensi in Hispaniam, ad conducendum ibi militem. Eos interceptos, Romam Saguntini miserunt; Romani ipsis in custodiam missis, pecuniam hostilem attingere, & exeâ locupletari noluerunt, sed eam Saguntinis remiserunt, additis muneribus etiam alijs, & commodatis navibus, quæ domum Saguntinos referrent. I nunc, & hæc veterum Romanorum instituta, cum nostris moribus contende ac compara, & videbis ac deprehendes meras expilationes, deprædationes & latrocina, ubi levis aliquis metus belli ingruerit, aut hostis fortè se moverit solum, ubi nec socijs, nec amicis, nec subditis parcitur, sed sine missione, pecunijs acerbè per municipia conquirendis, parũ virium, invidiæ plurimum nobis addimus. *b)* Sed queri hæc licet, corrigere aut mutare non licet. Nos, postquam Romanos adversis ipsorum temporibus, tanquam in speculo contemplati sumus: nunc paucis eosdem describemus, quales fuerint rebus integris, & ubi nulla clades accepta.

Ac primum quidem, maximi in Romanis animi argumentum illud deputo, quod exercitus illorum, nullum fluvium aliter quam superinjecto ponte transire poterant. Docuit hoc me Civilis Gallorum Dux apud Tacitum, *c)* qui cum se Romanis inferiorem animadverteret, neq; oppidum Batavodurum armis tueri auderet, raptis quæ ferri poterant, cæteris injecto igni, in insulam concessit, gnarus deesse naves efficiendo ponti, neq; Exercitum Romanum aliter transmissurum. Apud eundem Tacitum *d)* Germanicus, transponendo militi dextras in terras ituro, plures dies efficiendis pontibus insumit, & paulò post *e)* idem Germanicus, nisi pontibus præsidijsq; impositis dare in discrimen legiones haud Imperatorium ratus, equitem vado Visurgis transmittit. Nec aliter Pætus *f)* Euphratem nisi ponte structo transmisit. Et Corbulo *g)* nunquam neglectam ejusdem fluminis ripam crebrioribus præsidijs insedit, ne ponti injiciendo impe-

a) Liv. Decad. 3. l. ult. b) Tacit. 3. Histor. c. 76. c) 5. Histor. c. 19. d) 2. Annal. c. 8. e) 2. Annal. c. 11. f) 15. Ann. c. 7. g) 15. Ann. c. 8.

Digitized by Google

impedimentum hoſtiles turmæ afferrent. Clariſsimè verò in hanc rem C. Julius Cæſar *a*) cum Rhenum tranſire decreviſſet; navibus autem tranſire, neq; ſatis tutum eſſe arbitraretur, neq; ſuæ, neq; Populi Romani dignitatis eſſe ſtatueret, quanquam ſumma difficultas faciundi pontis objiceretur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemq; flummis: tamen id ſibi contendendum, aut aliter non transducendum exercitum exiſtimabat. Alterum eſt, quod majeſtati eorum ac virtuti incongruum cenſerent, plures menſes, aut integros annos, in loci alicujus aut urbis obſidione perſiſtere. Unde pertinaciam Judæorum, qui ſe Hieroſolymis acerrimè tutabantur, perſpicientes, ad pugnandum verſi ſunt: neq; enim, inquit Tacitus, *b*) dignum videbatur Romanis, famem hoſtium operiri, hoc eſt, longâ obſidione, donec inediâ & fame compulſi in deditionem venirent, tempus terere. Tertium eſt, quod, ſicut ab hoſtibus, ut ſuprà cognovimus, munera non acceptabant: ita nec conſilia ab ijsdem capiebant, aut voluntati eorum morigerabantur. Illius exemplum apud Cæſarem *c*) habemus, Cum enim Ambiorix, Titurium ſub ſpecie amicitiæ moneret, ut maturè hybernis excederet, & ſuæ ac militum ſaluti conſuleret: magnam enim manum Germanorum conductam, Rhenum tranſiſſe, hanc affore biduo, neq; illi Titurium parem, tutum ſe iter per fines ſuos diſcedenti daturum, ut Cæſari pro meritis gratiam referat: Cenſebant aliqui, etiamſi ea ab hoſte dicerentur, non tamen temerè eſſe negligenda. Contra diſputabat Aurunculeius, nihil eſſe levius, nihil turpius, quam auctore hoſte de ſummis rebus capere conſilium. Alterius exemplum Livius *d*) ſuppeditat. Ubi cum Samnitium Legatus ſuperbè Romanis occentaret: Quid perplexè agimus? noſtra certamina, Romani, non verba legatorum, nec hominum quisquam diſceptator, ſed campus Campanus, in quo concurrendum eſt, & arma, & communis Mars belli decernet. Proinde inter Capuam Sueſſulamq;, caſtra caſtris conſeramus, & Samniſne an Romanus Imperio Italiam regat, decernamus: Legati Romanorum ſe non, quo hoſtis vocaſſet, ſed quo Imperatores ſui duxiſſent, ituros, maſculè reſponderunt, alioq; loco Samnites aggreſſi ſunt. Quantum magnanimitatis argumentum eſt, quod caſtra ſua neminem equo ingredi permitterent, ſed prius equo degredi juberent. Accidit id Tigrani Regum facilè ſuperbiſſimo &

a) *V. Bell. Gall. cap. 17. b*) *15. Annal. cap. 71. c*) *V. Bell. Gall. cap. 28. d*) *lib. 8.*

faſtuoſiſſimo, *a*) is enim ab Lucullo obtritus, quod mitem animo placidumq; Pompeium accepiſſet, præſidium in Regiâ accepit, atq; ipſe cum amicis & neceſſarijs ad deditionem faciendam perrexit. Ubi verò equo eſt ad caſtra advectus, præſto ei fuerunt duo Pompei lictores, ac deſcendere eũ ex equo pedibusq; ingredi juſſerunt. Neminẽ enim mortalium in caſtris Romanis umquam viſum, qui equo inſideret. Deniq; in movendis caſtris ſummo ſtudio cavebant, ne fugæ ſimilis videretur. Et nota eſt in hanc rem laudataq; C. Cæſaris *b*) prudentia: is enim cum à Pompeio maximam accepiſſet cladem, quamquam admodum perculſis militibus ſuis, unicè tamen id operam dedit, ut exiſtimationi ſuæ ſerviret: ideo primâ nocte ſauciorum & ægrorum habitâ ratione impedimenta omnia ſilentio ex caſtris Apolloniam præmittit, ac conquieſcere ante iter confectum vetuit, ijs una legio miſſa præſidio eſt: his explicitis reb⁹, duas in caſtris legiones retinuit, reliquas de quartâ vigiliâ compluribus portis eductas eodem itinere præmiſit, parvoq; ſpatio inte miſſo ut & militare inſtitutum ſervaretur, & quam ſeriſſimè ejus perfectio cognoſceretur, conclamari juſſit, ſtatimq; egreſſus & noviſſimum agmen ſubſecutus, celeriter à conſpectu caſtrorum diſceſſit. Atq; hæc in bello ferè. Illud verò & in bello & extra bellum ſtudioſiſſimè obſervatum, ut Romani duces nulli Regum quantumvis maximo, non etiam amico cederent, ſed potius honorem ſibi haberi vellent. Unde in Colloquio Corbulonis *c*) & Tiridatis Armenorum Regis, qui Vologeſis Parthorum Regis frater erat, Tiridates prior equo deſcendit. Et in colloquio Marti & Perſei Macedonum Regis prior fluvium Perſeus transmeavit: quam Hiſtoricus *d*) rem ita narrat. Poſtquam in conſpectu ſtarent Martius & Perſeus pauliſper internunciando cunctatio fuit, uter transgrederetur: aliquid alij regiæ majeſtati, aliquid alij Populi Romani nomini, cum præſertim Perſeus colloquium petijſſet, putabant deberi: Joco etiam cunctantem Perſea Martius movit, Minor, inquit, ad majorem & quod Philippo cognomen ipſi erat, filius ad patrem, ait, tranſeat: ſic perſuaſum Regi eſt. Qui idem Perſeus cum Epiſtolam ad Paulum Æmylium concepiſſet hac ſalutatione, Perſeus Rex Paulo Conſuli S. ſine reſponſo literas ei remiſit Paulus, ſtultitiam ignorantis fortunam ſuã tacitè exprobrans. Illũd quoq; moris Romanorum ducum, ut quoties ad exteras regiones

a) *Plutarch. in Pomp. b*) *3. belli Civilis c. 75. c*) *Tacit. 15. Annal. c. 28. d*) *Liv. Dec. 5. l. 2.*

nes proficiſcerentur, nullius reſpectu habito, faſces ſuaeq; dignitatis inſignia nunquam deponerent, quod inſtitutum cum C. Julius Cæſar in Ægypto ſequeretur, & è navi egreſſo faſces ante ferrentur: tumultus excitatus eſt ab Ægyptiorum quâ multitudine quâ exercitu, qui eo modo majeſtatem Regiam, cui ipſi ſuberant, minui prædicabant. Nec abnuere iſtam Reges reverentiam: Artabanus *a)* imperium adepto Caligula transgreſſus Euphratem aquilas & ſigna Romana Cæſarumq; imagines adorarat: Vologeſes Rex Parthorum, licet regnum invitis Romanis teneret, Cæſarisq; mandata, quibus Romam evocabatur, rideret, aliquando etiam Neroni reſcriberet: facilius illi longè eſſe tam latum mare tranſire, quam ſibi: tamen cum Tigranem *b)* Regem alienigenam Armeniæ impoſitum, fratre Tiridate pulſo, videret, ſpretumq; Arſacidarum faſtigium ultum ire vellet, ſcribit illum Hiſtoricus magnitudine Romanâ & continui fœderis reverentiâ deterritum. Parthorum etiam Legati, *c)* qui Meherdatem ſibi Româ Regem petebant, cum vireis ſuas Romanis æqualeis feciſſent, cedere ſe tamen ipſis per reverentiam dicunt. Subveniendum, inquiunt, ſocijs virium æmulis cedentibus per reverentiam. Et Phrahates *d)* itidem Parthorum Rex, quanquam depuliſſet exercitus ducesq; Romanos, cuncta tamen venerantium officia ad Augustum verterat, partemq; prolis Vononem firmandæ amicitiæ miſerat. Quibus omnibus accuratè penſiculatis, non veretur Anſibarijs querulantibus dicere apud Tacitum *e)* Auitus: patienda meliorum imperia, idq; Dijs, quos ipſi implorarent, placitum, ut arbitrium rerum penes Romanos maneret, quid darent cuiq;, quid adimerent, neq; alios judices, quàm ſe ipſos paterentur. Quod ante ipſum jam Manlius apud Livium *f)* dixerat, Romanorum eſſe regna augere, minuere, donare, adimere, & pòſt Nero Tiridati apud Dion. Ubi notari velim novum σχῆμα exſtruendæ potentiæ, quo uſi ſunt Romani: Animadvertentes enim ſapienter, tanto majorem imperandi gloriam penes eos eſſe, quanto ij nobilioribus aut illuſtrioribus imperent: Regibus à ſe ſuperatis aut ad obſequium ultrò verſis, non ſolum titulum & nomen regium, ſed & jura & dignitatem reliquere, aliquibus etiam auxere: ſed & illis, qui regio nomine carebant, illud cum inſignibus & omni poteſtate, ſic tamen ut in clientelâ Pop. Romani

 eſſent,

a) Sueton. in Calig. cap. 14. b) Tacit. 15. Annal. cap. 1. c) Tacit 12. Annal. cap. 10. d) Tacit. 2. Annal. ca. 1, e) lib. 13. Annal. cap. 56. f) Dec. 4. lib. 8, lib. 63.

Digitized by Google

essent, concesserunt. In eam rem exstat Epistola insignis Publij Scipionis, quam Polybio *a)* debemus, ad Prusiam Bithyniæ Regem, quem, cum Antiochus à societate Romanorum abstrahere vellet, monet eum Scipio amicè, ne Antiocho pareat: sed populo Romano adhæreat, quem demonstrat adeò non ademisse ulli antiquo & legitimo Regi dominationem suam, ut contrà nonnullos, qui Regiâ dignitate non erant ante, Reges esse jusserit, quorundam majestatem auxerit, amplificato multis partibus regno. Commemorat autem ibi Scipio Exempla ex Hispania, Indibilis & Colchæ: ex Africâ Masanissæ: ex Illyrico Pleurati, quos omnes ex tenuibus ac vilibus Dynastis, ut certi Reges ab omnibus agnoscerentur, populus Roman⁹ fecisset. Quod institutum superioribus annis, amicus noster ὁμαχαείτης, vir non tam corporis majestate, quam animi dotius illustris, Hippolytus à Collibus, Proceribus Poloniæ, cum de ducatu Prussiæ non alienando, aut in manus Sereniſſimorum Brandeburgicorum resignando consilia agitarent, ob oculos posuit, docuitq;, quantum gloriæ regno Poloniæ accessurum sit, si septemvirum creandis Imperatoribus Vasallum haberent, quod argumentum minimè surdis auribus acceptum fuit.

His igitur & similibus studijs atq; instituris, Auditores, Romani, quod ipsis dictum fuerat, manutenere ad laboarunt, cumq; urbem suam virtutum omnium domicilium & larem constituissent, omnẽ terram Oceani limbo circumdatam, & quidquid cœlo subjacet, penetrarunt suis triumfis, totiusq; universi imperium sibi vindicarunt, etiam invitâ & repugnante sæpè fortunâ, quam virtute suâ & magnitudine animi, sive etiam pervicaciâ quadam sibi obedientem fecere, & à tribus millibus exorsi, sexcentis annis nondum exactis, arma per orbem omnem, qua adiri potuit, aut notus fuit, circumtulere. Hæc veram quidem illam, at superbam Polybio vocem expressere: Romanos in omnibus suis operibus violentiâ maximâ usos, & quicquid semel propouerint, id necessariò fieri debere existimasse, nihil etiam eorum, quæ semel decreverint, non posse fieri putasse. *b)* His institutis si nos hodiè quoq; teneremur, si non Hispanicis & Lojoliticis artibus, & commodis nostris metiremur, si animis & voluntatibus conjungeremur, nec Cadmæorum instar fratrum, mutuis & adversis mucronibus concideremus: fortassis, sicut in possessionem

a) In Excerp. Legat. Exc. 22. b) Iulian. in Cæsaribus. In Oratione Cæsaris.

nem Monarchiæ Romanæ conceſſimus: ita in hæreditatem quoq; gloriæ & trophæorum perveniremur, aut etiam vetus illud nobis rurſum tribueretur: *Nullos mortalium, armis aut fide ante Germanos eſſe.* a) Nunc quia luxu fracti enervatiq; ſumus, quia inteſtinis lancinamur, & in modum Penthei alicujus diſcerpimur, diſtrahimurq; diſſenſionibus, quia deniq; exotica imperia domeſticis & legitimis præferimus, in vanum quærimus, quare tam malè nobiſcum agatur; quin miremur potius, quod vivimus adhuc & ſpiramus, quodq; ſervile jugum nondum cervicibus noſtris impoſitum gemimus. Non auribus amplius haurimus, aut famæ indicio cognoſcimus, ſed oculis ipſis uſurpamus, adeoq; viſus nobis renunciat, quæ in nos cudantur fata, quid moliantur, aut agant potius quintæ Monarchiæ architecti: Spectate hæc juvenes, & omem quidem DEUS prohibeat, cæterum in ea tempora nati eſtis, quibus firmare animum expedit, conſtantibus exemplis. Mihi quidem illud unicè in votis, ut maturè liceat libare Jovi Liberatori: Cui enim bono vita ſit ei, cui non tantum publica mala impendent, ſed & cujus honeſtis conatibus, in liberalis ingenuæq; juventutis commodis provehendis, innocentiſſimisq; ſtudijs, Barbaries & Calumnia omnibus modis inſidiantur.

a) *Tacit 13. Ann. c. 45.*

DIXI.

MICHAELIS PICCARTI

ORATIO IV.

THEOLOGIA ARISTOTELIS ET PLATONIS.

THeologiam duplicem eſſe, nemo ſanæ mentis negare poteſt. Illam naturalem appellare poſſumus, iſtam revelatam. Naturalem Theologiam appello notitiam de Deo rebusq; divinis illam, ad quam homo lumine naturæ, & acumine mentis ſuæ pervenire poteſt, ſine ullo Spiritus SSi. auxilio. De quâ Theologiâ loquitur Paulus Rom. 1. Alteram Theologiam patefectam appellamus, h. e. doctrinam de Deo

Deo & rebus divinis, enarratam nobis per Filium, qui erat in sinu Patris, ad quam luce naturali homo pertingere non potest. Hanc Christianam Theologiam, illam Philosophicam discriminis causâ deinceps dicemus. Atq; omissâ Christianâ Theologiâ, de Philosophicâ quædam loquemur. Cumq; inter Philosophos duo fuerint semper & omnibus retrò seculis celeberrimi laudatissimiq;, Aristoteles nimirum & Plato, 1. quid Aristoteles de Deo senserit, explicabimus, deinde Platonis de Deo placita subjungemus. Quæ tractatio minimè carebit usu: inprimis autem ostendet, quousq; vis & acumen rationis pertingere possit, & quomodo tandem ad lucem illam inaccessam oculos submittat. Primùm autem ex Aristotele videbimus, quid de notitiâ Dei censendum sit.

De notitiâ Dei.

Ut Deus omnium est notissimus, inquit Aristoteles, ita contrà omnium ignotissimus. Notissimus est suâ naturâ, ignotissimus nobis. Notissimus quod sit, ignotissimus quid sit. Notissimus est suâ naturâ, 1. quia est principium omnium rerum: principiorum autem hæc est indoles, ut sint per se nota. Deinde, quia est simplicissimum Ens & actus purissimus; talia autem notissima esse oportet: materia enim est causa contingentiæ & incertitudinis. Ignotissimus contra nobis est, quia nostræ mentis oculi habent se ad Deum, tanquam oculi vespertilionum ad jubar Solis inaccessum. *a)* Deinde, cum Deus sit omnis expers materiæ, non est sensibus objectus: omnis autem nostra cognitio à sensu incipit. Unde fluxit illud scitum Philosophorum: Nihil esse in intellectu nostro, quod non prius fuerit in sensu. Et præclarè noster Philosophus: *b)* De rebus divinis cognitio nostra perexigua est, quia scilicet res illæ longiùs à nobis absunt, sic ut sensu percipi nequeant. Quemadmodum verò amatæ puellæ partem corporis vel minimam nudam intuentes, magis delectamur, quàm si aliam non amatam toto corpore nudam conspiceremus; ita vel exilis de rebus divinis cognitio honoratior est, & majoris à nobis fit, quàm plena & perfecta rerum inferiorum scientia. Deum igitur ex sententiâ Aristotelis nemo novit ex quisitè, nisi Deus sit. Itaq; ex Aristotelis quoq; principijs contra Photinianos sic disputarem: Nemo Deum novit, nisi sit Deus. Christus autem se profitetur Deum nosse. Ipse igitur Deus sit oportet. Neq; effugium eorum valet: Christum ex revelatione nosse Deum. Aliter enim ipse de

de se

a) 2. Metaph. c. 2. t. 1. b) 1. De Part. Animal. 15.

ſe ad Philippum: Philippe, qui videt me, videt & Patrem; non credis, quòd Pater in me eſt, & ego in Patre ſum? Id quod Johannes eleganter extulit, cum inquit: Filius, qui eſt in ſinu Patris, revelavit nobis. Quibus verbis eruditè diſtinguit Apoſtolus, inter notitiam Dei, quæ eſt filij, & inter notitiam Dei noſtram. Nam Filius novit Deum, quia eſt in ſinu ejus, id eſt, quia eſt Deus; id quod Apoſtolus eleganter interpretatur, cum ait, Chriſtum eſſe characterem τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Nos autem Deum novimus ex revelatione filij. Cæterùm, quomodo nos luce naturæ ad Dei notitiam perveniamus, quæſtionis eſt. Eſt autem notitia illa duplex: an ſit, & quid ſit. Eſſe autem Deum, Ariſtoteles ſolius rationis beneficio evincit, id quod docebimus.

Deum eſſe, probatur ex Ariſtotele.

Deum eſſe, inquit Ariſtoteles, vel hinc perſpicuum eſt, quia videmus, omnia quæ moventur, ab alijs moveri: Inferiora v. g. per ſuperiora; elementa per corpora cœleſtia, in ipſis etiam elementis id, quod fortius eſt, movet id, quod debilius eſt; & in corporibus etiam cœleſtibus, inferiora à ſuperioribus aguntur. Atqui hæc res in infinitum produci non poteſt, ſed neceſſariò ponendum eſt aliquid primum movens. Cum enim omne quod movetur ab altero, ſit veluti inſtrumentum moventis, ſi primum movens nullum ſit, quæcunq; moventur, inſtrumenta erunt. Oportet autem ſi in infinitum procedat res, omnia hâc ratione eſſe inſtrumenta. Ridiculum autem eſt, etiam apud indoctos, inſtrumenta moveri, & non ab aliquo principali agente. Dabitur igitur primum aliquod movens, idq; nos Deum eſſe rectè dicimus.

Deum eſſe immobilem.

Ex eo, quod demonſtratum eſt, Deum eſſe primum movens, fluit irrefragabiliter, Deum per omnia eſſe immobilem. Si enim Deus moveretur, vel ab aliquo ſuperiori moveretur, vel à ſeipſo. Non à ſuperiori aliquo moveri poteſt; ſic enim aliquid eſſet Deo prius, quod eſt contra rationem primi moventis, & ſic Deus non eſſet primum movens, ſed illud, quod ipſum Deum quoq; moveret. Non à ſeipſo Deus movetur: nam ſi Deus à ſeipſo moveretur, poſſet id contingere dupliciter, ſic ut Deus ſecundum idem ſit movens & motum: vel ita, ut Deus ſecundum aliquam ſui partem moveat, ſecundum aliam moveatur. Neutro autem modo poteſt Deus dici moveri; primum quidem modum excludit hoc: Omne, quod movetur, in

tur, in quantum movetur, est in potentiâ ; quod autem movet, quatenus movet, est in actu. Si igitur Deus secundum idem moveat & moveatur, simul idem erit actu & potentiâ, quod repugnat superiori assertioni, quâ statuebatur: Deum esse actum purissimum, nullâ potentiæ contage aut infirmitate imperfectum. Quod si dicas: Deum secundum aliquam sui partem movere, secundum aliam autem moveri, non erit Deus primum movens per se, sed ratione solùm alicujus suæ partis. Inde ista absurda: Deum esse partibilem, & perinde compositum, non simplicem, rursus: Deo aliquid esse prius: respectus enim est posterior absoluto. Id sic deducitur : Si Deus primum movens dicitur respectu illo, quia movet secundum aliquam sui partem, erit aliud primum movens per se.

Deum esse æternum.

Progredimur nunc amplius, & ex Philosophia docemus: Deum æternum esse. Omne enim quod incipit esse, vel desinit aliquando esse, per motum aut mutationem hoc patitur. Ostensum autē est, quod Deus prorsus immutabilis sit & immobilis. Erit igitur æternus.

Deum necessariò esse.

Deducimus igitur & hoc: Deum esse necessariò. Omne enim quod possibile est esse & rursus non esse, mutabile sit oportet, sic ut à non esse mutetur ad esse, & ab esse mutetur ad non esse. Sed Deus est omninò immutabilis. Ergò non est possibile Deum esse, aut non esse. Quod autem non esse possibile non esse, id necessariò est, ut ostensum est in 1. post. c. 4. Rursus, omne id quod est possibile esse & nō esse, indiget aliquo alio, ꝙ deducat ipsum ad esse aut nō esse, quia possibile tale, quantū est in se, habet se æqualiter ad utrumq; ; quod autem facit alterum esse, id prius eo sit oportet. Deo verò nihil prius. Ergò non est possibile ipsum esse & nō esse, sed necesse est eum esse.

Deum semper esse.

Quanquam jam ante ostensum est, Deum esse æternum, tamen ex hâc assertione, quâ disputavimus Deum esse necessariò, sequitur manifestè etiam, quod Deus sit semper. Quod enim necesse est esse, semper est, quia quod non possibile est non esse, id impossibile est non esse, & ita nunquam non est. Necesse est autem Deum esse: nunquam igitur non est, & per consequens semper est. Rursus, omne quod non semper fuit, si incipiat esse, indiget aliquo, quod eī sit causa essendi: Nihil enim seipsum educit de non esse in esse, id est, de potentiâ in actum. Atqui Deo nulla potest esse causa essendi superior;

perior; cum ipſe ſit princeps rerum omnium cauſa; cum item Deo nihil ſit prius: cauſa autem cauſato ſemper prior. Neceſſe eſt igitur Deum ſemper fuiſſe. Amplius, quod convenit alicui non ex causà extrinſecâ, id convenit ei per ſe. Eſſe non convenit Deo ex causà aliquâ extrinſecâ: quia illa cauſa eſſet Deo prior. Convenit igitur ei eſſe per ſeipſum. Sed ea, quæ per ſeipſa ſunt, ſicut ſemper ſunt: ita ex neceſſitate ſunt. Neceſſe quoque eſt ex Philoſophiæ Principijs, Deos non eſſe multos, ſed unum. Id quod doceo.

Neceſſe eſt dicere: Deum eſſe unum.

Nam ſi ſint multi Dij, aut uno plures, illi vel æquivocè erunt Dij, vel univocè ſeu συνωνύμως. Æquivocè nihil obſtat plures dici Deos: ſic enim quicunq; alteri benefacit, quia Dei opera imitatur, Deus ab eodem appellari poteſt. Sed hoc non eſt ad propoſitum. Si autem univocè plures Dij ſtatuantur, oportet ut iſti plures vel conveniant in genere, vel in ſpecie: Deus autem neq; genus eſt, neq; ſpecies, alàs plura ſub ſe contineret. Impoſſibile igitur eſt plures eſſe Deos. Si præterea Dij plures eſſent, eſſet aliquod commune, quod eſſet principium individuationis, adeoq; conſtitueret ſingulos iſtos Deos: quod ſi hoc, ipſis Dijs aliquid eſſet prius, ἄπαν: item aliquid potentius, ἀδύνατον: Aliquid ipſis cauſa eſſendi: quod enim dat exiſtere, dat eſſe: eſſe enim ſequitur exiſtere, ἀσύμπτωτον.

Impoſſibile eſſe: Deum eſſe corpus.

Hactenus Ariſtoteles de Deo, hoc eſt, quod ad ipſius eſſe: niſi velis & hoc pertinere ad eſſe Dei, quod cenſuit Ariſtoteles: impoſſibile eſſe Deum eſſe corpus. Ratione utitur hàc: omnis diviſio arguit compoſitionem, compoſitio repugnat ſimplicitati, repugnat æternitati: Nam quod compoſitum eſt, diſſolvi neceſſe eſt. Diviſio autem quid eſt aliud, quàm via ad interitum? Jam omnis magnitudo eſt dividua, & quo plures habet dimenſiones magnitudo, eò magis eſt dividua. Sunt autem magnitudines tres, longitudo latitudinis expers, quæ aliàs dicitur linea: Eſt alia longitudo cum latitudine, quæ uno verbo ſuperficies: Eſt deniq; magnitudo, quæ præter longitudinem & latitudinẽ, profunditatẽ quoq; habet, adeoq; trinam dimenſionem. Et hæc corpus dicitur. Si igitur ſtatuas Deum eſſe corpus, dividuum ſtatues, & quidem ſecundum trinam dimenſionem dividuũ: τὸ δὲ θεῖον ἀμερές. Huc uſq; Ariſtoteles noſter lumine naturæ pervenit. Quod ſi quis urgeat, potuiſſe Philoſophum ulterius pervenire, ſicut hodieq; urgent Philoſophi quidam Chriſtiani, & ex principijs ſuis

hoc quoq; deducere, uti filium quoq; aliquem Dei agnoſceret. Ilis ego tùm reſpondebo, cum prius fundamentum illorum propoſuero. In libris, inquiunt, de generatione animalium diſputat Philoſophus, tùm quodq; animal pefectè poſſe dici, cum poſſit ſibi ſimile procreare. Hinc, dicunt, Ariſtoteles potuiſſet colligere: Ergò non potuit Deus perfectiſſimus dici, niſi Deum aliquem ſibi ſimilem genuiſſet, & ſic ipſa Philoſophia Deum quoq; filium aliquem ὁμοούσιον ejusdem ſubſtantiæ aſſignat. Sic illi. Verùm eſt hæc horrenda μετάβασις de genere in genus. Deinde ἀπαιδευσία, hoc eſt, ἄγνοια τῶν δογμάτων & φιλοσοφίας. Quod ut perſpicuum fiat, quædam ex interiori Ariſtotelis Philoſophia repetenda ſunt. Cum Philoſophus noſter 12. Metaph. conſtituiſſet Ens aliquod primum & immobile, movens tamen omnia alia: etiam docuiſſet, in omni rerum ordine cauſam eſſe effectu nobiliorem, cum Deus primum movens conſtituit, effectum conſtituere non potuit, ſed cauſam. Quæritur igitur, cum ſit cauſa & primum movens, utrum ſit cauſa efficiens, an finis? harum enim duarum cauſarum eſt movere: utraq; enim à Philoſopho deſcribitur ὅθεν ἀρχὴ τῆς κινήσεως. Jam non potuit ſtatuere Deum efficiens, argumentum ejus hoc eſt: Nullum efficiens agit temerè, ſed propter certum aliquem finem, quem finem appetit propter indigentiam, ſic, ut ſi fine illo potiretur, non ageret, & ceſſet agere, quando conſecutum eſt finem. Hæc omnia arguunt perfectionem finis, & contra imperfectionem efficientis. Perfectionem finis, quia ipſius causâ ſuſcipitur actio, & ipſo adepto ceſſat actio. Finis ergò ſuâ bonitate movet efficiens, & quanquam ſit ultimus in obtentione, primus tamen eſt in intentione. 2. movet media ducentia ad finem: præſcribit enim illis 1. menſuram & modum. 2. datillis amabilitatem. Sic actiones, moleſtas quamvis, ſubimus tamen libenter, non quia actiones ſunt, ſed quia καλὸν & τέλος facit illas quoq; nobis gratas & optabiles. Imperfectio contra efficientis ex eo liquet, quod appetitu finis, teſtatur ſe carere illo bono, quod in ipſo eſt, & quanquam perfectum ſit, appetitu tamen illo indicat, ſe perfectius poſſe fieri, aut quovis modo perfici, ſi fine illo potiatur. Hæc ſi expenderis, qua ratione potes ſtatuere Deum efficiens: quid enim eſt Deo melius, cujus reſpectu agat? aut cujus rei acceſſione perfici Deus magis poteſt? aut quo indiget Deus? Si Ariſtoteles 10. Nicom. c. 8. negat virtutes practicas in Deum cadere, quod perficiant eum, in quem cadant: Deus autem nullâ re perfici poſſit, 10. Eth. quomodo

eum

eum agere aliquid, propter melius aliquod dicamus? Manet igitur, apud Aristotelem Deum esse finem, id quod diserte disputat 12. Metaph. Appetunt igitur omnia in hoc universo, Deum ut bonum, ejusq; perfectionem, qua licet, æmulantur, Cumq; vita Dei sit æternitas. 1. de Cœl. t. 100. æternitatem appetunt, quæcunq; possunt, qua licet. Cumq; hæc inferiora durare æternum non possint; quod enim generatũ semel est, & corruptibile generarum est, & corrumpatur aliquando necesse est, nisi vis aliqua superior, naturalem rationem adeoq; corruptionem sistat : Ideò propagatione speciei, æternitatem primi Entis æmulantur. Propagatio autem speciei generatione fit. Igitur quod Aristoteles asserit, perfectionis esse sibi simile generare, id ad vegetabilia pertinet, & præcipuè ad animalia, sicut ipse se explicat 2. de generatione animal. cap. 1. Ἀ Φιλοσόφως igitur illud Aristotelis effatum ad Deum trahitur, cujus summa perfectio non admittit pluralitatem: non enim possunt esse duo perfectissimi, sed unus. Dicendum nunc quoq; esset de mundo, & quis mundi ad Deum respectus? unde ille ortus? an verò æternus? quomodo extiterit? quomodo conservetur ? Sed hæc in aliud tempus seponemus. Vidimus, quid Deus Aristoteli : videamus deinceps, quid idem Deus Platoni.

Platonis sententia de Deo.

Deum esse, Plato censuit impium dubitare; itaq; quæstio an sit facessat. Tribuit autem Deo varia, quibus ipsius essentiam adumbrare conatus est. Ante omnia autem tribuit illi tria: unum, bonum, pulchrum; neq; dicebat : Deus est unus, bonus, aut pulcher, sed Deus est ipsum unum, αὐτὸ ἓν, αὐτάγαθον, ipsum pulchrum, αὐτὸ καλὸν ipsum bonum. Unum dicebat esse Deum, tanquam caput rerum, à quo tanquam fonte omnia, & in quem tanquam fontem omnia, & per quem tanquam fontem omnia. Itaq; Deus Platoni principium & finis. Bonum appellabat Deum, tanquam medium : sic, ut unum in Deo imperij & regiminis nota esset, Bonum autem essentiæ. Pulchrum dicebat in Deo esse extremum, nimirum esse actum quendam boni, splendorem boni, diffundentem se extra, & vocantem omnia ad hoc bonum, ejusq; participationem ; unde & τῷ καλῷ, pulchro, nomen ἀπὸ τοῦ καλεῖν, à vocando & invitando. Unde Aristoteles etiam quærenti, quare id, quod pulchrum esset, appeteremus? respondendum putabat, quæstionem illam ejus esse, qui mente careret, quod scilicet natura pulchrum ad se alliciat. Hæc est

faſtuoſiſſimo, *a*) is enim ab Lucullo obtritus, quod mitem animo placidumq; Pompeium accepiſſet, præſidium in Regiâ accepit, atq; ipſe cum amicis & neceſſarijs ad deditionem faciendam perrexit. Ubi verò equo eſt ad caſtra advectus, præſto ei fuerunt duo Pompei lictores, ac deſcendere eũ ex equo pedibusq; ingredi juſſerunt. Neminẽ enim mortalium in caſtris Romanis umquam viſum, qui equo inſideret. Deniq; in movendis caſtris ſummo ſtudio cavebant, ne fugæ ſimilis videretur. Et nota eſt in hanc rem laudataq; C. Cæſaris *b*) prudentia: is enim cum à Pompeio maximam accepiſſet cladem, quamquam admodum perculſis militibus ſuis, unicè tamen id operam dedit, ut exiſtimationi ſuæ ſerviret: ideo primâ nocte ſauciorum & ægrorum habitâ ratione impedimenta omnia ſilentio ex caſtris Apolloniam præmittit, ac conquieſcere ante iter confectum vetuit, ijs una legio miſſa præſidio eſt: his explicitis reb⁹, duas in caſtris legiones retinuit, reliquas de quartâ vigiliâ compluribus portis eductas eodem itinere præmiſit, parvoq; ſpatio inte miſſo ut & militare inſtitutum ſervaretur, & quam ſeriſſimè ejus perfectio cognoſceretur, conclamari juſſit, ſtatimq; egreſſus & noviſſimum agmen ſubſecutus, celeriter à conſpectu caſtrorum diſceſſit. Atq; hæc in bello ferè. Illud verò & in bello & extra bellum ſtudioſiſſimè obſervatum, ut Romani duces nulli Regum quantumvis maximo, non etiam amico cederent, ſed potius honorem ſibi haberi vellent. Unde in Colloquio Corbulonis *c*) & Tiridatis Armenorum Regis, qui Vologeſis Parthorum Regis frater erat, Tiridates prior equo deſcendit. Et in colloquio Martii & Perſei Macedonum Regis prior fluvium Perſeus transmeavit: quam Hiſtoricus *d*) rem ita narrat. Poſtquam in conſpectu ſtarent Martius & Perſeus paulliſper internunciando cunctatio fuit, uter transgrederetur: aliquid alij regiæ majeſtati, aliquid alij Populi Romani nomini, cum præſertim Perſeus colloquium petijſſet, putabant deberi: Joco etiam cunctantem Perſea Martius movit, Minor, inquit, ad majorem & quod Philippo cognomen ipſi erat, filius ad patrem, ait, tranſeat: ſic perſuaſum Regi eſt. Qui idem Perſeus cum Epiſtolam ad Paulum Æmylium concepiſſet hac ſalutatione, Perſeus Rex Paulo Conſuli S. ſine reſponſo literas ei remiſit Paulus, ſtultitiam ignorantis fortunam ſuã tacitè exprobrans. Illũd quoq; moris Romanorum ducum, ut quoties ad exteras regiones

a) *Plutarch. in Pomp.* *b*) *3. belli Civilis c. 75.* *c*) *Tacit. 15. Annal. c. 28.* *d*) *Liv. Dec. 5. l. 2.*

nes proficiſcerentur, nullius reſpectu habito, faſces ſuæq; dignitatis inſignia nunquam deponerent, quod inſtitutum cum C. Julius Cæſar in Ægypto ſequeretur, & è navi egreſſo faſces ante ferrentur: tumultus excitatus eſt ab Ægyptiorum quâ multitudine quâ exercitu, qui eo modo majeſtatem Regiam, cui ipſi ſuberant, minui prædicabant. Nec abnuere iſtam Reges reverentiam: Artabanus *a)* imperium adepto Caligula transgreſſus Euphratem aquilas & ſigna Romana Cæſarumq; imagines adorarat: Vologeſes Rex Parthorum, licet regnum invitis Romanis teneret, Cæſarisq; mandata, quibus Romam evocabatur, rideret, aliquando etiam Neroni reſcriberet: facilius illi longè eſſe tam latum mare tranſire, quam ſibi: tamen cum Tigranem *b)* Regem alienigenam Armeniæ impoſitum, fratre Tiridate pulſo, videret, ſpretumq; Arſacidarum faſtigium ultum ire vellet, ſcribit illum Hiſtoricus magnitudine Romanâ & continui fœderis reverentiâ deterritum. Parthorum etiam Legati, *c)* qui Meherdatem ſibi Româ Regem petebant, cum vireis ſuas Romanis æqualeis feciſſent, cedere ſe tamen ipſis per reverentiam dicunt. Subveniendum, inquiunt, ſocijs virium æmulis cedentibus per reverentiam. Et Phrahates *d)* itidem Parthorum Rex, quanquam depuliſſet exercitus ducesq; Romanos, cuncta tamen venerantium officia ad Augustum verterat, partemq; prolis Vononem firmandæ amicitiæ miſerat. Quibus omnibus accuratè penſiculatis, non veretur Anſibarijs querulantibus dicere apud Tacitum *e)* Auitus: patienda meliorum imperia, idq; Dijs, quos ipſi implorarent, placitum, ut arbitrium rerum penes Romanos maneret, quid darent cuiq;, quid adimerent, neq; alios judices, quàm ſe ipſos paterentur. Quod ante ipſum jam Manlius apud Livium *f)* dixerat, Romanorum eſſe regna augere, minuere, donare, adimere, & pòſt Nero Tiridati apud Dion. Ubi notari velim novum σχῆμα exſtruendæ potentiæ, quo uſi ſunt Romani: Animadvertentes enim ſapienter, tanto majorem imperandi gloriam penes eos eſſe, quanto ij nobilioribus aut illuſtrioribus imperent: Regibus à ſe ſuperatis aut ad obſequium ultrò verſis, non ſolum titulum & nomen regium, ſed & jura & dignitatem reliquere, aliquibus etiam auxere: ſed & illis, qui regio nomine carebant, illud cum inſignibus & omni poteſtate, ſic tamen ut in clientelâ Pop. Romani

 eſſent,

a) Sueton. in Calig. cap. 14. b) Tacit. 15. Annal. cap. 1. c) Tacit 12. Annal. cap. 10. d) Tacit. 2. Annal. ca. 1. e) lib. 13. Annal. cap. 56. f) Dec. 4. lib. 8, lib. 63.

eſſent, conceſſerunt. In eam rem exſtat Epiſtola inſignis Publij Scipionis, quam Polybio *a*) debemus, ad Pruſiam Bithyniæ Regem, quem, cum Antiochus à ſocietate Romanorum abſtrahere vellet, monet eum Scipio amicè, ne Antiocho pareat: ſed populo Romano adhæreat, quem demonſtrat adeò non ademiſſe ulli antiquo & legitimo Regi dominationem ſuam, ut contrà nonnullos, qui Regiâ dignitate non erant ante, Reges eſſe juſſerit, quorundam majeſtatem auxerit, ampliſicato multis partibus regno. Commemorat autem ibi Scipio Exempla ex Hiſpania, Indibilis & Colchæ: ex Africâ Maſaniſſæ: ex Illyrico Pleurati, quos omnes ex tenuibus ac vilibus Dynaſtis, ut certi Reges ab omnibus agnoſcerentur, populus Romanus feciſſet. Quod inſtitutum ſuperioribus annis, amicus noſter ὁ μακαρίτης, vir non tam corporis majeſtate, quam animi dotius illuſtris, Hippolytus à Collibus, Proceribus Poloniæ, cum de ducatu Pruſſiæ non alienando, aut in manus Sereniſſimorum Brandeburgicorum reſignando conſilia agitarent, ob oculos poſuit, docuitq; quantum gloriæ regno Poloniæ acceſſurum ſit, ſi ſeptemvirum creandis Imperatoribus Vaſallum haberent, quod argumentum minimè ſurdis auribus acceptum fuit.

His igitur & ſimilibus ſtudijs atq; inſtituris, Auditores, Romani, quod ipſis dictum fuerat, manutenere adlaboarunt, cumq; urbem ſuam virtutum omnium domicilium & larem conſtituiſſent, omnẽ terram Oceani limbo circumdatam, & quidquid cœlo ſubjacet, penetrarunt ſuis triumfis, totiusq; univerſi imperium ſibi vindicarunt, etiam invitâ & repugnante ſæpè fortunâ, quam virtute ſuâ & magnitudine animi, ſive etiam pervicaciâ quadam ſibi obedientem fecere, & à tribus millibus exorſi, ſexcentis annis nondum exactis, arma per orbem omnem, qua adiri potuit, aut notus fuit, circumtulere. Hæc veram quidem illam, at ſuperbam Polybio vocem expreſſere: Romanos in omnibus ſuis operibus violentiâ maximâ uſos, & quicquid ſemel propouerint, id neceſſariò fieri debere exiſtimaſſe, nihil etiam eorum, quæ ſemel decreverint, non poſſe fieri putaſſe. *b*) His inſtitutis ſi nos hodiè quoq; teneremur, ſi non Hiſpanicis & Lojoliticis artibus, & commodis noſtris metiremur, ſi animis & voluntatibus conjungeremur, nec Cadmæorum inſtar fratrum, mutuis & adverſis mucronibus concideremus: fortaſſis, ſicut in poſſeſſionem

a) *In Excerp. Legat. Exc. 22. b*) *Iulian. in Cæſaribus. In Oratione Cæſaris.*

nem Monarchiæ Romanæ conceſſimus: ita in hæreditatem quoq; gloriæ & trophæorum perveniremur, aut etiam vetus illud nobis rurſum tribueretur: *Nullos mortalium, armis aut fide ante Germanos eſſe.* a) Nunc quia luxu fracti enervatiq; ſumus, quia inteſtinis lancinamur, & in modum Penthei alicujus diſcerpimur, diſtrahimurq; diſſenſionibus, quia deniq; exotica imperia domeſticis & legitimis præferimus, in vanum quærimus, quare tam malè nobiſcum agatur; quin miremur potius, quod vivimus adhuc & ſpiramus, quodq; ſervile jugum nondum cervicibus noſtris impoſitum gemimus. Non auribus amplius haurimus, aut famæ indicio cognoſcimus, ſed oculis ipſis uſurpamus, adeoq; viſus nobis renunciat, quæ in nos cudantur fata, quid moliantur, aut agant potius quintæ Monarchiæ architecti: Spectate hæc juvenes, & omem quidem DEUS prohibeat, cæterum in ea tempora nati eſtis, quibus firmare animum expedit, conſtantibus exemplis. Mihi quidem illud unicè in votis, ut maturè liceat libare Jovi Liberatori: Cui enim bono vita ſit ei, cui non tantum publica mala impendent, ſed & cujus hoceſtis conatibus, in liberalis ingenuæq; juventutis commodis provehendis, innocentiſſimiſq; ſtudijs, Barbaries & Calumnia omnibus modis inſidiantur.

a) *Tacit 13. Ann. c. 45.*

DIXI.

MICHAELIS PICCARTI

ORATIO IV.

THEOLOGIA ARISTOTELIS ET PLATONIS.

THeologiam duplicem eſſe, nemo ſanæ mentis negare poteſt. Illam naturalem appellare poſſumus, iſtam revelatam. Naturalem Theologiam appello notitiam de Deo rebusq; divinis illam, ad quam homo lumine naturæ, & acumine mentis ſuæ pervenire poteſt, ſine ullo Spiritus SSi. auxilio. De quâ Theologiâ loquitur Paulus Rom. 1. Alteram Theologiam patefectam appellamus, h. e. doctrinam de Deo

Deo & rebus divinis, enarratam nobis per Filium, qui erat in sinu Patris, ad quam luce naturali homo pertingere non potest. Hanc Christianam Theologiam, illam Philosophicam discriminis causâ deinceps dicemus. Atq; omissâ Christianâ Theologiâ, de Philosophicâ quædam loquemur. Cumq; inter Philosophos duo fuerint semper & omnibus retrò seculis celeberrimi laudatissimiq; , Aristoteles nimirum & Plato, 1. quid Aristoteles de Deo senserit, explicabimus, deinde Platonis de Deo placita subjungemus. Quæ tractatio minimè carebit usu: inprimis autem ostendet, quousq; vis & acumen rationis pertingere possit, & quomodo tandem ad lucem illam inaccessam oculos submittat. Primùm autem ex Aristotele videbimus, quid de notitiâ Dei censendum sit.

De notitiâ Dei.

Ut Deus omnium est notissimus, inquit Aristoteles, ita contrà omnium ignotissimus. Notissimus est suâ naturâ, ignotissimus nobis. Notissimus quod sit, ignotissimus quid sit. Notissimus est suâ naturâ, 1. quia est principium omnium rerum: principiorum autem hæc est indoles, ut sint per se nota. Deinde, quia est simplicissimum Ens & actus purissimus; talia autem notissima esse oportet: materia enim est causa contingentiæ & incertitudinis. Ignotissimus contra nobis est, quia nostræ mentis oculi habent se ad Deum, tanquam oculi vespertilionum ad jubar Solis inaccessum. *a)* Deinde, cum Deus sit omnis expers materiæ, non est sensibus objectus: omnis autem nostra cognitio à sensu incipit. Unde fluxit illud scitum Philosophorum: Nihil esse in intellectu nostro, quod non prius fuerit in sensu. Et præclarè noster Philosophus: *b)* De rebus divinis cognitio nostra perexigua est, quia scilicet res illæ longiùs à nobis absunt, sic ut sensu percipi nequeant. Quemadmodum verò amatæ puellæ partem corporis vel minimam nudam intuentes, magis delectamur, quàm si aliam non amatam toto corpore nudam conspiceremus; ita vel exilis de rebus divinis cognitio honoratior est, & majoris à nobis fit, quàm plena & perfecta rerum inferiorum scientia. Deum igitur ex sententiâ Aristotelis nemo novit exquisitè, nisi Deus sit. Itaq; ex Aristotelis quoq; principijs contra Photinianos sic disputarem: Nemo Deum novit, nisi sit Deus. Christus autem se profitetur Deum nosse. Ipse igitur Deus sit oportet. Neq; effugium eorum valet: Christum ex revelatione nosse Deum. Aliter enim ipse de se

a) 2. Metaph. c. 1. t. 1. b) 1. De Part. Animal. 15.

ſe ad Philippum: Philippe, qui videt me, videt & Patrem; non credis, quòd Pater in me eſt, & ego in Patre ſum? Id quod Johannes eleganter extulit, cum inquit: Filius, qui eſt in ſinu Patris, revelavit nobis. Quibus verbis eruditè diſtinguit Apoſtolus, inter notitiam Dei, quæ eſt filij, & inter notitiam Dei noſtram. Nam Filius novit Deum, quia eſt in ſinu ejus, id eſt, quia eſt Deus; id quod Apoſtolus eleganter interpretatur, cum ait, Chriſtum eſſe characterem τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Nos autem Deum novimus ex revelatione filij. Cæterùm, quomodo nos luce naturæ ad Dei notitiam perveniamus, quæſtionis eſt. Eſt autem notitia illa duplex: an ſit, & quid ſit. Eſſe autem Deum, Ariſtoteles ſolius rationis beneficio evincit, id quod docebimus.

Deum eſſe, probatur ex Ariſtotele.

Deum eſſe, inquit Ariſtoteles, vel hinc perſpicuum eſt, quia videmus, omnia quæ moventur, ab alijs moveri: Inferiora v. g. per ſuperiora; elementa per corpora cœleſtia, in ipſis etiam elementis id, quod fortius eſt, movet id, quod debilius eſt; & in corporibus etiam cœleſtibus, inferiora à ſuperioribus aguntur. Atqui hæc res in infinitum produci non poteſt, ſed neceſſariò ponendum eſt aliquid primum movens. Cum enim omne quod movetur ab altero, ſit veluti inſtrumentum moventis, ſi primum movens nullum ſit, quæcunq; moventur, inſtrumenta erunt. Oportet autem ſi in infinitum procedat res, omnia hâc ratione eſſe inſtrumenta. Ridiculum autem eſt, etiam apud indoctos, inſtrumenta moveri, & non ab aliquo principali agente. Dabitur igitur primum aliquod movens, idq; nos Deum eſſe rectè dicimus.

Deum eſſe immobilem.

Ex eo, quod demonſtratum eſt, Deum eſſe primum movens, fluit irrefragabiliter, Deum per omnia eſſe immobilem. Si enim Deus moveretur, vel ab aliquo ſuperiori moveretur, vel à ſeipſo. Non à ſuperiori aliquo moveri poteſt; ſic enim aliquid eſſet Deo prius, quod eſt contra rationem primi moventis, & ſic Deus non eſſet primum movens, ſed illud, quod ipſum Deum quoq; moveret. Non à ſeipſo Deus movetur: nam ſi Deus à ſeipſo moveretur, poſſet id contingere dupliciter, ſic ut Deus ſecundum idem ſit movens & motum: vel ita, ut Deus ſecundum aliquam ſui partem moveat, ſecundum aliam moveatur. Neutro autem modo poteſt Deus dici moveri; primum quidem modum excludit hoc: Omne, quod movetur, in

tur, in quantum movetur, est in potentiâ; quod autem movet, quatenus movet, est in actu. Si igitur Deus secundum idem moveat & moveatur, simul idem erit actu & potentiâ, quod repugnat superiori assertioni, quâ statuebatur: Deum esse actum purissimum, nullâ potentiæ contage aut infirmitate imperfectum. Quod si dicas: Deum secundum aliquam sui partem movere, secundum aliam autem moveri, non erit Deus primum movens per se, sed ratione solùm alicujus suæ partis. Inde ista absurda: Deum esse partibilem, & perinde compositum, non simplicem, rursus: Deo aliquid esse prius: respectus enim est posterior absoluto. Id sic deducitur: Si Deus primum movens dicitur respectu illo, quia movet secundum aliquam sui partem, erit aliud primum movens per se.

Deum esse æternum.

Progredimur nunc amplius, & ex Philosophia docemus: Deum æternum esse. Omne enim quod incipit esse, vel desinit aliquando esse, per motum aut mutationem hoc patitur. Ostensum autē est, quod Deus prorsus immutabilis sit & immobilis. Erit igitur æternus.

Deum necessariò esse.

Deducimus igitur & hoc: Deum esse necessariò. Omne enim quod possibile est esse & rursus non esse, mutabile sit oportet, sic ut à non esse mutetur ad esse, & ab esse mutetur ad non esse. Sed Deus est omninò immutabilis. Ergò non est possibile Deum esse, aut non esse. Quod autem non esse possibile non esse, id necessariò est, ut ostensum est in 1. post. c. 4. Rursus, omne id quod est possibile esse & nō esse, indiget aliquo alio, ꝙ deducat ipsum ad esse aut nō esse, quia possibile tale, quantū est in se, habet se æqualiter ad utrumq; ; quod autem facit alterum esse, id prius eo sit oportet. Deo verò nihil prius. Ergò non est possibile ipsum esse & nō esse, sed necesse est eum esse.

Deum semper esse.

Quanquam jam ante ostensum est, Deum esse æternum, tamen ex hâc assertione, quâ disputavimus Deum esse necessariò, sequitur manifestè etiam, quod Deus sit semper. Quod enim necesse est esse, semper est, quia quod non possibile est non esse, id impossibile est non esse, & ita nunquam non est. Necesse est autem Deum esse: nunquam igitur non est, & per consequens semper est. Rursus, omne quod non semper fuit, si incipiat esse, indiget aliquo, quod ei sit causa essendi: Nihil enim seipsum educit de non esse in esse, id est, de potentiâ in actum. Atqui Deo nulla potest esse causa essendi superior;

Digitized by Google

perior; cum ipſe ſit princeps rerum omnium cauſa; cum item Deo nihil ſit prius: cauſa autem cauſato ſemper prior. Neceſſe eſt igitur Deum ſemper fuiſſe. Amplius, quod convenit alicui non ex causà extrinſecà, id convenit ei per ſe. Eſſe non convenit Deo ex causà aliquâ extrinſecâ: quia illa cauſa eſſet Deo prior. Convenit igitur ei eſſe per ſeipſum. Sed ea, quæ per ſeipſa ſunt, ſicut ſemper ſunt: ita ex neceſſitate ſunt. Neceſſe quoque eſt ex Philoſophiæ Principijs, Deos non eſſe multos, ſed unum. Id quod doceo.

Neceſſe eſt dicere: Deum eſſe unum.

Nam ſi ſint multi Dij, aut uno plures, illi vel æquivocè erunt Dij, vel univocè ſeu συνωνύμως. Æquivocè nihil obſtat plures dici Deos: ſic enim quicunq; alteri benefacit, quia Dei opera imitatur, Deus ab eodem appellari poteſt. Sed hoc non eſt ad propoſitum. Si autem univocè plures Dij ſtatuantur, oportet ut iſti plures vel conveniant in genere, vel in ſpecie: Deus autem neq; genus eſt, neq; ſpecies, aliàs plura ſub ſe contineret. Impoſſibile igitur eſt plures eſſe Deos. Si præterea Dij plures eſſent, eſſet aliquod commune, quod eſſet principium individuationis, adeoq; conſtitueret ſingulos iſtos Deos: quod ſi hoc, ipſis Dijs aliquid eſſet prius, ἄπον: item aliquid potentius, ἀδύνατον: Aliquid ipſis cauſa eſſendi: quod enim dat exiſtere, dat eſſe: eſſe enim ſequitur exiſtere, ἀσύστατον.

Impoſſibile eſſe: Deum eſſe corpus.

Hactenus Ariſtoteles de Deo, hoc eſt, quod ad ipſius eſſe: niſi velis & hoc pertinere ad eſſe Dei, quod cenſuit Ariſtoteles: impoſſibile eſſe Deum eſſe corpus. Ratione utitur hàc: omnis diviſio arguit compoſitionem, compoſitio repugnat ſimplicitati, repugnat æternitati: Nam quod compoſitum eſt, diſſolvi neceſſe eſt. Diviſio autem quid eſt aliud, quàm via ad interitum? Jam omnis magnitudo eſt dividua, & quo plures habet dimenſiones magnitudo, eò magis eſt dividua. Sunt autem magnitudines tres, longitudo latitudinis expers, quæ aliàs dicitur linea: Eſt alia longitudo cum latitudine, quæ uno verbo ſuperficies: Eſt deniq; magnitudo, quæ præter longitudinem & latitudinẽ, profunditatẽ quoq; habet, adeoq; trinam dimenſionem. Et hæc corpus dicitur. Si igitur ſtatuas Deum eſſe corpus, dividuum ſtatues, & quidem ſecundum trinam dimenſionem dividuũ: τὸ δὲ θεῖον ἀμερές. Huc uſq; Ariſtoteles noſter lumine naturæ pervenit. Quod ſi quis urgeat, potuiſſe Philoſophum ulterius pervenire, ſicut hodieq; urgent Philoſophi quidam Chriſtiani, & ex principijs ſuis

eum agere aliquid, propter melius aliquod dicamus? Manet igitur, apud Aristotelem Deum esse finem, id quod disertè disputat 12. Metaph. Appetunt igitur omnia in hoc universo, Deum ut bonum, ejusq; perfectionem, qua licet, æmulantur, Cumq; vita Dei sit æternitas. 1. de Cœl. t. 100. æternitatem appetunt, quæcunq; possunt, qua licet. Cumq; hæc inferiora durare æternum non possint; quod enim generatũ semel est, & corruptibile generarum est, & corrumpatur aliquando necesse est, nisi vis aliqua superior, naturalem rationem adeoq; corruptionem sistat: Ideò propagatione speciei, æternitatem primi Entis æmulantur. Propagatio autem speciei generatione fit. Igitur quod Aristoteles asserit, perfectionis esse sibi simile generare, id ad vegetabilia pertinet, & præcipuè ad animalia, sicut ipse se explicat 2. de generatione animal. cap. 1. Ἀ φιλοσόφως igitur illud Aristotelis effatum ad Deum trahitur, cujus summa perfectio non admittit pluralitatem: non enim possunt esse duo perfectissimi, sed unus. Dicendum nunc quoq; esset de mundo, & quis mundi ad Deum respectus? unde ille ortus? an verò æternus? quomodo extiterit? quomodo conservetur? Sed hæc in aliud tempus seponemus. Vidimus, quid Deus Aristoteli: videamus deinceps, quid idem Deus Platoni.

Platonis sententia de Deo.

Deum esse, Plato censuit impium dubitare; itaq; quæstio an sit facessat. Tribuit autem Deo varia, quibus ipsius essentiam adumbrare conatus est. Ante omnia autem tribuit illi tria: unum, bonum, pulchrum; neq; dicebat: Deus est unus, bonus, aut pulcher, sed Deus est ipsum unum, αὐτὸ ἓν, αὐτάγαθον, ipsum pulchrum, αὐτὸ καλὸν ipsum bonum. Unum dicebat esse Deum, tanquam caput rerum, à quo tanquam fonte omnia, & in quem tanquam fontem omnia, & per quem tanquam fontem omnia. Itaq; Deus Platoni principium & finis. Bonum appellabat Deum, tanquam medium: sic, ut unum in Deo imperij & regiminis nota esset, Bonum autem essentiæ. Pulchrum dicebat in Deo esse extremum, nimirum esse actum quendam boni, splendorem boni, diffundentem se extra, & vocantem omnia ad hoc bonum, ejusq; participationem; unde & τῷ καλῷ, pulchro, nomen ἀπὸ τοῦ καλεῖν, à vocando & invitando. Unde Aristoteles etiam quærenti, quare id, quod pulchrum esset, appeteremus? respondendum putabat, quæstionem illam ejus esse, qui mente careret, quod scilicet natura pulchrum ad se alliciat. Hæc est

prima trias Platonis, quam Deo tribuit, quæ pulcherrimè cum patefactâ veritate consprirat. Nam & in sacris Deus describitur α & ω, principium & finis, à quo omnia, in quem omnia, per quem omnia, &, ut Plato noster loquebatur, à quo uno omnia ad unum. Deus etiam in sacris describitur optimus, & quia solus bonus, ideò ipsum bonum dicitur. Ita enim Servator appellanti se bonum magistrum, respondet: quid tu me bonum appellas? solus Deus est bonus, hoc est, fons omnis boni, adeoq; ipsum bonum. Jam Deum esse pulcherrimum, neq; à Prophetarum, neq; ab Evangelistarum oraculis abhorret. Ille enim omnia rectè & pulchrè fecit; ille omnes ad se allicit & invitat; illius delitiæ cum filijs hominum. Sed redeamus ad Platonem nostrum.

Cum essentiam Dei, Bono, Plato definivisset; Boni autem vocabulum paulò obscurius videretur, etiam aliquo modo communius, solis imagine, Dei essentiam nobis illustriorem reddere voluit. Constituit igitur tres soles, 1. divinum, 2. intelligibilem sive intellectualem, 3. sensilem hunc, & oculis usurpabilem. Sol divinus est primò, inquit, sol, sicut reliqui duo soles, quod sint soles, illi primo acceptũ ferant: sol intellectualis est mens nostra, particula divini illius solis, sed latens & veluti dormiens, nisi excitetur à tertio sole corporeo & sensili, qui est imago utriusq; prioris. Est autem in hoc sole sensili primum, & quod illi esse veluti dat, lux; lux illa genera, fovet ac calefacit, deniq; perficit hæc naturalia. Eodem modo, inquit Plato, Deus sive τ' ἀγαθὸν suâ fœcunditate omnia producit, desiderio sui omnia calefacit, & deniq; perfectionem suam omnibus rebus tribuit. Porrò, sicut lux hujus sensilis solis non recipitur, nisi in perspicuo: ita lux illa divina non percipitur, nisi mortificemus corpus, & mente, quæ est perspicuum quiddam, divinam illam lucem percipiamus. Pulchrum, qnod Deo tribuit Plato, ne quis diversum existimet à bono. Quemadmodum enim fulgor hujus solis, & radij illi, qui sese per omnia diffundunt, non sunt aliquid diversum à sole, sed sunt ipse sol, nos solùm ex nostro cognoscendi modo distinguimus: ita nec pulchrum in Deo, à bono diversum est. Sicut tamen bonum est sui communicativum: ita & pulchrum. Communicat verò se alio modo, quàm in Deo, est. In Deo enim bonũ & pulchrum est causaliter: Nam quæcunq; bona & pulchra sunt, illis & bonitatis & pulchritudinis suæ causa est hoc ἀγαθὸν καὶ καλὸν, id est, ipse Deꝰ. Sicut verò bonum & pulchrum in Deo causaliter est; ita est in mente formali-

maliter. Quid autem Plato per mentem intellexerit, paulò post dicemus. In mundo mundiq; partibus bonum & pulchrum etiam conſpicitur, ſed modò cum majori, modò cum minori diminutione. Hoc eſt certum, omnia appetere hoc pulchrum, quod in Deo eſt, & hoc bonum, atq; appetere ut perfectionem; atq; hinc Plato eum, qui pulchrum amat, dicit quærere Deum. Præter hæc tria, unum, bonum, pulchrum, tribuit Plato etiam Deo Rationem & conſilium, in quo ei non convenit cum Ariſtotele. Negat enim Ariſtoteles, virtutes Ethicas in Deum cadere; quia illæ cum proæreſi conjunctæ ſint, in Deum autem nequaquam cadere proæreſin. Sed videtur Plato defendi poſſe, atq; tribuere iſta Deo non formaliter, ſed 1. Exemplariter, deinde virtualiter. Non eſt in Deo formaliter ratio & conſilium, ſic, ut utatur ratione & deliberet, antequam ad agendum accedat, quemadmodum homines ſolent, quibus cum ratio & intellectus nõ datus ſit pro pepone, ut olim S. Tertullianus loquebatur, aut anima intelligens pro ſale, ut aliud vetus verbum habet, omnia prius deliberando excutiunt, antequam ad agendum progrediantur. Sed exemplariter dicuntur eſſe in Deo, quia eadem ſit omnium actionum divinarum rectitudo, quæ ſolet eſſe actionum humanarum, certâ ratione & prudenti conſilio inſtitutarum. Quando igitur Plato tribuit rationem & conſilium Deo, hoc vult dicere: omnes actiones divinas ita inſtitutas eſſe, eâq; rectitudine, ut videantur certâ ratione & conſilio inſtitutæ, cum tamen ſolum ab eminenti bonitate promanent. Atq; ſic nec Ariſtoteli repugnat Plato. Cur enim non liceat Platoni Deo tribuere, quod Ariſtoteles tribuit naturæ? Ita enim Ariſtoteles de natura: Natura, inquit, non agit cum ratione, ſed agit per ſuam naturam, & eodem quidem modo inducta ad agendum à naturali inſtinctu, collocatur tamen aliquando inter λογικὰς δυνάμεις, quia omnium eorum, quæ natura agit, rectiſſima ratio reddi poteſt, ejuſq; actiones ita ſunt ordinatæ, atq; ſi certâ ratione certoq; conſilio inſtitutæ & ſuſceptæ fuiſſent; quam ob cauſam Philoſophus non dubitat naturam cum optimo patrefamilias comparare, cum prudenti item œconomo. Quemadmodum, inquit, prudens œconomus ſingulis domeſticis cibaria ſua diſtribuit, ſic tamen, ut ſelectiſſima quæq; puriſſimumq; panem ſibi, uxori & liberis aſſignet, panem alium, eumq; non ita probæ notæ, ſervis diſtribuat, furfures & quisquilias bobus, porcis & alijs relinquit: ita natura materiam puriſſimam carni tribuit & ſanguini, terream magis

gis ossibus, reliquam excrementitiam unguibus & pilis assignat. Sic Aristoteles de naturâ, prorsus ut Plato de Deo. 2. Ratio & consilium in Deo sunt virtualiter, quia quod homines ratione & consilio utuntur, id Deo acceptum ferunt; atq; hactenus Platoni cum Stoicis convenit. Ita enim Seneca: quod Deus est per suam naturam, id homo potest esse per rationem & consilium, quæ instrumenta illi divinitus data sunt, ad æmulandum perfectionem Dei. Id peculiare Plato habuit, quod Deo providentiam quoq; tribuit, hâc definitione: Providentia est divina ratio, eminenter in summo omnium principe constituta, fini congruenter media disponens. Sic autem argumentatur: Princeps non potest esse sine providentia. Deus autem est summus Princeps. Necessariò igitur ei providentia tribuitur. Majorem probat: Princeps dicitur per dependentiam, à quo videl. populus dependet, & cujus ipse caput est. Ista dependentia nihil est nisi unio; unio autem nihil aliud est nisi amor, quo uniuntur Princeps & populus: ubi autem amor est, ibi & cura rei amatæ. Jam Deus rerum princeps est. Itaq; omnia ab eo dependent, atq; adeò ista unio ex dependentiâ orta, amorem Principis & curam arguit. Sic etiam concludit: Si Deus non provideret mundo, vel nollet, vel non posset. Posterius impium est de Deo sentire. Prius falsum, docet sic: Diximus, inquit, Deum esse ipsum bonum, ergò semper vult id quod bonum. Nam si nollet bonum, dici posset laborare invidiâ; invidiam autem Deo tribuere, etiam Aristoteles impium censuit. Atqui cura rei suæ est bonum, sicut negligentia malum. Vult igitur Deus curam, & si vult, etiam exequitur. Hinc est, quod Plato ait 10. de Leg. Noli metuere, nunquam à Deo negligeris. Unde nescio an non Simplicius acceperit, cum ait: Deus non negligit ea, quæ producere est dignatus. An verò Plato censuerit mundum à Deo productum esse, an æternum eum statuerit, difficile est ex ipsius scriptis ostendere, idq; ideò. Agnoscit Plato aliquem Dei filium, sed de illo Dei filio diversimodè loquitur. Aliquando enim vocat illum filium mentem, aliquando verò mundum: Sed cum additione, mundum idealem. De mente constat ex libris de Rep. ubi expressè dicit, mentem esse progeniem primæ causæ; item ipsum bonum procreasse mentem. Hanc mentem an censuerit distinctum quid à Deo reipsâ, an verò ratione saltem, dubitant Platonici. Plotinus posterius vult, si tamen loca Platonis exactè consideres, videtur mens illa separata esse à Deo. Nam tribuit illi Plato, quæ à Deo sejungunt. Ita enim loqui-

loquitur: à Deo, ut luce increatâ, manat mens ut lux creata, ſed inſenſilis. 2. Dicit: Deum eſſe ſupra Ens & initium Entis: mentem autẽ eſſe Ens eminentiſſimum. 3. Deum eſſe ut centrum, mentem ut circumfe entiam à centro pendentem. 4. Deum dicit eſſe αὐτὸ ἓν, mentem eſſe ἕνωσιν ſive unionem. Eſt igitur mens Platoni, quod Ariſtoteli prima intelligentia, hac ſaltem differentiâ, quod Plato hanc mentem continere dixit ideam omnium rerum ſenſilium, unde mundus ſenſilis prodiret: Ariſtoteles ideas repudiavit. Jam apud Platonem ſi quæris: ubi ut Deus? reſpondebit tibi, nusquam, & ubiq;. Quæ tibi mira reſponſio videbitur. Nusquam Deum eſſe reſpondet, ſi conſideres, ubi, eo modo, quo corpora ſunt alicubi; hoc enim modo nullibi Deus eſt; neq; enim ullo loco circumſcribitur, quo modo & nunquã Deus eſt. Nam iſta tempus ſignificant, aliquando eſſe, aut ſemper eſſe: Deus autem non cadit ſub tempus. Ita ſicut nunquam eſt: ita quia à nullo continetur, ſed omnia continet, nullibi quoq; eſt. Sed ſi localem exiſtendi rationem excipias, ubiq; eſt, & tribus quidem modis. 1. per præſentiam cognoſcendo. 2. per potentiam conſervando. 3. per eſſentiam participando, quatenus ſcilicet omnes res ſunt participatio & umbra primi Entis. Unde & Ariſtoteles t. 100. 1. de Cœlo: à Deo, inquit, omnia habent eſſe, alia quidem ἀχειβέστερον, alia ἀμαυρότερον. Illud quoq; in Platone notandum, quod, cum diputat de Deo, aut de mundo, duo potiſſimum reſpicit, quorum alterum eſt Dei gloria & pietas hominum, alterum rei veritas. In illis, quæ ad Dei gloriam, & incendendam pietatem hominũ manifeſtò pertinebant, palàm ſemper ſententiam dixit & Categoricè: ſed quæ ad hos duos non faciebant, in illis aſſeverandis aut negandis timidus fuit, neq; dubitavit profiteri, ſe nihil certi ſuper eo ſcire. Id exemplo declarabimus ſolùm uno. In mundo videbat Plato duo conſiderari poſſe: originem mundi, & dependentiam ejusdem à Deo. Illud de origine non videbatur ei pertinere ad gloriam Dei, ſive mundus ab æterno fuiſſet, ſive in tempore cœpiſſet, ſive à Deo emanaſſet, ſive ſuapte ſponte extitiſſet, ut blytum ex terrâ temerè profluit. Itaq; Plato nunquam quicquam certi de origine mundi ſtatuit, ſed dubiè & incertè locutus eſt. Indicant hoc verba 6. de Leg. Scire, inquit, oportet generationem hominum vel nullum initium habuiſſe, neq; adeò terminum etiam habiturum, ſed ſemper fore: aut ſi cœperit, inæſtimabili tempore ante nos cœpiſſe. Alterum verò de dependentia à Deo, quia pertinebat ad gloriam Dei & pietatẽ in nobis gignendã, ſtrenuè

semper asseruit. Quod utinã hodieq; & Philosophi facerent & Theologi! cum tamen contrarium experientia testetur. Videmus enim ea, quæ incertissima sunt, neq; ad gloriã Dei ullo modo pertinent, multò min⁹ pietati excitandæ serviunt, mordicus defendi, & usq; ad sanguinẽ contra sentientium. Nec minor Aristotelis circumspectio hac in parte laudanda, qui cum in Philosophia sensum sibi ducem asciviſſet, nihil facile affirmare ausus est, cui sensus non attestaretur. In sensilibus igitur plurimum se exercuit; in illa vero, quæ sensum fugiunt, quæq; à superiore principio dependebant, temerè se nõ ingessit, ea vel affirmando vel negando, sed disertè & ingenuè fassus est, sui muneris non esse, aliquid de talibus certi decernere. Exemplo sit ejus disputatio de Felicitate, ubi inquit: *a*) si quod donũ hominib. à DEO datum, hoc maxime felicitatem esse, sed illud alterius esse considerationis. Alibi: *b*) si ex hominibus, ob virtutis excellentiam aliqui Dij fiunt, (sicut ajunt) talis habitus est, qui Feritati opponitur, nec affirmans nec negans, quod religionis erat, utpote cujus ipse arbiter esse nec deberet, nec posset. Alio loco *c*) sub dubio relictum est, an felicitas divino afflatu nobis adveniat, tanquã simus ἐνθουσιάζοντες, hoc est, DEI numini acti, fortunæ autam temeritati tantam rem credere, stulti hominis esse passim affirmavit. Cavit etiam unicè, ne religioni se objiceret, itaq; & in Politicis *d*) Regem jubet erga Religionem vehementer affectum esse: minus enim, inquit, formidabunt populi, ne quid contra justitiam fiat, si ipsum Principem religioni deditum esse existiment, Deosq; formidare. Addit præterea: non simulandam esse religionẽ; neq; enim ficta diuturna esse, neq; populo diu imponi posse, sed religionem factis exprimendam. Est & illud memorabile pietatis in Philosopho nostro argumentum, quod alicubi *e*) scribit: si quempiam eo usq; in trepidum feceris, ut nec Deos timeat, is non fortis, sed demens fuerit. Et rursus: *f*) DEUM talem dominum facimus, ut bona malaq; pro meritis distribuat: at quæ sunt à fortunâ, ea fiunt ut sors tulerit: quod si distributori Deo ascribimus, malum judicem, ac non justum ipsum faciemus, quod nefas de DEO sentire. Est & illud egregium, quod sapientiam vel solum à DEO obtineri, vel certè maximè, pietati satis convenienter asserit. *g*) Verum, de voluntate & DEI operibus quæ Philosophi Gentiles senserint, alio tempore disputabimus.

a) *1. Ethic. c. 10. 7*) *Eth. c. 1. c*) *1. Eudem. c. 1 d*) *l. 2. c. 2. e*) *l. 1. Mag. Moral. c. 21. f*) *l. 2. Mag: Mor. c. 9. g*) *1. Metaph. c. 2.*

MICHAE-

MICHAELIS PICCARTI

ORATIO V.

FUNEBRIS IN OBIT. SCIP. GENTILIS.

ILIENSIUM legatis, Auditores, paullò ſeriùs conſolantibus, ſuper Filij Druſi morte, quaſi obliteratâ jam doloris memoriâ, irridens & ſuperbè contemnens Pater Tiberius, *ſe quoque*, reſpondit, *vicem eorum dolere, quod egregium civem Hectorem amiſiſſent.* a) Sed reſpondit hoc Tiberius, homo ſævâ ac lentâ naturâ, πηλὸς αἵματι πεφυρμένος, *lutum ſanguine maceratum* : ut puerum etiamnum præceptor Theodorus Gadareus appellare ſolebat: *qui nullum unquam intra animum dolorem admiſit, qui obliterari & expungi deberet*, qui ne liberos quidem ſuos patriâ charitate dilexit, quos crudeliter habitos ἄγριος ille miſerè tandem trucidavit. Sed ad Tiberim hunc Tiberium, aut ad Phlegethónta potiùs. Alia Vobis, Auditores, mens, nec vos ita mihi iniqui, quod ſerius ago id, opinione quorundam moroſorum, qui me ipſo officio inofficioſum dicent, cum vix prius agi potuiſſe ſapienter judicetis. Stetimus utiq; adhuc alto dolore, tanquã recenti plagâ ſtupentes attonitiq;, deinde laudum tanti viri ac meritorum admiratione defixi, dubijq;, præſtaretné Scipionis Gentilis τῆ μακαρίτῃ ſilere nunc laudes, annalibus poſterorum nunquam ignorandi? an ingenij imbecillioris culpâ deteri imminuiq;? Acceſſit & timor quidam, neq; ille quæſitus aut vanus, ſed juſtus, & hoc ſeculo, hac temporum nocte non inſuper habendus. Poſtquam enim *laudanda facere deſivimus, inviti quoque laudes alienas audimus, & magnam aliquam ac nobilem virtutem eſſe oportet, quæ vincat ac ſupergrediatur vitium parvis juxta magnisq; civitatibus commune: ignorantiam recti & invidiam:* b) reperias ubiq; locorum & terrarum mures illos, qui rodunt; & ad lapſum atq; ruinam lubrica reddunt ea quoq;, quæ nihil tale præ ſe ferunt, quorum improbitas facit tuta etiã ipſa timenda, quandoquidè vel ubi minimè credas,

—— —— Incedis per igneis
Suppoſitos cineri doloſo. c)

Unde & propter hos roſores alienæ famæ non impetu mero vel

a) *Sueton. Tiberio c. 52.* b) *Tacitus Agricola.* c) *Horat. 2. Carm. Od. 1.*

dolore, ſed temporis tractu, & veluti cum judicio quodam, ultimum hoc pietatis officium peragendum mihi viſum, ubi ſub ipſas funeris exſequias, ſingultus ſaltem, & inter gemitus fracta verba, affectumq; ſolum, & præter illa nihil afferre potuiſſem. Aliter verò docuit nos eminentiſſimus Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptor. a) *Detur*, inquit, *hoc virorum magnorum memoriæ, ut quomodo exſequijs à promiſcuâ ſepulturâ ſeparantur: ita in traditione ſupremorum accipiant habeantq; propriam memoriam, non adornatam meris mœroris imitamentis*, non theatricâ etiam aut hyperbolicâ encomiorum jactantia tumentem at inflatam, ſed quæ vera ſit, & meritis eorum ſine fuco reſpondeat.

Fuiſſe autem Virum magnum Scipionem Gentilem JC. tum ſi quis dubitat, illi reſpondeat omnis Italia, quæ ſe patriam tanti Viri non dicit, ſed jactat: illi reſpondeat Gallia, quæ non minus virtutes ejus, quàm ingenium & Doctrinam ſtupuit & admirata eſt: illi Britannia reſpondeat, quæ cum Germania de poſſeſſione (cum illa Fratrem Albericum ſuum feciſſet) pleniſſimè triumphavit: De alijs regnis & regionibus nihil attinet multa dicere. Sufficiat nobis Magnifici præpotentis Reipub. Norimbergenſis Senatus judiciũ, quo Conſiliarium ſuum & Anteceſſorem meritiſſimum ornavit, cum promiſcuæ ſepulturæ ſubtractum, in hujus oppidi templo copulatum jam cum Manibus beatiſſimis Magni Donelli in cœlis, cum oſſibus quoq; incomparabilis Viri conjungi voluit juſſitq;.

Scilicet ut tumulo quoq; viciniſſimus eſſet,
Cui magno fuerat proximus ingenio. b)

Huic igitur quid nos Academicos facere æquius, quàm in hoc templo Academico etiam ei memoriam Virtutum & meritorum erigere? Nos enim dolor iſte propriè attingit; nos videlicet novimus, quẽ oculi, quem animi noſtri deſiderent, nos intelligimus, quem Academia civem, Senatus ejusdem Senatorem, Facultas Juridica Anteceſſorem, Juventus noſtra Doctorem & Ductorem habuerit, quem amiſerit. Et quanquam Dei Opt. Max. miſericordia & providentia, ac cura paterna Inclyti Senatus Norimb. & Nobiliſſimorum D.D. Scholarcharum, (quod merito in ſummis beneficijs numerare debemus) ita proſpectum eſt Academiæ, ut, quæ tanti luminis orba in tenebris & ſqualore mœſta conſidebat, brevi poſt tempore & novis oculis donaretur, & vigorem ac virorem reciperet, jamq; caput iterum cœlo tollere non vereatur, utq; id diu ſalvis ſuis luminib. poſſit, compre-

a) *Tacit. 16. Annal. c. 16.* b) *De Sannazorio.*

Digitized by Google

comprecari nos deceat: Tamen animi memoris est & grati, ne dicã pudentis & honesti, merita demortuorum deprædicare, & posteritati reverenter atq; officiosè commendare. In quo, quanquã conspirare vos animis & consentire mecũ indubiè animadverto: tamen illud fortè nondũ satis capitis, aut probavi ego vobis, Auditores, quod hoc pietatis officium in me receperim ego, aut etiam occupaverim, quod hi, quos sedentes videmus, Viri Amplissimi, Clarissimi, Consultissimi, Doctissimi suscepere justius voluissent an debuissent, certè obire rectius potuissent. Quibus ego quid reponam, si me ipsum excutio, ut, quod sentio, eloquar, profectò vix reperio. Affectum meum si hoc consilij mihi suggessisse dicam, ut est inter alia, vereor ut incusetis stultitiam meam, qui aut me solũ hominem esse existimem, aut vos ignorasse Scipionem Gentilem, persuadere alijs postulem. Si amicitiam (quæ mihi cum eo vivente in his terris intercessit interior & familiarior,) hoc impositum munus mihi disputem, ambitioni me dare hoc putabitis fortean, & quasi nec alios præter me habuerit amicos, nec caussas etiam amandi justiores, dici vobis & explicari voletis. Dicam igitur neutrum istorum, sed id quod non minus verum, magis honesti speciem habere arbitror. Ita de me meisq; studijs meritus est Gentilis noster, ut unus ego ex omnibus hoc pietatis officium illi debeam, & non sine gravi piaculo aut improbitate illi non exhibeam. Atq; huic quid opponi possit à malevolis, nondum video. Nam & Romanorũ hic me consuetudo, à quibus nil nisi quod fas piumq; esset, manasse & defluxisse ad alios populos novimus, excusabit, quæ illis potissimum has partes imponebat, de quibus defuncti quàm præclarissimè meriti essent, non ijs qui dicendi facultate sese suprà alios commendarent.

Patiemini igitur, Auditores omnium ordinum splendidissimi honoratissimiq;, pium me esse, licet non disertum, quàm ingrati animi, quo nihil indignius est hominibus liberalibus, optimisq; artibus ad humanitatem & honesti officia institutis, notam & culpam subire, dabitisq; adeò de vita & summis Gentilis nostri beatissimi virtutibus breviter & succinctè quædam commemoranti benignam audientiam, quod ut faciatis, omni à vobis animi contentione, atq; observantia, ac studio peto contendoq;.

Ager in Favonium spectans ventum, & Soli ostentus, naturâ suapte melior & fœcundior, inquit doctissimus Togatorum Cato: *a)* quidni igitur

 ingenia

a) Cap. 1. de Re Rust.

ingenia quoq; hominũ cultiori loco aut regione nata ortâve, robur ac vires trahant à natali solo? Simonides sanè, referente Ammiano Marcellino, *lib. 14.* judicabat: *benè perfectâ ratione victuro, ante alia patriam debere esse glorioſam.* Non defuit hoc ad gloriam ornamentum Gentili noſtro, ſive adjumentum dicere malis. In Italia enim Anno ſalutis per Chriſtum partæ 1563. primum ſpiritum hauſit, ejusq; provincia nobiliſsima Piceno, quæ hodiè Marchia Anconitana, ad radices Apennini montium famoſiſſimi. De cujus Italiæ laudibus ſi agendum hic ſit, commemorandæq; illæ ex veterum ſcriptorum monumentis, dies me hic, & hi lumbi, atq; vox hæc deficiant. Omnium inſtar ſit judicium Magni Henrici IV. Galliarum & Navarræ Regis quondam glorioſiſſimi ſapientiſſimiq;. Is cum aliquando deliciaretur cum familiaribus ſuis, atq; hi illum Europæ Monarcham meritiſſimo ſuo eſſe poſſe ambitioſè jactarent: *Eugepæ*, inquit, *ſi Monarcha is, quem vos facitis, eſſem, ex omnibus Europæ regnis una mihi aulam adorrem; & Gallia quidem mea mihi penus eſſet, propter omnium annonæ vilitatem ſimul & bonitatem: Hiſpania & Anglia ærarium, propter auri præſtantiam & copiam: Germania cubiculum propter ſecuritatem: Italia hortus deliciarum & amœnitatis.* In hoc Magni Regis de Italia judicio adquieſcamus nunc, & adquievit meritò in tam nobili patria etiam amœniſſimi & excoctiſſimi ingenij Gentilis noſter. Patria illi *Caſtellum San-Geneſi fuit*: Pater *Matthæus Gentilis*, Vir verè nobilis, ex antiquiſſima honoratiſſimaq; Gentilium Ruſſorum (fuit enim & alia Nobilis Gentilium familia in Italia, quæ *Blanca* ſive *Alba* dicebatur) proſapiâ oriundus, profeſſione Medicus; *neq; enim in Italia honeſta literarum aut facultatum profeſſio nobilitatem deſtruit, ſed ornat*, ut ait Imp. in Epiſtola ad Eumenium Rhetorem: judicio maturo coctoq; homo, gravitate ſeverâ & priſci illius ævi, ſine ceruſsâ & ſimilagine hujus ſeculi. Huic cum Romanenſes iſti Hierophantæ partim ineptas, partim ridiculas ſuas ſuperſtitiones & theatricas nugas perſuadere nulla ratione poſſent, isq; guſtum aliquem cœleſtis veritatis ſubinde, tùm ex lectione divinorum oraculorum, tum ex colloquijs virorum piorũ, quibus ea ipſa, quæ modò dixi, à gravitate Religionis Chriſtianæ recedere videbantur, perciperet, rebus diligentiùs expenſis, & veritate plenius hauſtâ, inq; animo ejus confirmatâ, de patria deſerenda, in qua ne profiteri quidem, quæ crederet, multò minus Deo ſervire, ut oportebat, tutò poſſet, ſeriò cogitare cepit; cumq; filios haberet complures, & numero quidem ſeptem, è quibus primus *Albericus* ille fuit,

Digitized by Google

fuit, quem non Britannia modò, ſed & tota Europa Præceptorem in jure ſuum colit & agnoſcit, noſter Scipio ſextus, de filijs ſecum abducendis, adeoq; totâ familia transferenda cùm uxore, lectiſſima fœmina ſecretò egit : Quæ cum ita animatum, & ex ea cauſsa, maritum chariſſimum videret, ſubductis hinc inde rationibus, varieq; animo diſtracta, tandem in hæc verba multis cum lachrymis maritum affata eſt :

Vellem equidem Domine, atq; unicè optarem, ut, cum ego finem huic orationi meæ factura ſum, DEO OPT. MAX. in cujus oculis hîc conſiſto, in cujus etiam auribus hæc loquor, placeret quoque vitam mihi abrumpere, & ad regni ſui gaudia evocare : ſic enim expedita tibi forent omnia, nihilq; voluntatem tuam remorari poſſet. Cupis tu excedere patriâ, mi Domine, ut conſcientiæ tuæ tibi conſtet illæſa, ut vita tuta, ut cultus DEI purus, integer, & non impeditus : piè facis, vis me, quæ tibi ad aras ſacramentum individui conſortij dixi, tecum ire : jus petis, vis ſequi te mecum communia converſationis noſtræ pignora, liberos dulciſſimos : amanter facis, qui cupis tuis juxta tecum benè eſſe, quà hîc, quà illic cum beatis mentibus. Quid ad hæc ego : Ire te non tantùm permitto, ſed & jubeo, quia te amo, & periculum, quod manſuro impendet, intelligo : ut tecum eam, ignoſce confitenti, non poſſum, quia me amo : adſuevi patrio aëri, victui, religioni, eduxeris hinc, ad mortem duxeris. Da hoc igitur amori meo, quo te proſequor, ut me quoq; reſpiciam, & quæ vitam tuam & ſecuritatem ſuis voluptatibus & ſolitudini futuræ anteponit, ei hoc repone, ut ſuos inter conſtituta, aut in patriâ relicta ac deſerta viduitatem mitius ferat : animis interim cohærebimus, & tu me derelictam non minus amabis, quàm ego te maritali reverentiâ colam, dum ero. De liberis meam admitte etiam, mi Domine, ſententiam, & Albericũ tuum, quem, ut ætas maturum : ita Virtus & Doctrina jam ſpectabilẽ, & Prætorem Aſcolitanum fecit, tibi habeto, reliquos & ævo & judicio infirmos, delicijsq; Italiæ innutritos è patriæ dulciſſimæ, è miſerrimæ matris amplexibus ne eripe, ſint hi, per Deum immortalẽ, afflictiſſimæ huic fœminæ —— —— ſolatia luctus

Exiguæ ingentis —— ——

in quibus tanquam viva tui imagine te contemplari, & miſerias meas lenire ac mitigare aliquatenus poſſim ; Finijtq; cum lachrymis illa ſermonẽ, quem neq; ſiccis excepit maritus oculis, ſed fractis quibusdam per gemitus atq; tertiatis verbis, per omnia uxori ſuaviſſimæ conſenſit. Unus ei mentem altius inſedit Scipio, cujus indolem ad omnia excelſa jam in puero notabat exactiſſimus cenſor, & ſine eo vitam ſibi omnem acerbam fore prævidebat. Cum igitur Albericum volentem, & eadem jam ſecum diu ſentientem facilè ad ſequendum ſe induxiſſet, con-

vaſatis

vaſatis clàm rebus & collectis ſarcinulis, acerbiſſimo *Vale* uxori liberisq; dicto, ex Italia in Carniolam vicinam contendit: in itinere autem tuto quodam loco ſubſiſtens, Scipionem, quem amici paterni per ſpeciem ludendi, honeſto quodam plagio, è domo maternâ eduxerant, & anxio ſollicitoq; ob eam rem patri ſubmiſerant, tandem lubentem lætus recepit, & cum duobus his filijs in eam, quam dixi, provinciam conceſſit. Sæpè mihi narravit hic, de quo agimus, Scipio, grave matrem hoc nuncio vulnus accepiſſe, & cum patre ſuo, ſuper hoc furto, dulci quadam amaritie per literas expoſtulaſſe, unde quâ virtute, qua animi firmitate fœmina fuerit, non difficile eſt colligere, ſic ut minus mirari liceat, ſi ex his parentibus editus, ad ea virtutum faſtigia Gentilis noſter contenderit, & eadem quoq; contigerit. Porrò hoſpes noſter Matthæus Gentilis cum comitibus ſuis ubi apud Carniolanos ſubſtitit, ea paſſim Virtutis & Doctrinæ ſuæ, & admirabilis cujusdam humanitatis, cum gravitate temperatæ, documenta dedit, ut illuſtriſſimi ejus Provinciæ Proceres, non modò hoſpitari ibi exſulem ſpontaneum permitterent, ſed & conſilia inirent, quomodo tantum Virum retinere ſecum & pro dignitate habere poſſent. Conſtituerunt igitur illum Archiatron, propoſitis ijs conditionibus, & eâ erga ipſum munificentiâ uſi, quam ipſe nec aſpernari vellet, nec repudiare ullâ ratione poſſet. Cum igitur ſedem ibi ipſe fixiſſet: Albericum in Britanniam miſit, eumq; amicis ibi quibusdam ſuis commendavit, per quos ei abundè proſpectum, Scipionem autem noſtrum Tubingam ablegavit: in qua Academia eos in humanioribus literis & jure progreſſus fecit, qui jam, quantus ſuo tempore futurus eſſet, clarè teſtarentur. Et quia delectabatur amœniſſimum ingenium Poëſeos ſtudijs, Poëtas ejus loci & ſtudiosè audiebat, & eorum converſatione libenter utebatur, inq; eo ſtudiorum genere ita profecit, ut omnium tamdem Europæ Poëtarum non dicam ingenia, ſed ſpes etiam & vota longè ſuperaret: quod me ex vero dicere, conſenſus omnium vatum cultiorum comprobabit, & magni illius *Meliſſi* teſtimonium, qui faſces illi ukrò ſuos ſubmiſit, & ſuperiorem lubenter prolixeq; teſtatus: habuit & hunc impetum à Patre, de quo mihi narrabat ſæpè hanc hiſtoriam: *Sedebamus*, inquit, *Pater, Albericus & ego, tempore brumali ad caminum poſt ſumtum cibum otioſi, ibi pater ad nos: ne prorſus nihil agatis filij, carbonem uterq; hinc è camino eripite: ſententiam ego vobis quandam oratione ſolutâ dabo, quam vos ligatâ mihi in hujus camini albo reponite. Paruimus uterque, ſed ecce*

frater

frater meus penè totam camini faciem denigrarat multitudine versuum, cum ego vix tribus reddidissem. Ibi pater lectis utriusq; versibus, in hæc verba nos compellavit : Volo fidem vestram, filij, in verba mea, quæ dicturus sum, obstringatis, velle vos ea omni deinceps vitâ rata habere sanctéq; observare & exequi ; cumq; reverenter annuissemus : Volo, inquit, *jubeoq; te Alberice, deinceps abstinere à versibus scribendis, te verò Scipio pergere : ita fiat.* Hæc ille mihi sæpè cum risu. Sed vel hinc de Patris ingenio judicium capi potest. Ibidem & Græcis literis, Doctore *Martino Crusio*, viro optimo & eruditissimo studiosè se dedit, quem & deinceps, ut Præceptorem, veneratus est, & honestissimè omni vitæ tempore de ipso locutus: quod tantò lubentius in laudem Gentilis nostri recito, quantò plures hodiè reperire est sciolos & fermentatos adulescentes, qui præceptores in pueritiâ vel adulescentiâ suos non modò ignorant, quod turpe tamen est, sed fastidiosè ac superciliosè despiciunt, & nescio, quibus, probrosis appellationibus deformant, quod impium est & immane. Alius hic noster Gentilis, qui non modò Adulescens Præceptores suos venerabatur, sed & toto vitæ suæ curriculo memoriam eorum sanctè & reverenter conservabat : Nihil etiam gravius ferebat in adulescente, quàm Præceptorum contemtum. Memini sermonis cujusdam ejus, quem in publico Senatu nostro habuit ante hos annos XII. Accusabat coram Senatu discipulum suum præceptor privatus, à parentibus illi custos additus, quòd ab eo pulsatus esset, quia officij eum commonuisset : Eo facto, narrato & auditâ impij discipuli confessione, cohorruit toto pectore optimus Vir, & cum illum objurgatum atque pœnâ inflictâ Senatus demittere jam vellet, his prius verbis compellavit : *Tu verò, miserrime, ob hoc factum, adulescens, DEVM seriò ora, uti in hac pœnâ nostra ipse adquiescat etiam, neque gravius aliquod ob hoc facinus supplicium à te reposcat.* Nè enim nescias, accepi ego à summis Viris, virum Illustrissimum quendam Præsidem Galliæ summum, cum esset præfectus capitalibus caussis, hoc in more habuisse, ut, cum aliquis capitis damnatus esset, ad extremum interrogaret damnatum : nunquàmne in vita parentes aut præceptores pulsasset, aut probrosis dictis incestasset, addebantq; illi, confirmasse sibi Præsidem intra illos sedecim annos, quibus ille capitalibus causis præsedisset, vix quatuor damnatos immunes ab alterutro fuisse. Hæc tum ille graviter & verè. Verùm è diverticulo in viam. Cum Tubingæ satis diu mansisse se putaret, animum adjecit ad Witebergensem Academiam, eoque Patre non repugnante

 concess-

conceſſit : Vixit ibi inter illuſtres & nobiliſſimos juvenes ex pari, tùm generis prærogativâ dilectus, tùm variæ eruditionis apparatu: In eo conſortio fuit Illuſtris & Generoſus D. D. *Ludovicus à Seyn, Comes VVitgenſteinius Dn. Homburgi* : qui veterem hunc conſalinum ſuum Anno Sal. 1608. Sereniſsimi Electoris Palatini Legatus, in comitijs Ratisbonenſibus, & me comitem clementer admodum & benignè accepit, veterisq; illius converſationis & pluribus, & jucundiſſimè recordatus eſt. Ibi, cum ille in juris Civilis ſtudijs jam confirmatus eſſet, incidêre ea in Styria & Carinthia tempora, quæ jubebant; aut Romanis placitis ſtare, aut migrare : quorum hoc potius viſum Matthæo Gentili Patri noſtri Scipionis, itaque ad filium Albericum in Britanniam conceſſit, utque alterum filiorum propiorem haberet, in Belgium, ejusq; novam quidem tùm, ſed florentiſſimam Academiam, Lugdunum Batavorum adire juſſit. Dabant illi ſplendorem duo *inſignia literarum lumina. Hugo Donellus* JC. & *Iuſtus Lipſius*, quorum utrumq; & audivit docentem, & familiariter quoque novit; atque hic quidem in literis non niſi *veterem amicum* appellavit: ille verò, cum Deo ita ducente hîc rurſus conjungerentur, usque ad extremum ſpiritum omni adfectu cum hoc noſtro certavit, & Reipubl. huic, tanquam ſi filius ſuus & ex ſe natus eſſet, commendavit. Tandem cum animadverteret vitæ Academicæ illius, & ut ita dicam vagabundæ tædium ſibi obrepere, cupereq; Patrem ævo jam & curis partim, partim morbis fractum videre, & ſe alterum filium honeſto loco conſiſtere, & doctrinæ ſuæ fructus in plureis ſpargere, Baſileam conceſſit, ut honores in jure ſuminos inde referret; quos omnium ſtudia & affectus jam diu illi meritiſſimo ſuo tribuebant. Incidit ibi in ægrum & morti vicinum jam *Franciſcum Hotomannum*, quem, cum propter nominis celebritatem & officij causâ inviſeret, & in ſalutatione illa *Excellentiæ* titulum tribueret, ille in hæc verba reſpondit : *Quid tu verò*, mi Scipio Gentilis, *Excellentiam meam dicis : meum naufragium dic, meam miſeriam, meam internecionem, morior nunc ego, & omnia mea mecum, quæ imprudentia vivo eripuit, (* τῆς χρυσοποιΐας ſive Alchymiæ ſe ſpei crediderat infelix, & ſic bonis elaverat *) tu verò creſce, florentiſſime juvenis ; nam aut me omnia fallunt, aut tu non meam ſolùm, ſed & aliorum ſummorum Iuriſconſultorum famam, ſi non obſcurabis, æquabis certè ; ita nunc ſe profert ingenium tuum.* Hoc magni viri judicium, quia pudore ingenuo prohibitus ipſe paucis aperuit, immortui memoriâ celebrandâ celari à me, cui aliquando, tanquam

aliud

aliud agens, crediderat, minimè debere existimavi. Floruit ibidem quoq; notitiâ atq; amicitia Illustrium ac Nobil.ssimorum hominum, è quibus Illustres & Generosos *D. D. Ernestum, & Guntherum Comites à Nassau: Ernestum, VVilhelmum, Ottonem Reinhardum & Philippum Comites Solmenses, Carolum item Comitem Ortenburgicum* (qui omnes & spectatores & testes fuere Doctura ipsi, Decano *Basilio Amerbachio*, Promotore *Samuele Grynæo*, Rectore *Felice Platero*, publicè collatæ a.d. 17. Kal. Mal Anni Sal. 1589.) nominare lubet. Voti ibidem sui compos abundè redditus, Heidelbergam concessit, ubi jus docebat Julius Pacius à Beriga, Vicetinus, popularis Gentilis nostri, cum quo, ut solet inter magna ingenia, æmulatione de studijs exorta, non ita rectè illi conveniebat; quando verò animadvertebat factionibus etiam se peti & oppugnari: addictam enim sibi Pacius juventutem habebat, relictâ Heidelbergâ Altorfium pervenit: huic enim Academiæ Virtus illa & ingenium debebatur, uti ne catena illa *Freigiorum, Giphaniorum, Donellorum, VVesenbeciorum*, numinum & luminum Jurisprudentiæ intercideretur suo tempore, sed per ipsum, & qui mox ei accessit incomparabilem C. Rittershusium, cujus item anima in benedictione, eosq;, qui nunc Cathedram illam premunt, continuaretur ac produceretur. Huc veniens adduxit secum Illustrissimum adulescentem *D. Carolum*, antiquioris prosapiæ *Comitem in Ortenburg*, quem illi inclytus propinquus, *D. Ioachimus*, summi animi summarumq; Virtutum Heros, adjunxerat, morum vitæq; rectorem: nam studiorum ipsi formator *Nicolaus Regenstorfius Bremanus* magni ingenij doctrinæq; juvenis jam constitutus erat. Repetijt hîc veterem illam cum Donello contractam in Belgio amicitiam atque familiaritatem, multum gaudente summo & constantissimo in amore illo Viro, qui, ut suprà jam attigi, nec adquiescendum sibi putavit prius, quàm illum Collegam sibi additum videret: nec res multi magniq; laboris indiguit apud inclytum Reipub. nostræ præpotentis Senatum, qui, cum ultrò Academiam suam omnibus ornamentis celebrem & insignem esse vellet atque optaret, gravissimus autem ingeniorum atq; animorum juxta censor esset, facilè cujus dotes jam agnoscebat, in ejus promotionem consensit. Itaque Institutionibus interpretandis initio datus, mox exserente se admirabili & stupendâ ingenij felicitate, Pandectarum Professor constitutus, V. A. tandem *Petro VVesenbecio*, precibus Ducum Saxoniæ, quibus contradici non poterat, nobis erepto, sine ulla ambage Codicis, Anteceſſoriq;

primarius ab Ampliſſimo Senatu deſtinatus, inq; Conſiliariorum Reipub. numerum honoratiſſimum cooptatus eſt, in quibus provincijs obeundis, ſtrenueq; & gnaviter exornandis, ipſos XXVI. annos, & quod excedit, peregit. Quo toto tempore ea fide & induſtria omnes partes Juris perſecutus eſt, ut laudem brevitatis & perſpicuitatis, quæ rariſſima & pauciſſimis cõtingere ſolet, ſimul omnium rectè ſentientium calculo conſecutus ſit & reportarit; adeò de obſcuris perſpicuè, de perplexis ordinatim, de dubijs accuratè diſſerebat, neq; diſſerebat modò, ſed & ſcribebat. Loquantur pro me libri ab ipſo in publicum dati, inprimis nobiles illi & famoſi *de Iurisdictione*, qui nec a ſummis quidem JC.tis ſatis commendari poſſunt. Loquantur libri *de Donatione inter Virum & Vxorem*, *de Conjurationibus, & Orationes Imperatorum variorum.* Ex quibus omnibus apparebit, illum artem illam juris, ob quam Servium Sulpitium Cicero tantoperè commendavit, plenè perfecteq; tenuiſſe & poſſediſſe, & difficilimas intricati juris quæſtiones, tanquã tabulas pictas, in bono lumine collocare potuiſſe. Commendabat ſummam illam Juris peritiã exactiſſimãq; docendi methodum etiam id, quod in docendo cum ſenionibus illis JC.torum *Trebatijs, Labeonibus, Modeſtinis, Papinianis, Vlpianis*, ſemper conjungeret etiam eloquentiæ ptoceres & Naturæ Conſulto, ac ſententijs veterum Philoſophorũ, Medicorum, Poëtarum, Oratorũ, Legum interpretationẽ tanquam gemmulis quibusdã diſtingueret, nullaq; penè hora laberetur, quâ non *Ariſtotelis, Platonis, Solonis, Chryſippi, Homeri, Demoſthenis, Ciceronis*, aliorum frequens & crebra mentio: quorum ſcripta ignorare & ſuperbè contemnere, contrà Barbarorũ quorundam Doctorum tricis & lacunis immori, hodiè ſecundum quosdam, ſuperioris ævi barbariem καὶ ἀχροιξίαν revehere contendentes, ſtudioſi juris virtus eſt, & magnæ ſpei documentum. Alius animus Gentili noſtro & rectior, qui, quantum ornamenti, quantum lucis politiora illâ ſtudia Jurisprudentiæ fænerarentur, probè noverat, & libris *Parergorum, Expoſitione Apologiæ Apuleianæ*, alijſq; ſcriptis amœnioribus publico oſtenderat. Quibus ille rebus omnibus conſecutus eſt, ut per omnem Europam celebritate nominis floreret, & à ſummis ejusdem Principibus ad docendum jus evocaretur, ſplendidiſſimis conditionibus, quas nè alij quidem animo concipere poſſent, multò minus exſpectare aut appetere, ultrò oblatis & propoſitis: E quibus vocationibus duas ſaltem hîc attingere lubet, (Gallicanâ Heidelbergenſiq; omiſſis) *Clementis Octavi Pontificis Romani*, qui Bononiam religio-

religionis libertate propositâ venire jussit, & Illustrissimorum Hollandiæ ordinum, qui & suis eum & *Mauricl Auraici*, Martis Germanici, & Curatorum Academiæ Lugdunensis tergeminis literis ab Amplissimo & Magnifico Senatu nostro indulgeri sibi perhumaniter & obnixè petierunt, & eas ipsi conditiones proposuerunt, quæ vix fidem, si referantur, inveniant. Verùm illi certùm, hîc vivere & mori in complexu hujus Reipub. quam ille ut matrem indulgentissimam nec poterat de prædicare satis, nec satis venerari, quod & extremo penè spiritu ad D. Socerum testatus est, in sinu etiam hujus Academiæ, quam ut virtute sua auctiorem & celebriorem fecerat, ita meritis suis sibi obstrictissimâ devinctissimamq; habebat: in quo quidem generoso ipsius animo pariq; animo voto publicæ vitæ laudumq; ejus commemorationē sisto, pauciſſima additurus de vita ejus privata, & per eam ad beatissimū ex hac vita calamitosa exitum illius transiturus. Vivendi igitur ratio in Gentili nostro ex optimi parentis institutione proba, nuda & sine fuco. Adulescentia liberalis, ingenua, aperta, non ficta ad hypocriticam gravitatem, non infracta aut mollis ad luxuriam aut libidinem, sed læta, amœna, aliquando etiã in delicias & hilaritatem soluta. Hæc illi vita Pædagoga in senectute fuit, cum sederet judex petulantiæ & ferociæ Academicæ juventutis: nō enim mox Cassiâ severitate utebatur, aut minis Draconis Edicta scribebat, carceres, relegatiões, uncos aculeos intonabat, ut morosi quidã senes solent, in quos illud Pausaniæ *a*) quadrat: *ἔπεται πως τῷ γήρᾳ ἐς τὸ πλὺ ἐναντιᾶσθαι νέοις.* Sed meminerat ex Seneca, *b*) *donanda quædam esse ætati & ingenijs istis ad Virtutem erectis*; didicerat ex Gregorio: *c*) *in pejus proruere solere, qui à licitis prohibeantur*, agnoscebat mediocrem indulgentiã summam esse juventutis custodiã. Donanda autem censebat, ut idem sapiens loquitur, non portenta, sed errata, itaque si quis occurrebat, qui pudore devorato Deo, virtuti & disciplinæ repudiũ misisset, honestati bellum indixisset, ibi ille sine ullo cujusquã prærogativæ respectu offensionum minimè pavidus, & dicere quod sentiebat acriter, & punire graviter se & auctoritate sua dignũ existimabat. Extrà hanc provinciã, quam officij ratio ei imponebat, valdè etiam jam senior delectabatur consuetudine studiosorum juvenũ, cum quibus & in campos animi caussâ exspaciabatur, & ad se domũ invitabat, moremq; aliarum Academiarum animitus detestabatur, quo Professores quidam, quorum si DIs placet, *Infantia cœlum.*

a) *In Achaicis. b*) *lib. 10. Controv. 1. c*) *lib. 1. Ep. 42.*

Hauſit Aventini, baccis nutrita Sabinis. a)

auctoritatem ſuam imminui convelliq; cenſet, ſi verba ſtudioſo faciant, aut alloquio dignum judicent, ſi non per interpretem omnia agant, aut etiam per codicillos : apage iſtud ſupercilium, non ita viri magni, qui indicium doctrinæ ſuæ, ubique humanitatem, ubique comitatem, ubique facilitatem præferunt, oſtendunt, exercent, haud aliter quàm Solem facere videmus, qui cum plurimum poſſit, non minus tamen omnia ſupera infera ſplendore ſuo colluſtrat, radijs calefacit, & fovet. Ergà Deum quá pietate fuerit, qua conſtantia in religione, jam adoleſcens ſpontaneo exſilio indicium dederat, quod omni vitâ continuavit, & ipſa ſacra, & ſacrorum interpretes priſcos ſtudioſè legit, à recentioribus vel ideò abſtinuit, quod impreſſa nimis manifeſtè affectuum vehementium veſtigia videret, nec in tam ſerio negotio ferre poſſet : Illos verò Deûm & rerum divinarum contemtores verosq; Mezentios Virgilianos, qui de Deo aliquid noſſe infra ſuam conditionem & nominis ſui dignitatem eſſe credebant, quales proh dolor hodiè multi in aulis Principium, toto pectore abominabatur, & ſenſuros tandem, quem ludibrio habuiſſent, ſeriò conteſtabatur. Atq; ita ergà Deum & ſacra animatus erat, cui recitationi meæ fidem faciunt Pſalmi penè omnes ab illo carmine redditi, quibus ille omnium aliorum in eo genere conatus, ſpes & vota longè ſuperavit. In Collegas verò, quamdiu vixit, humanum fuiſſe, in cives facilem & benignum, in advenas hoſpitalem, in diſcipulos fidelem, in paupereſ largum & munificum, id verò nemo ignorare hic potuit, niſi qui ipſum ignoraret : domi modicus erat, non ſumptuoſus, elegans, non magnificus, ſumma : in omni converſatione commodus, ſic lenis ut non deſineret eſſe gravis, ſic gravis, ne abiret in moroſum. Atq; ſic quidem vitam inſtituendo cœlebs manſit usq; ad annum Sal. cIↃ IↃ CXII. non mutaturus etiam ſtatum, niſi captivaſſet illum & formæ, & morum, & virtutum ornamentis omnibus ſuprà ſexus etiam ſui conditionem conſpicua lectiſſimaq; virgo, *Magdalena*, Nobiliſſimi & Clariſſimi per omnem Europam Viri *Caſaris Calandrini*, Patriciâ pervetuſtæ celeberrimæq; Lucenſis in Italiâ Reipub. familiâ oriundi, filia : illius enim dotibus, paternisq; virtutibus, & conſtanti multorum annorum amicitiâ delinitus uxorem ſibi illam petijt, nec difficulter impetravit, cum quâ, quicquid illi ævi reliquum fuit, ſine querelâ beatiſſimè tranſegit, au-

ctus

a) *Iuvenal. ſat. 3.*

ctus utriusq; ſexus prole, filio *Ægidio Alberico*, & filia *Eſthera Magdalena*, in quibus chariſſimæq; Conjugis benevolentiâ & fide ita ſe oblectavit, uti nihil ſibi ad ſummam & invidendam tranquillitatem deeſſe gratus agnoſceret, Deumq; proinde meritis præconijs ob eam rem collaudaret & veneraretur. Sed ô lubrica hujus ævigaudia! ô ſomnia aut umbram potius ſomniorum! Dum ille beatiſſimè vivere ſibi videtur, mors illum ſuperiori anno per ante ambulones ſuos aggreditur, vehementer nimirum & crebrò repetitas fluxiones, tandem menſe Julio per pertinaciſſimam dyſſenteriam, quam licet diligentiſſima Medicorum doctiſſimorum cura & ſtudium expugnaſſet tandem, tamen ita vires & corpus amiſerat, ut recuperandis illis non ſufficeret: unde facilè prævidebat animo, quid de ſe futurum eſſet, idq; alieno monitus exemplo, quod ad gratulantes ipſi de ſuperato tam periculosò morbo edixit: *Relatum eſt mihi*, inquit, olim de *Iulio Cæſare Scaligero, cum quoq; graviſſimo morbo ſuperato, cum certatim illi amici gratularentur, cum gemitu illis reſpondiſſe: Morbum*, inquit, *DEI beneficio ſuperavimus, ſed unde vires recipiemus, quas pertinacia morbi dejecit & proſtravit?* Idem & ego uſurpare poſſum, & fortaſſe non magis fallar, quàm falſus eſt Scaliger, qui recolligere ſe ultra non potuit, ſed fatis & naturæ ex eâ infirmitate conceſſit. Utinam verò, mi Gentilis, in hoc augurio deceptus eſſes! ſed Deo aliter viſum, cujus voluntatem cum intelligeret, de ſe capto indicio, quanquam difficile illi erat ab uxore ſui ſtudioſiſſimâ dulciſſimisq; liberis avelli, quod nec diſſimulavit: tamen ad patientiam & parendum vocanti Deo ſe totum compoſuit, utq; in pace ſe dimitteret, ardenter eundem obteſtatus eſt. Vix poſſum ſine lachrymis recordari, cum illi pridie illius diei, quo vitam clauſit, lecto adſiſterem, isq; cum acutiſſimis doloribus conflictaretur, ſine tamen ullo motu vehementi aut indicio, in me reſpiciens: Ah inquit, mi Piccarte, **wie bitter!** ad quæ verba ego: *Et aqua illa, quam in deſerto Iudæi bibebant, amara erat.* Sed quid ibi Moyſes? lignum injecit ſalutare, & omnem amaritiem edulcavit: *Sic tu ligno crucis Salvatoris noſtri Chriſti*, Mi D. Doctor, *edulca etiam hanc amaritiem, quæ brevi tibi vertetur in æternũ dulcedinem.* Ibi ille: rectè mones, Chriſtus Jeſus eſt ſpes & reſurrectio mea, cujus ſanctiſſimum nomen ſubindè, ut verè auxiliare & ſalutiferum ſedulò ardenterq; imploravit, qui tandem 7. Id. Aug. intra tertiam & quartam pomeridianam, vota gemitusq; ejus exaudivit, & inter preces chariſſimæ conjugis, (quæ ſtupendâ animi firmitate & nunquam ſilendo pectoris ro-

ris robore, adſedit valetudini chariſſimi mariti ſemper, deficiẽtemq; fovit, & inter manus ſuas morientem Deo commendavit) aliorumq; adſtantium, cum capite annuiſſet interrogantibus, an cuperet diſſolvi, & cum Chriſto ſuo eſſe, placidiſſimè vivis exemtum ad ſe in ſedes beatorum ſuſcepit. Atq; hæc vitæ Cataſtrophe fuit Scipioni Gentili noſtro, proh dolor non amplius noſtro, præclarè toti vitæ fabulæ peractæ reſpondens: luctuoſiſſima tamen matronæ lectiſſimæ derelictæ ab ipſo viduæ, quæ miſera nunc prorſus doloribus ac debilitata mœſtitiâ jacet: luctuoſiſſima item huic Academiæ noſtræ, cui ille Pater & Patronus: luctuoſiſſima deniq; toti rei literariæ, & inprimis Jurisprudentiæ. Tibi verò, *Scipio Gentilis*, ô auguſte anime, cœlo nunc recepte, exoptatus ille fuit tranſitus, æternæq; vitæ & lucis natalis: Compleveras Tu curſum tuum vitæ & gloriæ præclarè & laudabiliter, neq; dabatur ex ſummo humanæ felicitatis cacumine via, niſi in hoc mortis præcipitium: Tu cum magnis ſemper honoribus perfunctus eſſes, ita tamen rem inſtituiſti tuam, ut majoribus ſemper homines dignum te judicarent: Tu invidiam laceſſere te auſam & fortiter contemſiſti, & virtute atq; conſcientiâ generosè fregiſti: Tu odia & impetus multorum irrationabiles & tantò acriores, quantò iniquiores invicto animi robore pertuliſti, patientiâ mitigaſti, comitate & virtute exſtinxiſti: Tu deniq;, quod in parte felicitatis aliquâ priſci ſapientes poſuerunt, in ipſo ſenectutis limine impendentia ſequioris ætatis incommoda & temperorum hanc ingruentem noctem beatiſſimo exitu antevertiſti. O te igitur ter quaterq; & μακάριε etiam beatiſſimum, ô nos contrà miſerrimos, quos in quæ tempora Deus reſervarit, non eſt difficile colligere. Quod ſupereſt, ſi quis eſt tibi poſt mortem relictus humanarum rerum ſenſus, gratam hanc habe tui memoriam, gratam hanc meritorum laudumq; commemorationem, certusq; eſto, quicquid in te amavimus, quicquid mirati ſumus, manere manſurumq; eſſe in animis bonorum omnium & doctorum, in æternitate temporum, famâ rerum; jamq; adeò ô Beate Gentilis.

Æternum vale atq; ſalve.

Nos te ordine, quem DEVS præſcripſerit, cuncti ſequemur.

Tu verò, Æterne & trinune Deus, qui hoc vulnus nobis impoſuiſti, quia merebamur, qui idem ſubſtitutis Clariſſimis Jurisconſultis perſanaſti, quia miſerabaris, miſerere porrò quoq;, & placidus ac propitius huic Academiæ deinceps eſto, arce à nobis, quæ ſumus,

deincepe

deinceps calamitates hujusmodi & insignium hujus loci Doctorum funera: Serva & protege Magnum & inclytum Reipubl. nostræ Senatum, hujusq; Academiæ Curatores & Patres benignissimos, quosq; per omnem Europam omnibus Virtutum Civilium ornamentis inclytos esse voluisti, illis mollia quoq; largire tempora, altam pacem, tranquillitatem inoffensam, & omni bonorum genere cumulatissimè prosequere, ut in hac amœnissimâ Norici Provinciâ, tibi deinceps quoq; grata dicantur & fiant, in hoc autem liberalium artium atq; facultatum seminario utilia Reipub. Christianæ & ornamento futura, doceantur & discantur. Id fac, ô Deus per & propter Filium tuum unigenitum, qui cum S. S. tecum in æternitatem omnem vivit & regnat, Deus unus & trinus, Benedictus in secula.

DIXI.

MICHAELIS PICCARTI

ORATIO VI.

DE MISERIA HOMINIS.

QUæ causæ me ante has ferias per dies aliquot publico eripuerint, Auditores, plerisq; omnibus notas esse arbitror: Catarrhus videlicet pertinax, cum molestissima tussi, quæ ita caput & pectus insederant mala, ut de ipsâ vitâ non semel addubitare inciperem, & repentinum aliquem casum apoplecticum metuerem. Testor autem serio, & verè vobis ac sine fuco confirmo: vix tam morbum mihi molestum fuisse, qui tamen egregiè me exercuit, quàm quòd Juventuti nostræ adesse, & ordinarium docendi munus obire non possem. Novi enim, si quisquam alius, temporis, ut rei preciosissimæ, jacturam irrecuperabilem esse: urgebant & aliæ causæ, ac dolorem incendebant, quas promere hîc & aperire nihil adtinet. Sed videlicet ista vis major erat; itaq; quando aliud non poteram, quùm per morbi violentiam vel parum liceret, obortæ mihi de miseria humanâ cogitationes sunt variæ, cujus insignia documenta nihil erat, cur foris quærerem, cùm evidentissima sæpè domi habuissem: obortæ etiam de stultitia & te-

meritate infelicis hujus animalis, quod cùm miſerrimum prope omnium eſſet, adeo tamen animis efferatur, & præſumtionibus inanibus inflетur, ut non modò ſe ipſum prorſus ignoret, ſed & DEO & brutis imperitiam ſuam & ſtoliditatem traducat. Fecêre illæ animi ſaucij cogitationes, ut quæ ſuper hac materia vel legeram olim, vel ad privatos uſus enotaveram, revolverem & relegerem, & cum viro bono vel otij etiam ratio reddenda videatur, collecta cum dilectu, tanquam in faſciculum aut pugillum potiùs, vobiſcum communicarem: quin & ideo, quòd, ut ille ait, *a)* Φέρει τι διαμυθίαν τινὰ τοῖς τὰ μέγιστα πεπονθόσι τὸ περὶ ἀυτῶν εἰπεῖν; quod latinè expreſſiſſe mihi alius ſapiens pulcherrimè videtur, cùm inquit: *b)* Eſt quædam in ipſis malis miſerorum voluptas, & omnis adverſa fortuna habet in querelis levamentum. Sperabam etiam fore, ut, quamquam hæc recitatio non adeò multum voluptatis haberet, (neq; enim id materiæ & argumenti mei ratio permittit, πλαγιαδῶντα quippe ἐν τοῖς ὀικείοις audietis πάθεσιν: *c)* nonnihil tamẽ utilitatis in commune haberet, & morbis humani generis ex parte mederetur: ea verò medicamentorũ eſt ratio, ut palato quidẽ ingrata ſint utplurimùm, effectu tamẽ ferè commendentur, & ab ægrotis minùs gravatim recipiantur.

In quo inſtituto meo non leviter me confirmavit inſignis veſtra Humanitas, tot jam multoties argumentis perſpecta, quam etiam inter primarios ſtudiorum meorum fructus & præmia recenſeo. Nihil enim immutatum, & meæ conſcientiæ mihi promittit puritas, & veſtri honoris ac dignitatis ſtudium, cultus & obſervantia perpetua, quam, ut deberi à me vobis virtutis Doctrinæq; veſtræ reſpectu probè noveram, ita lubens meritoq; deferendam ſemper cenſui, & quantum in me fuit, omni loco, tempore, atq; occaſione feci & exſecutus ſum.

Nihil igitur nunc aliud peto, Magnifice D. Rector, Clariſſimi, Excellentiſſimi, Doctiſſimiq; DD. Collegæ, Generoſi item, Nobiliſſimi & Ornatiſſimi Juvenes, quam, ut me iterum hoc dicendi pelagus ingreſſum, priſtini favoris veſtri aurâ provehere non dedigneminì. In veſtrâ enim manu ſitum eſt, ſinuare vela noſtra, ne pendula & flaccida, neve reſtricta & caperata ſint. *d)*

Ut verò huic Orationi meæ ſua conſtet ſeries & ordo certus: Primùm quid cõmuniter de Homine ſenſerit priſca Sapientia, narrabo: Tria

a) Libanius Sophiſta Declam. 33. b) Seneca l. 4. Controv. 1. c) Dio Pruſæus orat. 80. d) Apul. de Deo Socratis.

Digitized by Google

Tria deinde ejusdem potissima tempora: Ingressum in hunc mundū, Hospitium in eodem, & demum Egressum considerabo: quibus pertractatis subjungā etiam quædam de vecordiâ Hominis seipsum usq; adeò ignorantis, ut vel Deo litem movere; & de statu dignitate cum eo contendere nihil vereatur, de insigni etiam ejus stultitiâ.

Hominem igitur DEORUM immortalium κτίσμα & Creaturam esse, ne Gentilium quidem Philosophia negavit, sed quâ causâ conditus ab ijsdem fuerit, non idem semper & omnes sensêre. Multi enim existimârunt, hominem ideò solùm factum, ut esset παίγνιον καὶ ἄθυρμα, ludus fritillus & pila Deorum, quem pro suo versarent arbitrio & voluntate, quiq; coram ipsis Histrioniam ageret, cujusq; vita Mimus esset & fabula, cujus spectaculo exhilararentur & suaviùs haberent: in quâ sententiâ olim Augustus fuit, Imperator verè Augustus: *a*) qui morti jam vicinus, amicos admissos & circumstantes percunctatus est: Ecquid ijs videretur mimum vitæ commodè transegisse? itaq; adjecit & clausulam,

Δότε χρότον καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κροτήσατε.

Alij, qui plus viderunt, factos initio à DIs homines censuerunt, suæ felicitati proximos ad voluptatem quidem etiam, ut in ijs tamquam speculo se contemplarentur, in ijs & cum ijs se oblectarent, eorumq; cōversatione gauderent. Hos verò vel ingenij pravitate, vel superbiâ & animi tumore contendisse cum Dijs, & æquare se ijsdem voluisse, bellum etiam movere ausos, & illud Gigantéum usurpasse, ἢ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σε.

Dejectos igitur cœlorum sede & in mundū hunc detrusos, tamquam in carcerē ad supplicia & meritissimas pœnas. *b*) Est hic carcer sævus, vario aëre & pestilente sæpiùs infect⁹ & infestus: eodem statu aut temperamento penè numquā, sed, æstu modò noxius, modò frigore urens: ventorū nunc procellis inquies, mox nivium floccis caliginosus, iterum aquarū imbribus turbidus, fulguribus etiā quandoq; terribilis & fulminibus violentus. Hic carcer nō solùm in metu perpetuo homines cōtinet: sed & alios rui sum excogitare cogit parvos carceres, urbes, & domos ac vestimenta, haud alitér, quàm si quis in spatioso carcere cellas instruat complures, & veluti Tulliana quædā. Porrò ut detrusis ac detentis in carcere, nisi cibus præbeatur, deficere illos est necesse & emori, quæ mors suppliciorum foret terminus:

a) *Suetonius in ejus vita c. 99. b*) *Dio Prusæus in oratione 30. quæ inscribitur Charidemus.*

ut in carcere noſtro durare queamus, & pœnis ac tormentis diutiùs ſufficere poſſimus, alimenta nobis è terrâ proveniunt, & cibi, & potus: ſed ijdem tales, quales quisq; præbere ei velit, cui peſſimè cupit. Nam & parcè terra nobis promit, & non niſi multo labore ac ſudore vendit, & deniq; impuros, vel terræ aliquâ malignitate, vel aëris vitio contactos, & innumerabilium morborum effectores. Præter hæc incommoda in ipſis quoq; nobis, tortores perpetuos & ſævos admodum circumferimus. Cùm enim animo & corpore tamquam partibus conſtemus: Animum quidem obſident & exagitant adfectus varij: Cupiditas, amor, ira, odium, invidia, ægritudo, qui ita eum rotant, ita verſant, ita diſtendunt & intendunt, ut Ixion beatus præ illo fuiſſe videatur. Quos tortores, ſi maximè ratio, pars animi melior, ſuadendo mitiget interdum, ſævire tamen mox reſumtis viribus non ceſſant, haud ſecus quàm feræ, objectâ offâ, vel demulcendo cantandóve pauliſper mitigatæ, facile in naturam redire ſolent. Jam corpus noſtrum, quod veriſſimè cellam gemituum & triſtitiæ domum cum Caſſiodoro Magno dixeris, quot tortores circumſtant morbi? ex tam variâ diverſiſſimarum naturarum compage, carnibus, ſanguine, oſſibus, venis & nervis orti: Nunc vertigines verſant, nunc convulſiones raptant, mox apoplexiæ ſternunt, rheumata & catarrhi ſuffocant, ſanguinem nunc fœdat & cutim incruſtat lepra, & quis tot mille morborum nominibus recenſendis ſufficiat? Foris autem tot ſuppliciorum inſtrumenta, & tormentorum genera parata nobis ſunt, ut quoquò te etiam vertas, prope ſit tibi, quod noceat, affligat, perimat. Aërem hauris, inficere te poteſt; aqua quam cernis, mergere; ignis urere; præcipitia perimere; feræ conficere. In hoc carcere vivendũ eſt: in hoc metu agendum: in his cruciatibus durandũ plerisq;, donec alium, aut etiã plureis ex ſe procreatos relinquant cruciatuũ ſucceſſores, tamquam hoſtias ſuccedaneas; tunc enim ubi viderint & ſuos affligi, emitti per maximã ægritudinem, quam mortem vocamus, ex hoc carcere ſolent. Sicut verò ij, qui captivi invinculis detinentur, non ſunt omnes ejusdem ordinis & conditionis, ſed alij nobiles ſunt, alij ignobiles, alij factioſi, alij humiles: Ita in hac mundi cuſtodia, clauſi tenentur omnium ordinum & ſtatuum captivi: Principes, ſubditi, nobiles, ignobiles, divites, egeni, qui omnes tamen pari jure agunt & utuntur, niſi forte magis illos torqueri cenſeas, qui prærogativâ aliquâ ſuperiores videntur. Nam ut vincula magis ſtringunt obeſos & benè habitos,

bitos, minùs macilentos & exſuccos : ita Regibus & potentibus ſeculi, graviores ſunt compedes, & moleſtiora vincula, quàm privatis, & ſuâ modicâq; ſorte contentis: Zenobiam Reginam nobiliſſimam, & Arſacen Regem, aureæ compedes tamquam nova fortunæ ludibria, magis & penitùs affecêre, quàm militem gregarium ferreæ: Eadem prorſus hîc ratio. Sunt autem potentiorum compedes, ſpes & inflati potentiâ vitreâ animi, atq; ampullo ſæ ingentesq; minæ & promiſſa, quæ ubi eventum non ſortiuntur optatum, ut fieri plerumq; ſolet, graviora ſunt & intolerabilia quovis vinculo aut compede; rodunt enim animum, & vagantem atq; exſpatiatorem coërcent intra concellos ſuos, ubi ipſa tamdem impotentiâ ſuâ miſer contabeſcit. Hem tibi ſtupendam Hominis felicitatem atq; beatitudinem tamquam in ſpeculo : Ite nunc, & regna veſtra atq; imperia jactate Principes: proſapiam nobiles: potentiam divites. Quòd ſi hæc Idéa nondum deducit vos ad illud cœlo delapſum Γνῶθι σεαυτὸν: agite ſequimini me ad tria vitæ humanæ tempora : Intuebimur ortum noſtrum & ingreſſum in hunc mundum : conſiderabimus ſpatium, per quod in eo hoſpitamur, quod vitam vocare conſuevimus: delibabimus exitum, quem mortem; & ſi quid erit intellectus in nobis reliquum, ſapiemus ſanè tamdem, & tumorem ex animo ponemus, ſortem verò noſtram meritiſſimis lachrymis deplorabimus, & publico luctu proſequemur.

Primùm igitur conſtat, hominem ex tenui ſanguinis maſsâ coagulari, modò parum pudico & morbi ſpeciem præ ſe ferente, adeòq; vix duo homines decem menſium ſpatio edolatum unum reddunt puerum, ubi contrà una peſtilentia, hoſtica acies puncto temporis inmanes acervos facit; ſic ſpiſſiùs naſcimur, quàm morimur. Decumo pòſt menſe vix tamdem effunditur, ubi ipſe partus, multis & graviſſimis periculis obnoxius eſt, ut penè moriatur priùs, quàm vivere ceperit. Si res bene cadat, ex tepido matris utero nudus, in nudâ gelidaq; humo ejicitur ad vagitus ſtatim & ploratum, naturâ, miſeriam in nondum intelligente, ab ipſo ortus principio, deflente. Ab hoc lamentabili lucis rudimento, vincula, quæ ne feras quidem, ipſum excipiunt, & omnium membrorum nexus : ſic vitam à ſupplicijs auſpicatur : nec aliter regum gignuntur aut naſcuntur proles, quàm pauperum, quod falſo admodum dicterio verum docuit, Stratonicus, qui cùm intelligeret Timothei Regis matrem ſummâ cum difficultate partum edidiſſe, facetè inquit; Benè eſt, abundè eſt,

quòd Deum peperit: nam, si opificem, hui quales emisisset inter pariendum voces! Irrisit videlicet magnatum vecordiam, qui tametsi ijsdem vitam miserijs nobiscum auspicentur, sibi tamen honores divinos decerni haberiq; volunt.

Quando etiam cæteris animalibus variæ tegumenta largitur rerum Opifex, testas, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera: qui & arborum truncos cortice, eoq; interdum gemino à frigoribus & calore tutatur: hunc, ut diximus, nudum veluti naufragum, in hos vitæ scopulos ejectum alienis velat opibus: Pleraq; præterea brutorum se ipsa norunt,

Et fera quæq; suam vim sentit & inclyta dona
Naturæ, qua parte queat nequeátve nocere:
Dente lupus, cornu taurus petit. unde? nisi intus
Monstratum.

Immò antequam arma illa ipsis enascantur, nascitur intus eorum fiducia, & *a) Cornua, nata priùs vitulo quàm frontibus extant,*
Illis iratus petit, atq; insensus inurget.
Et catuli Pantherarum, scymniq; Leonum
Vnguibus & pedibus jam tum morsuq; repugnant,
Vix dum etiam cùm sunt ungues dentesq; creati.

Solus homo inermis nascitur & ignarus omnium, qui nec se, nec sua novit, nihil etiam sine doctrinâ proficit & crebrâ admonitione. Primà illum roboris spes quadrupedem facit, serus illi incessus, & non nisi palpitante & vacillante vertice, atq; in casum prono: serò firmum cibis os, sera loquela desideriorum index: deniq; nisi alienâ ei vita proferatur operâ, deficit inter principia, quorum alia omnia in brutis videas. Ut adeò non sine causâ dubitâtum olim à Sapientibus fuerit, novercane potiùs homini Natura fuerit & brutis mater, an contra.

Vide nunc sis, quisquis es & ride, aut exsecrare potiùs natales hosce, dementiam item hominum ab his initijs ad superbiam se genitos existimantium.

Jam vita ipsa Hominis & mora in hoc mundo quid est? Dicam initio, paucis: Universus homo, qui à puncto sui ortus jam morbus est, dum in hoc mundo primùm educatur, invalidus est & impotens, ubi succreverit parum, ignarus omnium, cùm puer jam manu ducitur, ineptus universi admirator, & solo sapit sensu. *b)* Ubi ex ephebis

a) Lucretius l. 5. b) Hippocrates in Epistolâ ad Damagetum.

phebis ad pubertatem proceſſit, temerarius: ubi ad virilem ætatem, ridiculus vitæ ſuæ diſpenſator, & inſanorum negotiorum geſtor: ſi ſenium contingat attingere, revoluitur in puerilis ætatis ineptias: omnes autē hos ætatis terminos miſcent luxuria, luctûs anteambulo, fermentata ambitio, vivēdi immenſa cupido, & ex eâ inſatiabilis nata avaritia, immanis & effera libido, rabies plus quàm belluina: pavor & conſcientiæ ſauciæ vermis: quæ omnia ſi abſint, perpetuus tamen & irremiſſus quidam cogitationum turbo implicat: *a)* Emam, ædificabo, rem & opes parabo, credā poſtea, exigam iterum, honores affectabo, Rempublicam gubernabo, in hoſtem pugnabo, uxorē ducam, Reipublicæ cives ſufficiam, famā mihi condam grandem & gratam: tùm demū laſſum ſenium & plenam ſenectutem in otium referam. Atq; hæc ferè felicium eſt vita: nam alios paupertas & fames ſubigit, alios æs alienum, ſcelera, carceres, & vincula in ſervitute æternâ tenent: in quibus tamē omnibus miſerijs ludus etiā ſumus & fritillus fortunæ: cujus munera faciunt impares, qui ſumus naſcendi vivendiq; cōditione pares: huic enim regnū confert & Principat⁹, illi generis antiquitatē & ſplendorem, iſti opes, alijs formæ decus, viriū robur. Ea ipſa tamen munera mox repetit & permutat. Potentiam & imperia Syris primùm dedit, erepta tranſtulit ad Medos, ab his ad Perſas, inde ad Macedones, Græcos, Romanos: Dionyſium à ſceptro, ad ferulam traduxit, Polycratem è throno in crucem egit, Crœſum in rogum, Cyrum in utrem: quâ cauſa fuere, qui vitam pompæ ſimilem dicerent, in qua fercula de manu in manum traduntur & auferuntur. *b)* Satin' autem placet vita hominis? Auditores, & quotus tamen quisq; noſtrū eſt, qui volens lubensq; mortem obeat? Quotusquisq; eſt, qui non habeat in animo, voveatq; turpiſſimum illud Mecænatis votum, *c)* quo & debilitatem non recuſat, & deformitatem & noviſſimè acutam crucem, dummodò ſpiritus ei paullùm prorogetur.

Debilem (inquit,) *facito manu,*
Debilem pede, coxâ
Tuber adiſtrue gibberum,
Lubricos quate dentes,
Vita dum ſupereſt, benè eſt,
Hanc mihi vel acutam,
Si das, ſuſtineo crucem.

Ecce

a) Seneca Epiſt. 101. b) Dio Pruſæus orat. 46. quæ eſt de Fortunâ ſecunda. c) Seneca Epiſt. 101.

Ecce, quod miſerrimum erat, ſi incidiſſet, optatur, & tamquam vita petitur ſupplicij mora. Infamia foret & dedecus publicum is, qui vivere vellet miſer usq; ad crucem. At Mecoenas hic, debilites me, inquit, licet, dummodo ſpiritus ſuperet in corpore fracto etiam & inutili: depraves licet, dum monſtroſo deformiq; temporis aliquid accedat: ſuffigas licet, & acutam ſenſuro crucem ſubdas. Eſt tanti, vulnus ſuum premere & partibulo pendere deſtrictum, dum differat id, quod eſt in malis optimum, ſupplicij finem. Eſt tanti, habere animam, ut agas. O turpitudinem effœminati carminis! ô timoris abjectiſſimi factionem! ô fœdam deteſtabilis vitæ mendicationem! *a*) Usq; adeóne mori miſerum eſt? cùm vivere ſit diu mori, & animam tot ſecum tormenta trahentem trahere, ſit multo maxima miſeriarum pars: Longè verò rectiùs Silenus, & qui ejus ſententiam approbarunt Thraces, qui optimum non naſci: ſecundum ab hoc quàm ocijſſimè denaſci ſtatuebant; *b*) unde & in partu ſuorum lugebant ac lamentabantur, in morte contrà tripudiabant, ratione ſui moris reddita hâc

Οἱ μὲν γὰρ ζώοντες ἀεὶ πανταία πεφῶσιν
Ες κακὰ, τοὶ δὲ κακῶν ἔυρον ἄπ@- φθίμενοι.

Sed hi paucis perſuadent: *c*) una enim hæc eſt catena, quæ plerosq; alligatos tenet, Amor vitæ, quam tamen vel invitis nobis ſolvit aut rumpit tandem Mors, de qua nunc ordo & filum Orationis meæ dicere jubet: Ea enim lex dicta eſt hominibus omnibus: Semel mori: Omnes hæc conditio devinxit: cui naſci contigit, reſtat mori. Neq; ſapientibus ſuis Rex Magnus immortalitatem petentibus, ſatisfacere potuit, quamvis ingentia pollicitus eſſet. Queritur de hoc Magnus Eccleſiæ Doctor: *d*) Undiq; in hac vitâ mors, luctus, deſolatio, percutimur undiq;, undiq; amaritudine replemur, & tamen cœcâ cupidine carnalis voluptatis ejus amaritudinem amamus, fugientem ſequimur, labenti inhæremus; & quia labentem retinere non poſſumus, cum eâ ipsâ labimur. Breviſſimum præterea vivendi ſpacium conceſſum eſt, ſi æternitatem cogites, nec ætatis aut conditionis prærogativa quemquam eximit: *e*) aliorum longiùs vitam patitur procedere; aliorum in medio flore præcidit, aliorum interrumpit principia fatalis neceſſitas; æquo etiam pulſat pede pauperum

a) *Virgil. 12. Æneid. b*) *Cic. extrema 1. Tuſcul. Lactant. l. 3. c. 10. Archias in Anthologiâ. c*) *Senec. Epiſt. 26. d*) *D. Gregor. de amore mundi. e*) *Seneca Epiſt. 66.*

rum tabernas, Regumq; turreis. Nemo eſt, qui craſtinum ſibi polliceri poſſit, omnis dies, omnis hora mortem minatur. Subitus & inopinatus nos ſæpe caſus eripit, & qui infirmior videbatur, quàm ut nocere poſſet. Anacreontis exitum vide, acino uvæ paſſæ ſuffocatus eſt. *a*) Fabium Senatorem Romanum pilus unus cum lacte epotus ſtrangulavit; nec defuit, quem ſtiria tecto decidens exanimarit: cui muſca fauces obſederit, & ſpirituum meatus intercluſerit. Eſt etiam hæc mors noſtra conjuncta cum ſummâ ægritudine, & exquiſitiſſimis acutiſſimisq; doloribus, quorum vel cogitatione animus humanus cohorreſcere ſolet, nec ab eâ reditus in hanc vitam, quâ cauſsâ plantis etiam concedere neceſſe habet homo:

Nam ſemel in culto cùm malva exaruit horto,
Aut apium vivax, foliúmve virentis anethi,
Vere reviviſcunt, alium & naſcuntur in annum.
Nos autem magni, ſapientes atq; potentes
Vt ſemel occidimus, ſub terrâ lumine caſſi
Dormimus longum, immenſum, craſſumq; ſoporem,
Donec vis tandem revocet nos major Olympo. b)

Magni verò nos & potentes, qui tales, DEUS optime! Imbecillitatis quin potiùs Exemplar, temporis ſpolium, fortunæ ludibrium, inconſtantiæ ſpeculum, invidiæ calamitatisq; trutina, reliquum pituita & bilis, umbra deniq; & halitus quidam fluens, & derepente, ut viſum etiam fugiat, evaneſcens: rectèq; adeo Seneca: Quemcunq; hominem videris, miſerum ſcias. Quos autem nos ipſos facimus? Eò enim Orationem jam deduco, ut & temeritatem ſummam & extremam hominum dementiam paucis quoq; ob oculos ponam. Homo eſt, qui in rebus humanis, fluxis adeò caducisq;, ſine quiete aut pauſa tumultuatur. Homo eſt, qui immani rabie in hominem ſævit, cùm feras & bruta ſimul ſtare videamus contradiſſimilia, nec Leonem feritas inter ſe dimicet, aut Serpentum virus. Homo deniq; eſt, qui majora ſemper affectat, ut minor evadat, qui ampliſſimos honores, maximas divitias, perpetuas voluptates, æternam deniq; in terris vitam ſperat & ſpirat, uno verbo, qui πνεῖ μὲν μέγα, ἰσχύει δὲ μικρὸν, multum ſpirat, poteſt parum. Non igitur ſine cauſsâ Zoroaſtes olim: O Homo audacis naturæ miraculum. At quid ad hæc mens ſuperior & divina? quid aliud, niſi rideat vanitatem

a) *Plin. lib. 7. c. 7.* *b*) *Theognis in Epitaphio Bionis.*

tatem hanc noſtram. Ecquis, amabo, noſtrum tam ſeverus ſit, & ſubducto ſupercilio, qui riſum contineat, ſi formicas aut alia minora animacula, de grano aliquo farris contendere, aut ob terræ glebulam, ſuperiorémve aliquem locum acies inſtruere, & bellum moliri, ac prælium depoſcere videat ? & nos ipſi tamen hic quotidiè longè abſurdiora, longè magis ridicula adgredimur & tentamus.

Hanc temeritatem porrò (ut rarò ſejuncta ſunt) comitatur inſignis quoq; ſtultitia. *a)* Cùm enim eam ob cauſſam initio homines in civitates convenerint, uti ne qua injuriâ ab externis afficerentur, ipſi deinde in civitatibus collecti omni genere injuriarum ſe impetunt, tamquam in hoc ipſum coijſſent, & intra muros ſe incluſiſſent. Cùm deinde morbos, tamquam gradus ad interitum & mortem, unicè metuant, morbidis tamen non abſtinent, ipſis in hoc brutis ſtultiores : neq; enim ſitim, quam beſtijs limpidi ſedant fontes, ipſis quoq; reſtinguunt, ſed, his præteritis, Vinum Chium aut Lesbium, aut ſi quod aliud his nobilitate ſuppar, faſtidioſè quærunt, neq; etiam terreſtri aut parabili, faciliq; cibo fami medentur.

—— —— Numidarum paſcimur orie
Phaſidos & damnis arceſſitur inde macellum,
Vnde aurata novo convecta eſt aquore pellis.

Neq; ſumus ad popinam dentibus, & ventre & ore contenti, oculis quoq; guloſi ſumus : *b)* Et quis hîc non exclamet

—— —— O ſtulta & prodiga rerum
Luxuries, numquam parvo contenta paratu,
Et quæſitorum terrâ pelagóq; ciborum
Ambitioſa fames, & lautæ gloria menſæ !
Diſcite, quàm modico liceat producere vitam,
Quantillum Natura petat, c)

Quodq; αἱ τῷ σώματι χρείαι ἐναρίθμητοι ſint, corporis neceſſitates exiguo comprehendi poſſint numero. *d)* Neq; porrò vulgaris ſtultitiæ illud argumentum eſt, quòd, cùm mors cervicibus noſtris inmomenta impendeat, nos tamen immortales animo ſemper agitamus cogitationes : *e)* navigationes longas, & pererratis littoribus peregrinis ſeros in patriam reditus proponimus, militiam & caſtrenſi-

a) Dio Pruſæus oratione 6. quam inſcripſit Diogenem, ſive de Tyrannide. b) Seneca 3. N. Q. c) Lucanus l. 4. Pharſal. d) Dio Pruſæus Oratione 18. de Avaritiâ. e) Seneca Epiſt. 101.

ſtrenſium laborum tarda manupretia, officiorum per officia proceſſus, hæreditates ab avis atavisq; & cognatis repetitas, & opum luculentarum acervos, cùm interim ad latus mors eſt, & omnem iſtam ſomniorum noſtrorum catenam repentino & improviſo diſſecat & incidit ictu.

Principum autem & eorum qui præſunt, furorem quis ferat? qui Deo ſæpe bellum inducere præſumunt, & terræ imperijs non contenti, ſuperos in ordinem redigere poſtulant, & naturam rerum ſuo diſponere arbitrio, qualia monſtra olim fuere Xerxes, Caligula, Cotys, Attila, hodieq; Cerberus Auſonius.

Scilicet is, Superûm quem dextera larga beavit,
Cuiq; dedit latè dominari, haud jam memor ille eſt,
Se calcare ſolum mortali è ſemine cretum,
Transverſamq; rapit veſana ſuperbia mentem,
Vt fremat æqua Iovi, quamvis & corpore parvus,
Attollit cervice caput, tamdemq; Minervæ
Fit procus, atq; viam ſibi jam molitur ad ædes
Æthereas, ut ibi fiat conviva DEORVM.
Vsq; adeò nihil eſt, quod de ſe credere nolit,
Si modò collubeat, demens terrena poteſtas.

Atq; hic Regum furor: *a*) inſignis verò ſtultitia illa eorumdem circa corporis ſui cuſtodiam: quia illos injuſtè & impotenter factorum conſcientia ſæpiùs compellit timere, armatis ſe credunt ſatellitibus & ſtipatoribus adverſus inermes ſubditos: explorare jubent accedentes, ne quis ferrum clàm ferat, & tamen inter eos, qui ferrum circumferunt, vitam tranſigunt: confugiunt ad armatos ab inermibus, & ab armatis rurſus ad inermeis ſæpe eunuchos ſuos & ſpadones, quod Mahometigenæ Tyranni, ſuo ſæpiùs exemplo comprobarunt: Atqui ita potiùs vivendum erat, ut munimento nullo opus eſſet, *b*) quod firmiſſimum eſſe munimentum, togatus dixit Sapiens: ſed & hoc monitum paucorum aures ferit, ut infinita alia.

Hæc eſt, Auditores, Hominis in Ergaſtulo corporis conſtituti Idéa, ex ipſius rei veritate, naturæ ſcriptio, & priſcæ Sapientiæ conſenſu delineata. His Principijs naſcimur, hoc modo vivimus, ad iſtam deniq; faciem vitam ponimus: fletu perpetuo & lachrymis digniſſimi, naſcentes propter impendentia mala, vivi propter præſentia, mortui propter ea, quæ in omni vitâ perpeſſi ſumus. I nunc tu, qui

a) *Dio Pruſæus d. l.* *b*) *Plinius in Panegyrico.*

tu, qui formæ, qui corporis fidis viribus, qui fortunæ amplexaris munera, & te ne quidem alumnum ejus existimas, sed partum: tu, cujus semper in opibus, in dignitatibus, in victoria & gloria mens est: tu, qui successu aliquo tumes, & exinde Deum te credis aut majorem etiam Deo, contemplare te sodes in hoc speculo, quod insigni titulo cohonestavit Marcus Antoninus Philosophus, Imperator verè ita, ut nomen cluet: Vitæ humanæ tempus punctum est, natura fluxus, sensus tenebræ, corporis universi coagulum, putredo, animus vagus, fortuna impervestigabilis, fama incerta. Vis verbo dicam: Corporis quidem omnia, fluvius, animi verò, somnium & fumus: vita bellum, & hospitis in urbe peregrinâ mora, fama, cui optimi quiq; studere solent, post obitum est oblivio. Contemplare te, inquam, in hoc speculo, aut ego valdè fallor, aut alius eris, adhibe, quæ in dies, horas, momenta subinde ingeruntur Exempla, quæ in oscitantibus non diutiùs, quàm dum oculis videntur, dum auribus hauriuntur, hærere solent. Aut rursus vehementer fallor, aut alius eris. Me certè per morbum hunc meum ita macerarunt & emolliverunt istæ meditationes, ut devotiùs ceperim τὰ ἄνω φρονεῖν, & de vasis colligendis cogitare, adeoq; domuitionem parare, rejectis & valere jussis ingenij humani somnijs & inanibus persuasionibus. Interim quamdiu visum fuerit præpotenti Deo, & muneri meo pro virili, & familiæ pro affectu præro, quem eundem sub Exordium hujus novi anni veneror atq; oro, ut Academiam hanc laudatissimam, ejusq; Patres ac nutricios Magnificentissimos, Inclytum præpotentis Reip. Noricæ Senatum, Mangnificum D. Rectorem, totumq; cœtum & Docentium & discentium clementer fovere, ornare & augere, pacem Patriæ, salutem Reipublicæ Christianæ, quietem studijs, & otia Musis largiri velit, ut ipsi ubiq; grata ac placentia, nobis verò omnibus salutaria suscipiantur, & omni studio atq; effectu peragantur.

DIXI.

MICHAE-

Digitized by Google

MICHAELIS PICCARTI

ORATIO VII.

ORatores & cauſſidicos forenſes olim, uti judices ad miſericordiam aliosq; affectus commoverent, cauſſæque ſuæ benigniores haberent, legi olim puer apud Doctiſſimum Eloquentiæ & Oratoriæ facultatis Magiſtrum, picturam adhibere ſolitos, & quia magis afficiunt, quæ oculis, quàm quæ auribus percipiuntur, imaginem rei, cujus atrocitate Judicis animum percellere vellent, oculis ejusdem objeciſſe. Quem morem etſi non probet is, quem dixi, Quintilianus, damnet autem & averſetur Princeps noſter Ariſtoteles: tamen uſurpare eum hoc tempore lubenter vellem, & ſine vitio ſine cujusquam etiam convitio poſſe me facere ſperarem. Subjicerem videlicet per picturam & imaginem oculis veſtris hanc Academiæ noſtræ ſolitudinem, deſerta hæc Auditoria, & inde natum ſqualorem & miſeriam, ut lamentabili illa ſpecie cor vobis finderem, affectus triſtiſſimos evocarem, & lachrymarum fontes ex oculis educerem. Verùm cum vos Collegæ obſervandi, cum te, ò puſille grex & exiguæ reliquiæ numeroſi cœtus, intueor, vanam ſolicitudinem meam agnoſco, adeoq; ad ea, quæ volebam provocare, addi nihil ullo poſſe lenocinio, perſpicuè deprehendo. Etſi enim ejulatum veſtrum non exaudio, aut comam velli video, pectusve pulſari, tamen animi veſtri dolorem vultus arguit, & ipſum ſilentium hoc magnitudinem ægrimoniæ clamat. Mihi, qui mollis natura ſum, & quæ bonorum virtus eſſe perhibetur, πολυδακρὴς, tamen

Congelat introrſum lachrymas, durátq;, tenetq;,
Suſpenſasq; oculis fortior ictus agit.

Quid igitur? Subcumbamus ne malo? & animum abjiciamus? atq; velut deprehenſi in ſtuporem prorſus agamur? haud aliter, quam bruta ſenſum exſuere ſolent, cum præſentem omnia intentant peſtem, & effugium mortis nullum ſupereſt? Minimè verò: Non eſt hoc hominis, cui ratio data, qua mentem dirigat & ducat in viam regiam, ſive ſecunda titillent eum, ſive pungant adverſa. Non eſt hoc fortis hominis, qui, contra omnes ſævientis fortunæ impetus, mu-

nitum invicto robore pectus circumferre debet, & nec accersere temeritate malum, nec ultro sese ingerenti tergùm obvertere. Non est hoc Christiani Hominis, qui quod Domino & Deo suo visum fuerit, gratum habere debet, & cum Regio Psalte, ejusque æmulo, afflictissimo Imperatore Mauricio dicere: Justus es Domine & justa sunt judicia tua; & cum divino Vate: Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei. Quod si ergò obfirmandus est animus, agite Auditores & parumper me auscultate, differentem super quibusdam, quæ nos in hac solitudine nostra erigere, & ad spem meliorem vocare atque deducere possint: Faciam id paucis & genere dicendi simplici, ac luctui nostro accomodato, novi enim ex Dionysio Halicarnasseo *a)* πάντα χαμερπέστερον ἐν καιροῖς γινόμενον ἄωρον εἶναι, πρᾶγμα καὶ πολεμιώτατον ἐλέῳ, & propemodum esse ἐν πενθοῦσι γελᾶν, ut ajebat Demetrius Phaleræus: Quod si teste Quintiliano, *b)* nemo judex facilè commoveatur ejus fortuna, quem tumidum ac sui jactantem, & ambitiosum institorem eloquentiæ in ancipiti sorte videat, oderit potius rerum verba aucupantem & anxium de famâ ingenij, cuiq; tam dubio tempore esse diserto vacet: eccui vestrum non ineptire videbor? si sententiolis flere, & τὰ κομψὰ καὶ θεατρικὰ καὶ μειρακιώδη sectari ac conquirere nunc postulem? Rem potius spectate animis, & hoc mihi petenti date, ut confirmatiores paullò exeamus quàm ingressi sumus.

Primùm autem hoc nos cogitare velim, homines nos, à quibus nihil humani alienum esse potest, nihil debet. Deinde solitudinem hanc nobis obortam, non nostra aliqua peculiari & enormi culpa, bona enim fruimur conscientia, nos officium in docendo feciſſe, probos laudasse & modestos, improbos & in obedientes admonuisse, objurgasse, puniviſſe. Divinitus aut immissam per βέλος Διὸς pestilentem hanc luem, ut quisq; sic in seipsum descenderet, & vitæ suæ calculos rectè poneret ac supputaret: Deniq; immissam non tam ut pœnam, quæ perderet, quam ut ἐπανόρθωσιν quæ corrigeret. De his capitibus Ordine.

Plinius, *c)* antiquitatis omnis promptuarium, auctor est, Locris & Crotone famosissimis olim locis pestilentiam nunquam fuisse, quod de Crotone quidem vetus confirmat adagium, cujus Strabo *d)* meminit: ὑγιεινὸν κρότωνος, quo utebantur, loci salubritatem

tatem

a) In Isocrate. b) lib. IX. c) lib. II. cap. 96. d) 6. Geogr.

tatem & aëris bonitatem commendare volentes: Hoc privilegium, Dei benignitate oppidum noſtrum & Academia diu poſſedit, eoq; gaviſa eſt, & ſunt ex civibus natu grandiores, qui confirmant, proximo penè ſeculo immunem hunc fuiſſe locum à peſtilenti lue: Primùm clanculum irrepſit ante ſexennium, & nunc ex non longo intervallo reverſa eſt. Cauſſam fortè quæras? Quid attinet dicere, ubi impium eſt ignorare: Nos in commune ſumus omnes & ſinguli, qui hunc aërem haurimus: præſidentes enim & omnium humanorum Symptomatum ſecuri vixímus ut voluimus, cum vivendum eſſet ut debebamus.

Turcicæ Hiſtoriæ ſcriptores *a)* referunt: Conſtantinopoli ab Apollonio Thyaneo nobili Mago erectum equum aheneum ſtetiſſe, cui ſtatua Equeſtris inſideret; qua ſalva, ſalva quoq; & immunis à lue peſtilenti fuerit Urbs, ubi verò Mahometes eam demolitus eſt, quotannis poſt ibi menſibus æſtivis atrociſſimè ſæviſſe. Nos quamdiu præſidium Angelorum à Chriſto nobis indultum, vitæ improbitate non excuſſimus, ſalvi quoq; fuimus, ejecti nunc & exturbati, illius morum perveſitate, pœnas luimus, ut ſuſtinuere ſimiles, qui in pari nobiſcum fuêre reatu. Generalis eſt hæc culpa omnium, quæ imputari in ſpeciem nobis nequaquam debet, qui Academiæ præſumus, vitia Generis noſtri reddidere DEUM nobis infenſum, & pravitas cordis humani provocavit iram ſupremi Numinis.

Initiò igitur ſoletur nos, quod nihil novi, inauditi, inſoliti nos diſſipavit, nulla clades interna, nulla peſtilens diſcordia: ſed DEUS Optimus Max. viſitavit delicta noſtra, & ut ad alterum accedam, viſitavit nō horrendo, inſolenti, ignotoq; aliquo flagello, ſed eo genere viſitationis, quod Pſaltes Regius, ut mitiſſimum, delegit, & minimè omnium terribile: Tria ſunt flagella DEI noſtri, quibus animadvertere ſolet in genus humanum: Fames, Bella, & Peſtilentia; Famis, quæ per DEUM ſunt miſeriæ? non dicam de miſerijs & protentis Famis Dyrrachinæ, non Numantinæ, non Peruſinæ, non Samaritanæ, non Hieroſolymitanæ: non commemorabo, quomodo Athenis olim, obſidente urbem Demetrio Poliorcete, filius ob murem, qui fortè ex ſuperiore ædium parte exanimis deciderat, adverſus patrē gladio decertarit: Vel hæc notata mihi apud Hiſtoricos quæſo recognoſcite. Procopius lib. 2. belli Gotthici teſtatū reliquit, ſub ingreſſum

a) Leonclavius.

greſſum Vitigis in Italiam, tantam exortam famem in Liguria, ut prope Ariminum, in ædicula duæ mulierculæ ſeorſim habitantes, ſeptemdecim viros in ſomnis necatos mactarint & deglutiverint, cumq; decimumoctavum aggrederentur, eum excitatum & valentiorem factum, cur id facerent, exquiſiviſſe, ubiq; reſcivit, famis ſedandæ id cauſa fieri, & tot jam à fœminis comeſtos, indignatum atrocitatem facinoris utramq; occidiſſe. Triſtius eſt quod idem narrat lib. 3. belli Gothici. Erat, inquit, Romæ circa annum ſalutis 546. Vir quidam quinq; liberorum pater, hunc cum liberi circumſiſterent, cum multis lachrymis & lamentabili ejulatu panem petentes, ille nec conſilij, nec auxilij ratione reperta cum dolori par ultra eſſe non poſſet, obfirmato ad horrendum caſum animo, ſequi ſe juſſit liberos, ſpe cibi ipſis facta. Cumq; ad pontem Tiberinum miſeros eduxiſſet, involuto capite pallio & occluſis oculis in profluentem Tiberim, inſpectantibus liberis & quot quot pontem tum transibant, ſe demerſit, verumq; illud Cyri apud Xenophontem *a*) fecit: Neminem tam fortem eſſe aut tam robuſtum, qui bellum adverſus famem gerere pugnando poſſit. Paulus Æmilius ſcribit: ſub Philippo Auguſto Galliardum obſeſſum ſex menſes continuos fuiſſe, eoq; famem clauſorum proceſſiſſe, ut cum à præſidio imbellis multitudo ex oppido ejecta, à Francis obſidentibus nec reciperetur, nec cibo juvaretur, mulier quædam in conſpectu omnium enixa ſit, fœtusq; vix palpitans & à matre rubens etiamnùm ſtatim à famelica matre abſumtus. Cujus ſævitiam æmulatam aliam Majerus *b*) retulit anno ſalutis per Servatorem partæ 1438. in Abbæ Villæ vicinia. Fame, inquit, invaleſcente, horrendum & immane patuit facinus: mulier enim quædam infantem non unum ſed plures occiderat, ſectosq; ſale condiverat, ut abominabili cibo latrantem ſtomachum fulciret: Quis non cohorreſcat totus & in lapidem abeat obrigeatq;, cùm apud Nauclerum legit Anno Chriſti 1332. tantam in Bohemia & Polonia famem ſævijſſe, in Livonia item & Boruſſia apud Petrum Mattheum Anno 1602, ut coacti miſeri carnes hominum facinoroſorum & ſuſpenſorum devorarint, ac jus ſepulturæ in viventium viſceribus dederint, qua in perpetuum, lege ita jubente, carere debuiſſent. Quem non ſibi ipſi eripiat & exſenſum reddat narratio apud Illuſtrem Thuanum Famis Sanzerranæ Anno 1573. quam

a) *lib. 6. b*) *lib. 16. Annal. Hollandiæ.*

Digitized by Google

quam ne legere quidem ſine lachrymis unquam potui. Non igitur ſine cauſſa Eurylocus apud Homerum *a*) olim:

Πάντες μὲν συνερὸὶ θάνατοι δύλοῖσι βροτοῖσι,
Λιμῷ δ' ὀικλίζειν θανέειν καὶ πίτμον ὀπάσσαι.
Omnes quidem mortis ſpecies formidoloſæ miſeris mortalibus:
Sed miſerrimum fame mori & inedia conſumi.

Bellorum porrò quanta ſit calamitas notius eſt, quàm ut percenſeri multis debeat: Dirui urbes, diripi templa, profanari ſacra, conculcari pudorem, ſtuprari matronas, rapi virgines, pueros in ſervitutem abripi, belli ſunt fructus, quibus ſi quis graviora concipere poteſt animo, proferat, & exempla ei in omni hiſtoria, qua veteri qua recenti dabo. Rectè igitur David olim & bellum & famem à ſe deprecari voluit, & Dei manibus ſe permiſit, agnovitq; peſtilentiam Dei virgam eſſe, Domini gladium, quo feriat & puniat, corripiat & corrigat. Neq; verò hic mihi quisquam de incommodis peſtis quoq; dicat: miſerum videlicet eſſe, deſeri vel à proximis: carere juſtis exſequialibus & ſepulchri honore: triſte eſſe ejici ex conſortio chariſſimorum capitum, nec mori licere inter amplexus conjunctiſſimorum. Largior enim in partem, in partem pugno. Miſerum eſt deſeri, miſerum non mori inter amplexus ſuorum, ſed neſcis hoc velle DEUM, ut miſer ſis, & hac miſeria admonitus & puniri te intelligas, & ad DEUM confugias: ſepeliri verò nemini negatum eſt unquam, & ſi maximè negaretur, vel fortiter dicere debebas cum Mecœnate apud Senecam *b*)

Nil tumulum curo, ſepelit Natura relictos.

& cogitare illa Diogenis reſponſa: *c*) à quo cum quæreretur, ubi ſepeliri vellet, poſtquam naturæ debitum exſolviſſet, in agrum, reſpondit, me projicite, cumq; rogereretur, fore ut feræ illum & volucres lancinarent; Bacellum, inquit ille, prope me ponite, quo irruentes abigam: Rurſum illi: atqui nihil ſenties: Quid igitur, inquit Diogenes, oberit nihil ſentienti ferarum aut volucrum laniatus, facilisq; proinde, ut Anchiſæ quoq; Virgiliano, jactura ſepulchri: vel debebas Chriſtianè magis ſentire, ſpiritum tuum à Chriſto & Angelis ſuſcipi, qui tibi chariores eſſe debent omni neceſſitudine. Corpus autem terram fore, ex qua natum, quavis etiam ratione, quod docet Lucani verſus à D. Auguſt. *d*) uſurpatus:

a) *Odyſſ. M.* *b*) *Epiſt. 93.* *c*) *Cic. Tuſc. evenâ.* *d*) *lib. 1. de Civitate Dei, cap. 12.*

Capit omnia tellus,
Quæ genuit, cœlo tegitur, qui non habet, urnam.

Nec abſimiles illi, quibus ad Cæſarem converſus ita eum alloquitur (vetuerat autem ille humari aut comburi occiſorũ in pugna Pharſalica cadavera.)

Nil agis hac irâ, tabesne cadavera ſolvat
An rogus, haud refert, placido natura receptat
Cuncta ſinu.

Conclude proinde cum eodem Hipponenſi Antiſtite: Multa ante me Chriſtianorum corpora terra non texit, ſed nullum eorum quisquam à cœlo & terra ſeparavit, quam totam implet præſentia ſui, qui novit, unde reſuſcitet, quod creavit. Funebres autẽ honores & exſequiales pompas contemnere te, quisquis etiam poſt mortem ambitioſus es, memoria vel fragilitatis tuæ debet in vita, vel corruptionis fœdæ, quæ paucis diebus mortem conſequitur: quo te vocare etiam poſſunt Exempla duorum magnorum Principum, Saladini Saraceni, & Maximiliani I. Auſtrij. Si ſtatuis delectaris, erige tibi vivo, ad exemplum Ferdinandi III. Caſtellæ Legionis & Hiſpaniæ Regis, de quo ita ſcribit Rodericus Santius: *a)* Morti vicinus cum interrogaretur, quale ſepulchrum aut ſtatuam ſibi poni juberet? Immaculata, inquit, quantum licuit, vita ac res à me geſtæ ſint mihi ſepulchrũ & ſtatua, aliam non poſco. Et Cato ille ſenior, ipſum virtutis nomen, cum amici eum de ſtatua (aliorum principum virorum exemplo, quorum erecta ubiq; ſtarent inſignia ſepulchralia, præclaræq; ſtatuæ) vehementius urgerent, non minus animosè quàm ſalsè reſpondit: Quieſcite ſodes, malo enim, ut homines inquirant, cur Catoni ſtatua poſita non ſit, quàm ut quærant cur poſita ſit. Nihil igitur hæ vanitates movere animum firmum aut Chriſtianum poſſunt, minimè etiam debent.

Porrò & tertiò quidem loco erigere nos ac ſolari debet, quod Dei manus eſt hæc, qui quamquam averſetur omnem iniquitatem & juſtum ſeſe nobis deſcribat judicem: tamen & benignum quoq; ſe declarat patrem, & in ipſo iræ curſu effundit habenas miſericordiæ, pungit ille, ſed non perforat: intentat vulnus, ſed non infligit: etiam cum infligit, ita moderatur, ut pœna ad paucos, terror ad omnes perveniat. Neq; enim internecione delectatur, noſtra ut Tyrannus, ſed dolenter corripit, quos dicto audientes alia ratione reddere non poteſt.

a) Hiſt. Hiſpan. p. 3. cap. 40. p. 369.

gitized by Google

teſt. Atq; hoc luculenter nobis & ante ſexennium & nunc oſtendit, cum paucorum capitum occaſu contentus, reſtituit ſe nobis Patrem, qui venerat habitu ſeveri & irati judicis.

Οἶδε καὶ ὁ θεὸς παρώσεων πολλάκις αὐτὸ καὶ ἐμοῦ πλειόνων φιλεῖ, καὶ μᾶλλον, εἰ πρόφασιν φέρει τις καὶ εὐχαρίστως τὸ λυποῦν. Ut non minus piè quam eleganter inquit Niceras. *a)* Deſcendamus igitur intra nos ipſos, excutiamus etiam intima cordis noſtri, & liberè culpas noſtras agnoſcamus, ac profiteamur, nec palliemus eas, vitio generis noſtri, aut excuſemus, quod Sidon. Apollin: *b)* fœculentiæ par cloacali dicebat olim, quæ quò plus commovetur, tanto amplius fœtet: Componamus etiam animum ad tolerantiam, vitam ac mores ad veram ingenuam & antiquam, non ad Theatricam illam & Hiſtrionicam pietatem, ſumma Deo nos reddamus, & ipſe ſe reddet nobis, atq; amiſſum aut certè languentem hunc Academiæ floſculum, brevi revireſcere faciet, ipſe plantabit, ipſe rigabit, ipſe etiam, qui ſolus poteſt, incrementum dabit.

Quando autem tabulis ſalutis noſtræ atteſtantibus, electis omnia in bonum cedere debent, conſiderate ad extremum etiam mecum, Auditores, quæ commoda ex calamitate hac publica ad nos vel nihil tale cogitantes redundent. Bella & peſtem Priſci quidam ſapientes ſcopas appellabant Regnorum, Regionum & Urbium, quibus everrerentur ſordes, & liberarentur Regna ac civitates ignavis aut turbulentis civibus: Nos profectò differi non poſſumus, quamquam inviti dicimus, fuiſſe & nobis quædam carcinomata & vomicas, quibus nec legum monita, nec Magiſtratuum juſſa, nec pœnalia decreta pudorem & obſervantiam honeſtatis extorquere potuere: ab illis refractarijs per hanc calamitatem liberati ſumus, & malumus deinceps quoque paucos habere, quàm talibus ingenijs, numerum Academicæ Juventutis augeri aut multiplicari. Inter cives porrò hujus oppidi noſtri, quamquam multi reperiuntur Viri boni, qui beneficium huic oppido, Academia in hoc loco inſtituta, collatum agnoſcunt, grata mente prædicant, & omni benevolentia nos & cœtum Academicum complectuntur, tamen, ſi oculos circumferas per omnes oppidi angulos, invenias item non paucos merum rus & fimetum olentes, tantum ab omni humanitate remotos, quantum abſunt ab rectæ rationis uſu, qui nos ultrà Garamantas & Indos relegari poſtulant, dum ſalva ſunt hic omnia: cauſſantes neſcio

a) lib. 1. de Geſtis Andronici Comneni. b) lib. 3. Ep. 13.

Digitized by Google

quæ deliria & opes crepantes regias ſuis ſe agris parare poſſe & ſtercorationibus : Hi verò quàm nunc fament, & eſuriales ſibi in hac ſolitudine noſtra indicunt ferias. Feriantur lanij, ſartores & ſutores frigent, jejunant ingratijs lotrices, nugantur famelici lignifoſſores ; plorant famulitia ſtudioſorum, pauperrimorum hominum filij : Diſcite ergo, ò fungi, & agnoſcite vel tandem, quid vobis conferat Academia, exſuite ferale iſtud erga literatos odium, induite avilium & humaniorem ſenſum, & ita converſamini nobiſcum, uti vifos bonos facere æquum eſt, non ſanguinem noſtrum ſitientes, aut ſudore partis reculis, per ſcelus & fradem inhiantes, ſed æquum pro æquo petentes, ut in pace una vivamus, & mutuas operas invicem ſublevandæ indigentiæ præſtemus.

Videtis, Auditores, etiam utilem hanc calamitatem nobis eſſe in futurum. Quare commaſculemus nos ipſos, & id quod dixi agamus, totisq; fibris ac ſenſibus ad DEUM converſi pijs precibus eum placemus, malum hoc & omnia alia averti à nobis petamus, Academiam noſtram priſtino nitori reſtitui precemur, cumq; in funere & occaſu Clariſs. & Excellentiſs. Viri, D. Erneſti Soneri, Collegæ noſtri honorandi, grave vulnus acceperit ipſa & nos omnes, vota noſtra ad eundem conjungamus, uti conſanari & coaleſcere id, ſubſtituto in piè defuncti locum idoneo ſucceſſore, benigne faciat. Inclytum præterea Senatum Noribergenſem, & Benigniſſimos Academiæ noſtræ Curatores omni incolumitate proſperet ac beet, nos omnes ac ſingulos cuſtodiat ac ſervet, deniq; totum hoc oppidum protegat & tueatur : ſi qui verò ſunt tam inhumano & Diabolico ingenio, qui in hac calamitate nobis inſultant etiam & Δρυὸς πεσούσης ξυλεύεσθε malitioſè præſumunt, illos cogitare jubeo, ſi tantum illis ad cogitandum cerebri ſupereſt aut mentis, ante fores illis malum occubare, quod accidiſſe gaudent alteri, & adventare cum fœnore, Καινὴ ἡ τύχη καὶ τὸ μέλλον ἄδηλον inquit Iſocrates : & vere Poëta :

Excubat ante fores ultrix Rhamnuſia eorum,
Qui impoſito calcant fata aliena pede.

D. I X I.

MICHAE-

MICHAELIS PICCARTI

ORATIO VIII.

DE INDICIIS ET ADJUMENTIS BONÆ INDOLIS.

QUod precatus à DEO OPT. MAX. precibus ſum ardentiſſimis, cùm ante hoc biennium Sextùm Organon Ariſtotelicum interpretari Juventuti noſtræ meditarer, uti me ſuperſtitem huic eſſe labori vellet, vireisq; animi benignè firmaret, uti, ſi nō abſolutum perfectumq;, elaboratum ſolùm & ſtudijs accommodatum Commentarium Auditoribus meis tradere, & monimentum meæ erga hanc Academiam voluntatis ſtudijq; relinquere poſſem, ejus voti mei rationem habitam à benigniſſimo Patre Luminum, à quo omne bonum donum deſuper, nunc & maximopere lætor, & proinde gratias immortaleis ago; eundemq; DEUM humiliter & demiſsè veneror, ut, ſi hos XVII. annos, quibus in hac Academiâ pars aliqua Docentium fui, eo ſemper animo fui, ut res rationesq; veſtras meis ſemper anteponerem, de utilitate veſtrâ plus quàm de meâ cogitarem, deniq; eam perpetuo docendi rationem tenerem, non quæ aut minus laboris aut plus oſtentationis habitura, ſed quæ vobis plus veræ ac ſolidæ cognitionis paritura eſſet, ita me, quod reliquum ætati meæ facere volet, in ejusdem muneris adminiſtratione, placidè ac tranquillè exigere patiatur. Idq; vel ideò juſtiùs petere mihi videor, quòd extremam hanc, quam ſuperiore hebdomade abſolvi, interpretationem, multa miſcuerunt calamitoſa, acerba, triſtia, quodq; mihi non omnia tranquilla & placata fuiſſe recordor. Interrupêre ſtudia mea morbi ijq; acuti, & qui vitâ exuere velle præfractè videbantur. Acceſſit chariſſimæ matris obitus, quem excepit non ita longè pòſt mors filiolæ, & nunc nuper chariſſimorum capitum funera, ne de morſibus calumniæ dicam, qui bonis mentibus familiares eſſe conſuevêre. Tot illi & tam varij impetus, quid mirum, ſi animum nonnihil concuſſerint, ſi ingenium obtuderint, ſi ardorem illum benè de juventute merendi inhibuerint & veluti repreſſerint. Quid igitur melius vobisq;, Optimi Adoleſcentes, precari poſſim, quàm proſpe-

ram æquabilemq; fortunam, concinnam magis quàm longam, (quanquam hoc posterius his temporibus metuendum vix est, bonæ mentis enim soror Paupertas esse, & pauciſſimos ingenij amor divites reddere solet) secundo vitæ, sine gravi offensione, cursu: quam ut benigniſſimus mihi Deus concedere velit, ut dixi, humillimè eum veneror. Sed & alterum ipsum oro precorq;, ut vobis inspiret amorem discendi, & cupiditatem erga nobilem hanc doctrinam, quâq; in nullo scientiarum genere carere nos posse, omnium Doctorum consensus tot retrò seculis testatus est & evicit: sic enim futurum prospicio, ut & attentè ac libenter à vobis ego audiar, & studium illud vestrum atq; attentio excitet in me ingenium & laborem omnem edulcet, gratumq; reddat. Est enim profectò verum, quod versu jam in vulgus noto canitur:

Excitat auditor studium, laudataq; virtus.

Et hac quoq; in re aliquid me humani pati, differi non possum: æstuo cum æstuantibus, langueo cum languentibus, & talis vobis ero, qualem me esse exemplo vestro volueritis. Quare ô Optimi juvenes etiam atq; etiam videte, quid è re vestrâ sit, & quæ sint de vobis Parentum Patronorumq; spes, apud animum vestrum diligenter accurateq; expendite; Etiam hoc, nullam tam grandem esse & gravem causſam, quòd à prisci ævi gloriâ tam longè nunc abſimus, quàm quòd induſtriam illorum imitari nimis laborioſum & moleſtum esse putamus, adeoq; ad menſtruos illos & triduanos Doctores, qui ossa nobis pro carnibus proponant, divertere malumus, crudi deinde ad Rempublicam tamquam ad tonſuram aurei velleris festinamus. Cavere malo qui volent, ijs dictum sic satis.

Nunc cùm pro more & publico & meo dicendum mihi quid esse viderem, ne longè ab exordio meo recederem, placuit paucis apud vos ediſſertare, quæ bonæ indolis in adulescente γνωρίσματα visa doctis semper fuerint, quæq; ei fovendæ & proferendæ subsidia afferri possint, ut ad maturitatem excrescat, & ad omnem virtutis, eruditionis laudem adolescat. Non ingrata, spero, erit hæc diſſertatiuncula vobis, Rector Magnifice, Viri & Collegæ Ampliſſimi CLmi. quos scio, quæ ad commoda juventutis pertinet, omnia æstimare & amare, erunt autem hæc mea, ut confido, talia: contemplabitur enim sese flos iſte melior ævi in Oratione meâ tanquam in speculo, & felicitati suæ gratulabitur, alij, quibus terræ aliquid adhuc adhæret, quiq; cum paupertate, infelicitate ingenij, & alijs incommodis

modis conflictari neceſſe habent, aſſurgent parum, & quæ præſcripſero remedia, curæ habebunt, & quod Natura aut Fortuna ipſis novercalis negavit, id labore, induſtriâ ac ſudore multo ut conſequantur, operam dabunt. Quæ qualia qualia ſunt, ut benignè audiatis, Auditores omnium ordinum præſtantiſſimi, honoratiſſimiq;, non tam ideò peto â vobis, quia neceſſarium eſſe arbitror, quàm, quia, ſi aliter fecero, in Oratoriæ artis præcepta peccare mihi videbor; ita enim cupidè vos conveniſſe, ita cum attentione vos aſſidere video, ut gratiarum potiùs actione, benevolentiam hanc veſtram agnoſcendam dilaudandamq;, quàm precibus multis exambiendam videam.

Primum igitur indicium bonæ indolis eſſe ſapientes arbitrantur, Bonis parentibus eſſe ortum: Veriſimile enim eſt illud Euripidis in Alcmæne à ſtobæo notatum: ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν ἐσθλὰ γίγνεσθαι τέκνα, Κακῶν δ' ὅμοια τῇ φύσει τὰ πατρός, quos verſus Horatius eleganter, ut ſolet, Latinè ſic reddidit:

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in juvencis, eſt in Equis Patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.

Atq; hoc ipſum Naturæ vox confimat, & uſus in vita communis atteſtatur: Cur enim generandæ ſobolis gratiâ, generoſi inquiruntur canes & Equi? cur vitium, olearum, aliarumq; arborum optima ſemina? Si homini nihil ad ſucceſſionem generis nobilitatē conferre exiſtimamus: ſi nulla virtutis avitæ ſemina in generatione liberis inſeri conſemus. Quanto rectiùs & magis ex vero Homerus de Telemacho Ulyſſes: *a)* ἐνέσακται μὴ θεὸς ἠΰ. Inſtillata patris virtus gnato: quaſi diceret, ad paucas paterni ſeminis guttas virtutis etiam paternæ ſemina confluxiſſe. Ipſe etiam Ulyſſes de ſe apud eundem: *οὐχ' ὁρᾷας, οἷός τε κἀγὼ καλός τε μέγας τε, πατρὸς δ' εἰμὶ ἀγαθοῖο. θέα δ' μ' ἐγείνετο μήτηρ.*

Nonne vides, ſim qualis ego magnusq; bonusq;,
Quem mater genuit generoſo Diva Parenti.

Quæ altiùs in animos eorum deſcendere velim, qui à virtute generis ſui nequiter dèſciſcunt, crepant tamen hordeaceam ſuam nobilitatem, & jactant apud omnes, utq; eam perſuadeant, ad cineres & ſepulchreta, fumoſásve domi & araneantes confugiunt imagi-

a) Odyſſ. B.

imagines, easq; in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine & multis stemmatum illigata flexuris in parte primâ ædium, aut apud omnes obvios producunt; qualium unus, cùm Francisco I. Galliarum Regè maximo se obtulisset, percunctatus est ex illo, quibus rationibus Nobili se genere natum esse docere vellet, si quis illi status controversiam movere præsumeret? quoi ille respondit: habere se literas domi à majoribus relictas, quibus illis a Regibus Galliæ prædecessoribus & jura Nobilitatis data benignè, & clementer deinde aliquoties confirmata auctaq; fuissent. Eas proferre se paratum, arrisit humanissimus Rex stultitiæ hominis, proferriq; jussit, quas cùm ille magnis cum ceremonijs tanquam ancyle quoddam cœlo dimissum Regi exhibuisset, lectis illis & sigillis accuratè inspectis, consideratisq; Rex illi reddidit: atq; heus, inquit, mi frater, diligenter vaccas serves, nam si sillæ aliquo tibi fortunæ casu perirent, næ tu miserrimus omnium esses nobilium, quia nullo vel virtutis vel eruditionis documento te nobilem esse persuadere cuiquam posses. Considerare deinde hæc eos velim, qui nobilitatem suam τῆς κακίας περίσκημα, nequitiæ suæ velamentum reputant, ut Diogenes olim dicebat, & quia nobiles sunt, licere sibi omnia putant, quæ facere alios vel pudor ingenuus, vel etiam leges vetant: Qui quàm nobiles sint, ipsi viderint, generosi certè non sunt, neq; quidquam caussæ habent, cur ad majorum merita sese recipiant; eo enim ipso, tanquam sorices se produnt. τὸ γὰρ καταφεύγειν ἐς τὰς ἄνω μόνον δοκεῖ βιβλιοτῶν ἐξιτήριον τὸν ἐφ' ἑαυτῶν ἔπαινον: majorum incumbere famæ eorum est, qui propriæ laudis jacturam fecêre, inquit Philostratus in vita Dionysij. Defricantur tales & Satyrico sale, Quis, inquit Juvenalis, Generosum dixerit hunc, qui indignus genere est, præclaro nomine tantùm insignis? Quod reliquum est, antequam à primo hoc bonæ indolis indicio recedam, illud monendum existimo, Bonis parentibus omnes eos natos mihi videri, qui parentes habuêre Virtutum & Doctrinæ Encomijs celebres: nam & hi rectè sentientibus Nobiles semper habiti: maximè verò Stoicis, unde pronunciare nihil veritus Seneca: Neminem altero nobiliorem esse, nisi cui rectius ingenium & bonis artibus aptius. Paullo mitius Joho Alexandrinus apud Baronium, (Tom. 8. Annal. p. 620.) nobilitatem non ex sanguine solùm, sed & ex animi virtute characterem capere & formam: & Salicetus, qui filiam virtutis & scientiæ Nobilitatem dixit. Unde cum incomparabili JCto, Alberico Gentili, amico olim

eo olim noſtro, qui nunc cum Fratre conjunctiſſimo, nuper publico luctu Jurisprudentiæ & Academiæ noſtræ, privatoq; meo, vivis exempto in cœlis ovat, omnibus infamiæ pœnis impudicam illam Genuenſem fœminam afficiendam cenſeo, quæ uxori celeberrimi & famoſiſſimi JCti, ſed nullis imaginibus clari ſpurcè ignobilitatem objecerat, addens, ſit turpi venia dicto, non pennam, quæ nobilem faceret, ſed penem. Verùm nimis diu huic primo indicio immoratus ſum: Itaq; pergo ad alterum, quod cum priſca Sapientia conſtituo φαιδρότητα alacritatem, quam colloco in multis, quæ ſingula in bonæ indolis pueris ſe exerunt. Primùm enim ſunt pueri tales φιλήκοοι, libenter audiunt, etiam fabellas nutricularum: unde Alexandro φιλόμυθοι ingenioſioresq; ex eo dicti, quòd naturalis ille homini appetitus ſciendi jam à teneris ſe in illis prodit, & ad perfectionem ſuam contendit: Deinde ſunt ζητητικοὶ, quærunt de multis, quod arguit eos eſſe φιλειδήμονες καὶ φιλομαθεῖς, quæ duo facere ſolent, ut tandem fiant πολυμαθεῖς; unde divinus Plato in ſtudioſo Philoſophiæ requirebat olim ζητητικὴν μανίαν, inſanam quandam inquirendi cupiditatem, & volebat eum θηρευτὴν εἶναι τῆς ἀληθείας, venatorem eſſe veritatis: & ter maximus ille Sapientiæ Magiſter, quem Triſmegiſtum vulgò appellant, acutiorē requirebat in diſcipulo auditū, quàm in Præceptore vocem. Tertiò alacritas illa conſpicitur in pueris, ſi ſint ἄγρυπνοι, nō ſomno aut torpori dediti, ſed vigiles: nam qui ſatur irriguo gaudet turgeſcere ſomno, & inducias à natura quieti nobis datas vitam exiſtimat ſuam, ad eum nec virtus nec ſapientia divertet, quæ in ſicco habitare ſolent, nō in liquido, aut humorib⁹ diffluēte corpore. Quartò alacritatē in puero arguit φιλεργία & φιλοπονία, & quæ cum his cōjuncta eſſe debet φιλακρίβεια, ut delectetur operibus, & nūquā aut rarò otietur, ſed ſemper aliquid ſibi faciendū exiſtimet, nō tamē quidvis, ſed ſe, & conditione ac ſtatu ſuo dignū: Deinde ſi id, q faciendū ſibi proponit, non obiter aut incuriosè agat, ſed diligenter, accuratè & elaboratè. In hunc enim puerum verſus ille conveniet Latinus;

Vrit maturè, quod vult urtica manere:

Græcus item alter Suidæ notatus:

Αὔπνα καὶ φυτὰ δῆλα, ἃ μέλλει καρπὸν ἔσεσθαι.
Illuc conſpicua ſunt plantæ frugibus aptæ.

Atq; de his Cicero in Cœliana: ſtudia in adoleſcentia tanquam in herbis ſignificant, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ. Tertium ſignum bonæ indolis facio

αἰσχύνην sive τὴν αἰδῶ, pudorem ingenuum & erubescentiam, quam Diogenes colorem virtutis appellabat: Et Phythias Aristotelis filia interrogata, qui color pulcherrimus esset, eum dixit, qui per verecundiam ingenuis oboriatur: Plutarchus etiam olim in Adulescente tria requirebat, in animo temperantiam, in lingua silentium inter seniores, in vultu pudorem; & Euripides in cresphonte eleganter: Αἰδὼς ἐν ὀφθαλμοῖσι γίγνεται τέκνον. a) Pudor in oculis tibi, fili, nascitur, quo κέρδεα ἥσσονα καθήσεαι ἔνδον ἀμείνω, nullum Thesaurum condes animo meliorem: Comicus item de filio erubescente: Erubuit, inquit, salva res est. Est hic pudor regimen, frenum & repagulum ingeniorum, prohibet enim à peccando: unde & nutriendus est omni curâ, quandiu enim is in animo illibatus duraverit, tamdiu erit bonæ spei locus, perijsse verò & radicitus perijsse is putandus,

—— —— Cui non revocabilis unquam
Cessit ab ore pudor.

Quartum signum bonæ in puero indolis facio Ambitionem & Cupiditatem honoris: hæc enim arguit animum erectum, excitatumq; ad honesta quæq;: non quippe facile gloriam appetit, qui mereri eam desperat. Vide mihi languentes illos pueros, suæ, quam primùm institerunt pedibus, terræ affixos, nihil tentabunt ardui, nihil aggredientur quod sublime. Alexandrum puerum contra intuere, qui auditâ Patris victoriâ, dolebat & quiritabatur, nihil sibi, quod vinceret, relictum iri; idem colluſores nullos nisi Regum filios sibi optabat; cui par animo fuit Themistocles, C. Julius Cæsar, & alij. Retulit in privato sermone mihi non semel Doctor, Collega & Amicus meus æterno cultu venerandus, Philippus Scherbius ὁ μαχαιρίτης, Hieronymum Fracastorium Italorum doctissimum, in prædium suum aliquando cum famulo filium misisse, curatum ibi aliquid, qui, cùm famulum cursu perniciorem assequi, puer imbecillus adhuc nequiret, cum lachrymis ad patrem reversus est, & apud ipsum, cum status sui conditione expostulare cœpit, quòd nobili & genere & patre natus, à servo cursu superaretur, cui Pater, lachrymis item obortis, respondit: acquiesce mi fili, neq; te hanc ob causam afflicta: famulus enim, qui pedibus te prævertit, bestiam sapit, tu hominem, ideò ingenio & animi dotibus longè illo melior. Atq; hic est ille puer, quem optimus dicendi Magister Quinctilianus probat, quem videlicet laus excitat, quem gloria juvat, qui victus

a) Theognis.

flet,

flet, objurgatione mordetur, æmulatione assurgit. Et sic licet ipsa vitium sit Ambitio, mihi tamen in puero signum latentis est virtutis.

Hæc sunt, Auditores, bonæ indolis γνωρίσματα, quæ aut me alia omnia fallunt, aut non fallent in eo puero, in quocunq; reperientur; fallent autem multò minùs, si accesserint ad ea, quæ pace vestra attexam subsidia, & breviter quidem, ne prolixitas dicentis pro voluptate tædium vobis afferat. Accedat igitur, & maturè adeò institutio proba ac diligens, cumprimùm videlicet exire de matris incipiat gremio; custodiendus enim statim in infantiâ pudor est, & instillanda honesta puero & illimi animo: & primùm quidem à parentibus ipsis, quorum monita ut faciliùs imbibat, amor & sanguis cognatus suadebunt: Unde divinè mihi illud ab Agesicle dictum videtur Lacedæmoniorum postea Rege; cui cùm quidam amicorum, admirari se, quòd cùm avidus discendi esset, non adjungeret sibi Philophanem Sophistam: regiâ prorsus indole respondit: Eorum, inquit, volo discipulus esse, quorum sum & filius. Reverentiam enim Parentum & obsequium ipsa Natura nobis insevit, mater cum lacte ipso instillavit: accedit confidentia, nihil ab illis improbi propositum iri, qui vitam suam saluti nostræ posthabere velint: Unde & plurimum à Parentibus non modò, sed & à matribus liberos profeciſſe accepimus. Gracchorum certè eloquentiæ multum contuliſſe accepimus Corneliam matrem: Divum item Augustinum in matris suæ commendatione hac caussâ multum esse, passim in scriptis suis abunde constat. Verùm hîc hodie quasi solemniter peccatur: omnes enim pene parentes Anacharsidis illud vitium animo conceptum gerunt, remedio ejus neglecto. Ille enim interrogatus ab amicis, cur uxorem non duceret? quia, inquit, nimis amaturus essem liberos. Præstitisset videlicet iridem matrimonio & usu uxoris abstinere, si amor noster erga eos simiarum amor est, si nolumus, eos severâ lege proficere, si corpus potiùs quàm animam pascere studemus. Sed ad bonos Patres revertamur, qui ubi officio suo perfuncti sunt fideliter, ubi animadvertunt ad graviora ducendos liberos, de Præceptore idoneo solliciti sunt: plurimum enim refert, à quo ducantur, cùm extra limen paternæ domus studia juventutis proferenda sunt: Is & vir bonus si fuerit, & doctus, multum ab eo adjumenti & incrementi indoles accipiet præclara: Bonus requiritur, quia in illo lubrico ætatis non præceptor modò, sed custos etiam rectorq; morum quærendus

rendus est, & malè præterea discitur, quicquid sine moribus discitur: Doctus deinde, & perfectè doctus, nam isti semidocti, qui vix à limine salutatis literis, falsam sibi scientiæ persuasionem, sine populi suffragio induerunt; & cedere meliora monentibus renuunt, & caprifico exituriente tumidi fermentatiq; & imperiosi nimis sunt & sævi, ignarosq; pueros & vitia sua & stultitiam suam perdocent: At verè bonus doctusq; si fuerit, nihil ex eo puer audiet, nisi profuturum, nihil discet, quod nescire præstitisset. Eligendi porrò honoratissimi quiq;, non humiles de plebe, & qui naturæ parum, Fortunæ nihil debent, ne contemnantur propter conditionis humilitatem: Ubi enim καλὴ φρόνησις & ὀλιγωρία mentes discipulorum occupavit, ibi & præceptorem piget docere, & discipulum discere. Exemplo sit Lydus, servus Plautinus apud herum Pistoclerum: ille enim cùm se liberum, Pædagogum suum servum conditione esse primùm recordaretur, paulatim in ipso extinqui cœpit & reverētia Præceptoris & obsequium. Animadvertit hoc sapientissimus Spartanæ Reipublicæ Legislator: quos enim servos plerisq; civium filijs pædagogos præfectos videbat, eos removit, pædagogumq; illis constuit ἄνδρα ἐξ ὧνπερ αἱ μεγίσται ἀρχαὶ καθίστανται, virum ex illorum numero, è quibus maximi magistratus cōstant, quem & παιδονόμον appellavit: singulis autem puerorum classibus præfecit ex ipsismet pueris unum, qui reliquis melior, ut præter Plutarchum scriptum reliquit Xenophon. Hodie filijs præficimus, non optimos, non doctissimos, non honoratissimos, sed qui minimum accipiunt mercedis, unde interdum pædagogi filijs cònstituuntur, qui parentum ante latrinam, sit venia dicto, lavabant, qui verò eorum apud discipulos respectus sit postea, id videlicet dies & experientia testantur. Scitum est, quod in hanc rem apud Plutarchum legere memini: Venerat ad Aristippum serium & severum priscæ Philosophiæ Doctorem, pater talis ex cors & tripatcus, interrogaveratq;, quantum mercedis pro filij sui institutione posceret, mille denarios respondit ille: Hui, exclamat pater, tantum! at ego mille denarijs servum emero: Fac, inquit Aristippus, & si duo habebis mancipia, filium tuum, & id quod emeris. Quid dicturum tu Aristippum putas hodiè, si reviviscat, si videat, plus numerari mercedis ei, qui equum sui Domini curat, quàm qui filium; si audiat, multos pro mercede pollicitationibus solùm promissis; ditiores fieri, & promotionum spe tanquam dape pictâ saginari, ut olim suos senatores pascebat Heliogabalus, propudium illud

illud hominis. Sed in viam. Ubi præclaræ indoli & boni parentes, & idoneus obtigit Præceptor, cavendum unicè, ne is temerè mutetur: mutatio illa periculosissima enim est, & tandem fastidium parit, neq; enim omnes eodem ingenio sumus, & sæpe animi vitio mutant, qui succedunt, quæ meliora intra se confitentur, ne alieno sapere capite videantur. Suadent Medicorum filij in corporis alimentis nihil temerè mutandum, & præstare, inhærere etiam deteriori victui, si ei adsueverimus: quantò studiosiùs opera danda, ne animorum pabulum & cultura temerè mutetur. Quid? quòd obsequium sic firmius, cui enim pueri parere adsuevimus, ei adulescentes quoq; vel consuetudine parendi obsequentiores sumus. Unde, ut concludam tandem, cavendum quoq;, ne variatate & multitudine studiorum deterritus puer, odisse culturam ingenij priùs incipiat, quàm intelligere. Itaq; delectus instituendus, explorandumq; diligenter, quò suapte sponte inclinet, quò animo feratur, & eòdem postea ducendus; ubi non possum iterum non damnare stultitiam nostri seculi: non enim hodiè, quò ingenium nos vocat, sed quò matrum vel pietas, vel superstitio, & Ecclesiæ destinatur nondum editus à sollicità genitrice infans; sed quò spes & vota patris, qui quales nos optat, tales jubet esse, parum sollicitus, an ad ea studia apti idoneive simus, quin nec contentus spes suas ambitioni donâsse, non patitur gradus fieri studiorum, & ordine, quo oportet, progredi, sed quia ad vota ipse properat, cruda adhuc studia, quò contendit, propellit, & quæ hodie in pretio & æstimatione sunt, quibusq; nihil majus, sublimius, splendidius ab homine parari posse, consensus populi clamat, eas inquam, facultates atq; scientias induit etiamnum balbutientibus: quos si Xenocrates redivivus aliquis videret, cum infamia repelleret, abite, inquiens, nondum ansas harum scientiarum assecuti estis. Quantò melius satiusq; sit uni inhærere, & ad illud rectâ methodo bonoq; ordine contendere, & in uno profundè doctum esse, quàm Superficietenus in pluribus? non laudant Medici, (libenter enim horum regulis utor, quia magna est & corporis & animi percurandi similitudo) non laudant, inquam, Medici medicamenta illa, quæ πολύχρηστα ipsis dicuntur, hoc est, ad multa adhibentur; rationem addunt hanc, quia nihil eximiè in ullo morbo præstent: Ita, crede mihi, illa versatilis & varia eruditio inficit potiùs ingenium, quàm perficit. Tritum est illud & πολυθρύλλητον, sed non minùs verum: Qui binos lepores &c.

Sed præter opinionem ſeſe aperuit Orationis meæ flumen, & ultra limites, quos mihi ipſi deſcripſeram animo, ſeſe effudit, materiæ ubertate eam protrudente, unde orandi mihi nunc eſtis Auditores, ut veniam detis; novi ego legem veterem: normam finiendæ Orationis Auditores eſſe debere, non Oratorem, & obſervare eam ſeriò præſumſeram, ſed excrevit inter dicendum, ut vidiſtis, res, de qua dicendum fuit, neq; permiſſum mihi fuit in ipſo Orationis veluti curſu examen inſtituere, & delectum dicendorum tacendorumq;: Itaq; benevolentiam veſtram ſicut initiò Orationis meæ reverenter & officiosè imploravi: ita nunc ſub ejusdem exodium eandem mihi exambio & exoro: Pro omni autem humanitate veſtra, quâ & in invitantis gratiam benignè & amicè comparuiſtis, quâ perorantem attentè ſtudioſeq; audiviſtis, quâ deniq; nunc finientem comiter & cum gratiâ dimittitis, gratias omnibus & ſingulis, ut fas piumq; eſt, ago, operamq; unicè dabo, totisq; viribus connitar, & ut ſpero, etiam conſequar, ut de obſervantiâ erga vos meâ cultuq;, ſtudio item & amore, bene merendi deniq; promtiſſimâ voluntate nihil me hactenus remiſiſſe, nihil etiam remiſſurum deinceps, omnibus vobis ſingulisq; luculentiſſimis indicijs & argumentis liquidò conſtet.

D I X I.

FINIS ORATIONUM.

INDEX

INDEX EORUM, QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

D. Philippi Scherbij Diſp. de Artis Apodicticæ Fragmentis, Pag. 1.
Diſſertatio adverſus Ramiſtas, pag. 10.
D. Erneſti Soneri Diſputationes duæ de Materia Primâ, pag. 47.
M. Michaelis Piccarti Theſes Logicæ de Quatuor Organis τῆς εὐπειθοῦς πεθτάσεων. pag. 79.
de Endoxis. pag. 89.
Quæſtio Logica, An Cauſſæ rerum notæ ſint Dialectico? pag. 94.
Quæſtio de Cauſſis, Dialecticè theſibus pertractata. pag. 101.
Diſputatio de Sede Demonſtrationum. pag. 108.
de Pædia, pag. 115.
de Philoſophia, pag. 121.
de Petitione ejus, quod in principio, pag. 126.
de Notis propoſitionum neceſſariarum, pag. 132.
de Officijs Dialectici Interrogantis, pag. 138.
de Principijs Scientiarum, pag. 145.
de Iudicio & Acumine, pag. 152.
de Definitione, pag. 158.
de Veritate, pag. 164.
de Cauſſis Corruptæ Philoſophiæ, pag. 173.
de Nominibus, eorumq; Impoſitione & Vſu, pag. 181.
de Demonſtratione, pag. 189.
de Doctrina Elementari Veterum, pag. 195.
de Officijs Dialectici Reſpondentis, pag. 205.
de Prædicamento Subſtantiæ, pag. 215.
de Oppoſitis, pag. 222.
de Problemate & Propoſitione Dialectica in genere, pag. 233.
de Sophiſticis Elenchis malè exterminatis, pag. 243.
de Inductione, pag. 252.
de Diſcrimine Problematum Dialecticorũ & Analiticorum, p. 263.
Decas Quæſtionum Logicarum, Reſp. Mich. Vrſino, pag. 272.
Quæſtiones Logicæ Miſcellaneæ, Autore & Reſp. Ioh. Sauberto, pag. 278.
Diſputatio de quinq; Vniverſalibus, pag. 283.

Diſputa-

Disputatio de Vsu Divisionum, pag. 295.
de Republica & ejus Formis, pag. 303.
de Dissimilitudine ac Similitudine Scientiæ & Artis, pag. 317.
Quæstiones Politicæ Miscellaneæ, Resp. Caspare Pansâ, pag. 319.
Disputatio Logica de Notioribus Naturâ & Nobis, pag. 342.
Quæstiones Metaphysicæ, Resp. Iohan. Cobio, pag. 351.
Quæstiones Miscellæ, Resp. Sebastiano Hainlin, pag. 361.
Disputatio de duplici res tractandi modo, λογικως aut Φυσικῶς, p. 366.
Quæstiones Philosophicæ, Resp. Iohan Scheffero, pag. 376.
Disputatio, An Formæ ducantur de potestate Materiæ? pag. 382.
Quæstiones Miscellaneæ Philosophicæ, Resp. Luc. Renner, pag. 389.
Disputatio de Scientia Naturæ, pag. 395.
de Natura Actuum Secundorum, pag. 402.
de Iure Victoriæ Bellicæ, pag. 413.
de modis investigandæ Definitionis, pag. 426.
de Ordine Doctrinæ in tradendis disciplinis, pag. 433.
Quæstiones Logicæ Controversæ, Resp. Georg Muller, pag. 448.
Quæstionum Insigniorum, exutráq; Philosophia desumptarũ Decas, p. 453.
Disputatio de Criterijs Scientiarum, pag. 462.
de Accidente, pag. 481.
Censura Dialecticæ novorum Philosophorum in Theses conjecta, pag. 488.
Disputatio de Iure Belli, pag. 494.
de Origine & Divisionibus Reipublicæ, pag. 507.
D. Ernesti Soneri Problemata Miscellanea, Autore & Resp. Ioh Leopoldo, p. 515.
Disputatio de Iride Cœlesti, Autore & Resp. Andr. Ludov. Schoppero. p. 523.
de Motu, Autore & Resp. Casparo Starck, pag. 530.
Oratio de Insomnijs, pag. 535.
de Vita Contemplativa, pag. 552.
M. Michaëlis Piccarti Oratio de Ortu primo, & Migratione Veterum Germanorum, pag. 565.
Expediátne Principi, subtrahere se oculis Subditorum? pag. 576.
de Magnanimitate Romana, pag. 587.
de Theologia Aristotelis & Platonis, pag. 599.
Funebris in Obit. Scipionis Gentilis, pag. 613.
de Miseria Hominis, pag. 627.
Revocatoria cœtus Academici post pestem anni 1612. pag. 639.
de Indicijs bonæ Indolis, pag. 647.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM SECUNDUM SERIEM ALPHABETI, ET PAGINAS.

Accidentale alteri esse potest, quod uni est Substantiale, 363. 486.

Accidentia non excluduntur tertio modo per se, 136. plerumq; definiuntur, facta mentione subjecti, 160. dicuntur Entia, quia sunt Entis, 172. 521. num possint dici, & quo sensu, formaliter Entia? 363. 483. num possint esse Accidentium Accidentia? 262. 484. quotupliciter dicantur, & quid sint? 294. 481. seq. per tot. disp. *ab omni aternitate habuerunt aptitudinem essendi in pluribus, non tamen actum, 294. primùm se offerunt nostræ facultati cognoscenti, veluti cortex, quidditatem verò & quidditatis quidditatem ad supremam formarum usq; formam, quasi medullam tegunt & involutam celant, 346 primùm à sensu percipiuntur, 347. an educantur è potestate Materiæ? 387.* seq. *vel Naturalia sunt, vel Artificialia, & illa, vel propria, vel Communia, 387. quomodo Dicantur adesse vel abesse sine subjecti interitu? 409. 410 quibus modis Substantiâ sint posteriora? 483. cum Substantia faciunt Vnum per accidens, 486. an possint permanere destructo subjecto? 484. duo ejusdem speciei in eodem subjecto esse non possunt, 487. eadem, si sint in diversis subjectis, quia diversa nomina sortiuntur, videntur etiam specie differre,* ibidem.

Acroamatici libri apud Aristotelem qui sint? 30.

Actiones aliquæ dantur in rerum natura, ubi agens & patiens tangunt se quidem medio aliquo, sed ita, ut motus iste agentis in medio non recipiatur, 543. 544. seq.

Actionis motus & terminus sæpe eodem nomine denotantur, 183 præcedentis & subsequentis habitum moralem. Species diversa non est, 453.

Actus ubi non est, sed sola potentia, ibi nec distincta aut sufficiens cognitio, 43. an & quomodo prior sit potentiâ? 354

secundus, veluti forma, recipitur in primo, tanquam in materia, 105. est de essentia primi, rebusq; essentialis, & pertinet ad τὸν τῆς οὐσίας λόγον, 105. 106. & 402 seqq. per tot. disp.

Acumen quid sit? an plerumq; noxium? & quod est inventionis, an differat à judicandi peritia? 155.

Adulterium an tempore Taciti fuerit capitale? 461.

Æquivoca non possunt definiri, nisi sint ab æquivocatione suâ liberata, 481.

Aer an sit calidus? 392.

Æterna, Ingenita & Incorruptibilia, num sint reciproca? 518. quatenus sunt

æterna, num habeant veram, propriè q; sic dictam potentiam? 355. à corruptibilibus differunt genere, 365.

Affectiones demonstrandæ in internas & externas dividuntur rectè, 114. non rectè, 375. dividuntur etiam aliter, 134.

Affectus, animi humani tortores sunt, 630.

Agricolæ num sint tolerandi in Civitate? 336.

Altaria ab antiquissimis Christianorum non fuerunt extructa, 569.

Ambitio pestis Philosophiæ, 173 seq. 244.

Analogæ, quæ vulgò dicuntur Proportionis & Attributionis, explicantur, 289.

Ἀναλυτικῶς disputare, quid sit apud Aristotelem? 30. 366. seqq.

Angeli an sint Substantiæ corporeæ? 521.

Anima ex propria Aristotelis sententia non dividitur in rationalem & irrationalem, 19 171. num sit Cœli forma informans? 518.

hominis non est homo, 58.

Animi divinitas, 559. 560.

pravitas quomodo se habeat ad ignorantiam recti? 60.

perturbationes & profundiores cogitationes sunt causæ quorundam Insomniorum, 540.

Apodictica differt à Dialectica & Rhetorica non tantùm in fine, 30. 390. sed in medijs etiam, 33 & sola est Philosophiæ Organon acroamaticum, 390.

Appetitus Materiæ Primæ ad Formas qualis? 57.

Aristocratiæ arcanum quoddam ostenditur, 221.

Aristoteles non semper de eodem loquitur idem, vel quia locus est alienus ad suam sententiam exprimendam, vel quia species quædam perfectis interpositæ utrumq; extremum de se enunciari admittunt; vel etiam ob causas alias, 20. seq. plurima nomina mutuatus est à Geometris, 24. defenditur adversus Ramistas, p. 10. & seqq. per tot. dissertat. mundum ab æterno ex seipso, non minùs quàm ipsum DEVM, existentem non credidit, 63. in illa, quæ ex sensu decerpta non sunt, se non ingessit, eoq; differt in modo philosophandi à Platone, 144. 470. male reprehenditur, quòd in causis mutationum Rerump. Fatum neglexerit, 144. malè etiam à Bodino exagitatur de speciebus Regni, 157. facultatem judicandi his quinq; tribuit, Cognitioni, Virtuti, Scientiæ, Arti & Experientiæ, 15. 153. 154. observavit Doctrinam Elementarem, 199. 203. duobus modis res consideravit, λογικῶς & Φυσικῶς, 30. & 366. seq. per tot. disp. non facilè compositæ definivit, sed formas solùm, 430. quid senserit de DEO, 599. seq. per tot. orat.

Armis cujusvis generis, falsis etiam, aut novis, uti licet adversus hostem, 504.

Digitized by Google

ijsq; ſemper accincti fuêre Perſæ & priſci Germani, 571. bruta vel inſtructa ſunt, quàm primùm naſcuntur, vel etiam, cùm non ſunt inſtructa, confidunt tamen, 632.

Ars non eſt rerum homogenearum per generaliſſima, ſubalterna, atq; ſpecialiſſima comprehenſio & ordinatio, 24 25. habet munus judicandi, 15. 153. diſtinguitur à Conſuetudine, 181. ſæpe patitur defectum nominum, 182. utrum in cauſſis naturalibus numeranda, an verò in ijs, quæ agunt ex προαιρέσεως? 278. quomodo ſit Scientiæ ſimilis aut diſſimilis? 313. ſeqq. per tot. diſp. ut definitur VI. Ethi. cap. 4. non poteſt eſſe Genus Logices, 491.

Artes malè dividuntur in Theoreticas & Practicas, 278. extra ambitum Philoſophiæ ſunt, 18. finibus diſtinguuntur, ſicut ſcientiæ ſubjectis, 112. 132. 170. 315. non doceri poſſunt; docentur verò ipſarum præcepta, 318. Mechanicæ num ſint filiæ diſciplinarum Mathematicarum? 316. 476.

Articuli fidei è Philoſophia non evincuntur, 157. 166. 478.

Artifex num debeat ex officio artem ſuam alijs tradere? 279.

Artificialia num pertineant ad Categoriam Subſtantiæ? 84.

Aſtrologia ſola ex Mathematicis diſciplinis propriè debet numerari inter partes Philoſophiæ, 457.

Aſyla num in Rep. bene conſtituta poſſint conſtitui ſive permitti? 341.

Avaritia eſt cauſa corruptæ Philoſophiæ, 173. ſeqq. 244. eſt etiam cauſa exterrantium Reip. formarum, 512.

Auditus multum facit ad cognitionem, 124.

Aulici cur diſuadeant Imperatori vel Principi ſuo converſationem cum ſubditis publicam? 585.

Auctoritas allegata, apud vulgus id eſt, quod apud Sapientes Ratio, 82.

Baſiliſcus cur hominem priùs conſpectum eneret, moriatur autem, ſi priùs ipſe ſit ab homine animadverſus? 546.

Beatitudo Divina à nullo Entium felicius imitamen experitur, quàm ab homine, 559.

Bella Chriſtianorum Principum pro recuperanda Terra Sancta, ut & Hiſpanorum, Indis atq; Orbi incognito illata, num ſufficienti jure nixa ſint? 506.

Belli Summa peregrino poteſt commendari, 311. nervus eſt pecunia, 454.

Bellum inter quos ſit, quas cauſſas habeat juſtas, & quomodo gerendum? 494. ſeq. per tot. diſput.

Beſtiæ num poſſint in bello adverſus hoſtem licitè uſurpari? 503.

Bona externa num requirantur ad Felicitatem? 380.

Brutis nec rationis usus tribui potest, nec docilitas, 114. ijsq;, præter Contemplationem omnia, quæ videntur hominis propria, etsi non talia, similia tamen competere videntur. 560. arma etiam vel connascuntur, vel aliquanto pòst nascitura fiduciam tamen, cùm absunt adhuc, movent, 632.

Captivũ in quibus sit servanda fides data? 505. quando liceat fugere? 506.

Carminum scribendorum diversas & frequentes postulationes quomodo possimus à nobis removere, 283. seq. per tot epist.

Castra Romanorum pedibus ingredi licebat, non equo, 595. atq; sic moveri solita sunt, ne quicquam fugæ subesse videretur, 596.

Categoriarum doctrina num sit in Logicis ferenda? 273.

Causa definiri non potest, 492. ab Aristotele non est definita, à Galeno tamen, 101. sæpe eodem appellatur nomine, quo effectus, 183.

Causæ quo pacto & in Metaphysicis, & in Logicis, & verò in Physicis etiam tractentur? 29. num debeant considerari à Dialectico? 36. 94. seq per tot. disp. *num sint causæ, dum res fiunt solum, an etiam, cùm jam factæ res? 101.* seq. per tot. disp. *diversæ numerantur à Galeno & ab Aristotele, 102. ab hoc verò rectè tantùm quatuor, 380. referuntur ad primum modum per se, 134. non sunt in infinitum quærendæ, 480.*

Certitudo omnium non est æqualiter exposcenda, 117.

Christiani Philosophiam abominari & fugere non debent, 389. qui antiquissimi fuêre, templa nulla habebant, nulla delubra, nullas item aras, aut statuas, vel simulachra, 568. 569.

Cibi flatulenti sunt causa quorundam somniorum, 540.

Civitas definitur, 306. formaliter considerata, Resp. est. ibid. *an una denominetur ab ijsdem mœnibus aut hominibus, an ab alio? 307. quomodo differat ab Vrbe? 307. ex quibus partibus constituatur? 508. originem suam traxit, partim à natura, partim à ratione & prudentia, non verò à vi, 508.*

Clementia num Principem magis deceat, quàm Severitas? 319.

Clerici cur apud Pontificios matrimonio prohibeantur? 513.

Cœlum an sit ingenerabile & incorruptibile? 364. an habeat motum contrarium? ibid. *an habeat eandem materiam cum his inferioribus? 70.* seq. *458. an moveatur motu circulari, tanquam naturali? 516. an habeat formam informantem? 517. an informetur aliquâ animâ? 518.*

Cogitationes animi profundiores, sunt causæ quorundam Insomniorum, 540.

Cognitio adjuvat judicandi peritiam, 15. 153. ab Aristotele triplex constituitur, principiorum, conclusionum, & opinionis, 488. 489. quomodo se habeat in homine ad res cognoscendas? 346.

Coma

Comæ promiſſæ Perſarum & Germanorum, 571.
Compoſita de quibus propriè dici debeant? 102. non ſunt præſtantiora ſuis formis, 157. quando ſint notiora ſimplicibus? 200. 201. num ſemper meliora componentibus? 391. rarò definita ſunt ab Ariſtotele, frequentiùs formæ, 430.
Concluſio num ſit pars Syllogiſmi, an verò effectus? 460.
Concordia vinculum eſt Reipub. 304. 305.
Conjugium cur Clericis à Pontifice non ſit conceſſum? 513.
Conſcientia mala Tyrannorum facit, ut ipſi hominum oculis ſe ſubtrahant, 585.
Conſilia hoſtium neglecta à Romanis, 595.
Conſiliarij adhibendi ſunt Principi, 322. ijq; multi, non unus tantùm, 330. num debeant in Senatum venire, quando ſciunt, conſilium iniri, cui ſalvâ conſcientiâ aſſentiri nequeant? 326. num poſſint ex cauſa ſuperveniente mutare conſilium? 327. an teneantur, etiam non requiſiti, Principi, ubi res poſtulat, conſulere? 327. quùm eligendi ſunt, num generis, opum & potentiæ ratio habenda ſit? 328. num poſſint accipere oblata xenia? 329. qui Prædeceſſoris fuerunt, an novo Imperij Succeſſori mutandi ſint atq; dimittendi? 329. ſi boni ſint, Princeps verò malus, minùs nocet, quàm ſi bonus hic quidem ſit, iſti verò mali, 514.
Conſuetudo differt ab Experientia, 149. & ab Artibus, 181.
Conſultationes à Perſis, Græcis & Germanis antiquis inter pocula ſunt inſtitutæ, 571. 572. tribui poſſunt DEO exemplariter & virtualiter, ſed non formaliter, 609.
Contactus aliquis eſt inter agens & patiens, per medium quidem aliquod; talis tamen, ut in medio iſto motus agentis non recipiatur, 543. ſeq.
Contemplation. V. Theoria.
Continentia à Temperantia ſpecie differt. 454.
Contrariè Oppoſita definiuntur & explicantur, 224. ſeq. iterum definiuntur, 252. in gradibus excellentibus non poſſunt eſſe in uno ſubjecto, 227.
Corporeitatis ſubſtantialis forma Materiæ Primæ coæva non eſt, 65.
Corpus humanum multis morbis eſt obnoxium, 630.
Corruptibile & Generabile num ſint reciproca? 518. ab Incorruptibili genere differt, 365.
Corruptio non eſt Motus, 532.
Creatio quoad nomen ignota fuit Ariſtoteli, quoad rem verò notiſſima, 64. non eſt ποίησις, 556.
Criteria Scientiarum, 118. & 465. ſeqq. per tot. diſp.
Curæ ſunt cauſæ quorundam Inſomniorum, 540.

Deditio arcũ ſibi commiſſæ facta à quodam Præſide Gallicano apud Froſſardum, etiamſi poſt vincula demum à civibus ad ipſam perſuaſo, capitali tamen ſupplicio digna fuit, 514.

Deditiŋ qui ſint; an ſemper ſint recipiendi, & quid juris habeant? 424. 425.

Definitio quid ſit & quotuplex? 158. ſeq. per tot. diſp. quomodo debeat inveſtigari? 161. 426. ſeq. per tot. diſp. quomodo differat à definito? 32. cujuſq; rei una eſt, 159 debet ad minimum duabus vocibus conſtare. 159 quarum ſit? 160. ſi reducatur ad Demonſtrationem, propria paſſio locum habet majoris extremi, 161. 251. ſi omnis Demonſtrationis principium eſt, quænam illa ſit, & utrius extremi definitio? Num Subjecti, an verò Affectionis? 451. 452. ita ſæpe occultata eſt, ut à parum oculatis difficulter videatur, 430. turpiter à Ramo neglecta eſt, 491.

Nominalis in limine cujuſq; ferè diſciplinæ rectiùs proponitur, quàm Eſſentialis, 1.

Democratia vitioſa incipit ſub ſpecioſo jure Libertatis, 512

Demonſtratio quando rem ſpectet, non modum intelligendi? 9 pertinet ad ſcientiam, cujus eſt Concluſio, nõ verò ad eam, cujus eſt Principiũ, & ſi Cõcluſio non ſit unius ſcientiæ, ad eam, è qua Subjectum eſt, non è qua Prædicatũ, 108. ſeq. per tot. diſp. num ſemper debeat eſſe ex prioribus? 127 quid ſit, quorum ſit, quotuplex, & ex quibus? 189. ſeqq. per tot. diſp. quomodo non petit id, quod in principio ſi modos hujus vitiŋ rectè aſſignavit Ariſtoteles in Topicis? 129. ſeq. num detur? 275. 391. à Ramæis malè tollitur, 491. num ſit nobiliſſimus ſciendi modus? 391. Accidentium propriorum eſt, non communium, nec etiam Subſtantiarum, 426. quorum καθ' αὐτο modorum propoſitiones habeat? 452.

Dependentia per Emanationẽ adeò nõ latuit Ariſtotelem, ut ſit ab eodem tributa Mundo; quomodo intelligendus is eſt, quùm hunc dicit eſſe æternum, 64.

DEVS non eſt Materia Prima, 65. num ab Ariſtotele ſtatuatur tantùm Finis Univerſi, an etiã Efficiens? 97 107. 356. 365 604. an ut principium omnũ rerũ ab humano intellectu naturaliter poſſit cognoſci? 353. an ſit actus purus? 357. an ſit ſimpliciter immutabilis? 358. 365. an à nullo dependeat, ab ipſo verò omnia? 359. an ſit Ens neceſſariũ? 365. non vivit vitã Activã, aut Effectivam, eſt tamen juſtus, & Creator, & ſuam exercet Providentiã. 555. eſt menſura omnium cæterorum Entium, 558. & notiſſimus eſt omniũ, & omnium etiam ignotiſſimus, 600. quòd ſit, & quidem immobilis, æternus, neceſſariò, ſemper, unus, ac incorporeus, ſolius rationis beneficio probatur, 601. 602. ſeqq. in quantum & cum quibus attributis à Platone & Ariſtotele ſit cognitus? 599. ſeq. per tot. orat. an ſit ubiq;, 611. V. Ens primum.

Digitized by Google

Dialectica differt ab Apodictica (390.) & Rhetorica in fine, 30. & in medijs, 33. malè definitur, quòd ſit Ars bene diſſerendi, 100. apud Ariſtotelem nõ uſurpatur pro toto organo, 139. 491. priùs debet doceri, quàm Analytica, 138. 205. comparatur cum γυμναστικῇ, 234. quomodo conveniat cũ Rhetorica? 246. 247. an ſit ad alias diſciplinas neceſſaria? 377.

Dialecticus idem tractat objectum, quod Philoſophus, (diſputat enim uterq́, de Ethicis, Phyſicis, & Logicis:) ſed modo diverſo, 83 ignorat cauſas diſtinctè, 95. ſeqq. per tot. orat. non debet uti deductione ad impoſſibile, 98. Interrogans ad quæ debeat eſſe attentus? 138. ſeqq. per tot. diſp. brevitatis in omnibus ſtudioſus non eſt, 143.

Reſpondens quæ habeat officia? 205. ſeqq. per tot. diſp.

Διαλεκτικῶς diſputare quid ſit apud Ariſtotelem? 30. 366.

Dialogi quotuplices? 207.

Dies minùs tranquilla eſt, quàm Nox, 548.

Differentia quid ſit, & quotupliciter dicatur? 292.

Differentiæ Subſtantiarum ex Accidentium prædicamentis peti poſſunt, adeoq́, non ſunt Subſtantiæ Logicè conſideratæ, 5. 219. 373. 460.

quomodo diſtinguantur à Speciebus? 85.

quomodo conſiderentur à Dialectico? 99. ſunt quidem cauſæ conſtituentes rerum, ſed non ſemper Formæ locum obtinent, 99. 107. 122.

Differentiarum Partes quomodo apud Averroëm debeant intelligi, ut ſint καθ' αὑτὸ primi modi? 134.

Difficultas cognitionis noſtræ num ſit à rebus ipſis, an ab intellectu? 352.

Dignitas ex virtute eſt unicum æqualitatis & inæqualitatis inter Cives fundamentum, 513.

τὸ Διότι cognoſc. poteſt ſine cognitione τοῦ ὅτι, 401.

Diſcendi modus illegitimus & conſuetudo improba ſunt cauſæ Corruptæ Philoſophiæ, 176. ſeq.

Diſcipulus num licitè poſſit Doctori ſuo contradicere? 281.

Diviſio quomodo rectè inſtituatur? 5. 6. non eſt arx Sapientiæ, 160. quos habeat ad definiendũ uſus? 298. ſeqq. per tot. diſp. 429. quotuplicis ſit ſignificationis? 298. quas habeat, ſi legitima ſit, virtutes? 301. quâ causâ ab Ariſtotele ſit reprehenſa? 298. ſeqq. non debet eſſe nimia ſectio, 301.

Divites an in commiſſione Reip. gubernandæ præferendi ſint pauperibus? 325. opibus ſuis, tanquam jure quodam ſpecioſo utuntur ad Imperium quaſi poſtulandum, eoq́, pacto autores ſunt Oligarchiæ, 512.

Doctrina Elementaris quos habeat uſus? 6, 195. ſeqq. per tot. diſp. duplex eſt, 202.

Dolus quidam in hoſte licitus eſt, 493. 503. 504.
Duces hoſtium capti num capite necari debeant? 420. *proditione necari non debent, & non omni in loco licitè occidi poſſunt*, 503.
Ebrioſitas Perſarum & Germanorum, 571.
Efficiens Cauſa importat imperfectionem, 604. *dupliciter ab Ariſtotele uſurpatur*, 97 356.
Elenchi Sophiſtici malè exterminati à Ramiſtis, 43. 243 ſeq. per tot. diſp. 274.
Elocutio cur in extremum librum Rhetoricorum ab Ariſtotele ſit rejecta? 42.
Eloquentia num locum habere poſſit in Civitate? 335.
Emanatio Ariſtotelem adeò non latuit, ut ſit ab eodem tributa Mundo; quomodo intelligendus eſt, cùm hunc dicit eſſe æternum, 64. 357. *monſtrum eſt apud Ariſtotelem*. 105.
Ἔνδοξα quomodo Latinè reddenda? 35. 92. *non ſunt rebus circumfuſa*, 35. 94. *quid ſint? an, quatenus ἔνδοξα, vera ſint vel falſa?* (32.) *an rectè dividantur in Neceſſaria & non Neceſſaria? an alia rectè dicantur ἀληθῶς talia, alia φαινομένως tantùm? an varias habeant appellationes, &c.* 89. ſeq. per tot. diſp.
Ἐνθυμήματα num poſſint habere aliquam propoſitionem univerſalem? 281. *ſucata Oratores non ſemper fugiunt*, 38.
Ens non habet, aliquam communem naturam, 216. *ideoq; non poteſt eſſe Genus*, 264.
quatenus Ens, an ſit proprium & adæquatum ſubjectum Metaphyſices? 519. *cum primo Ente idem eſt*. 520.
primum an ſit ſimplex & actus purus? 357. *an ſit ſimpliciter immutabile*: 358. 365. *cum Ente, quatenus Ens, idem eſt*, 520. V. DEUS.
Ἐντελεχείας vocabulum ab Ariſtotele artificiosè fictum eſt, 185. *quid ſignificet in definitione Motus?* 531.
Enunciationes quædam non habent ſe præter naturam, etiamſi invertantur, 12.
τῶν Ἐπαγωγῶν cauſæ ſunt cautè dandæ, 7.
Equites equo degredi jubebantur, ſi caſtra Romanorum vellent ingredi, 595. *Romani fuerunt ſeminarium Senatus*, 590.
Eſſentia an & quomodo differat ab Exiſtentia? 393. 520.
Eſſentialiter ineſſe non ubiq; diſtinguitur à Naturaliter ineſſe, hoc tamen in phyſicis eſt ſecundi modi per ſe, illud primi, 22.
Ex eſt vocabulum æquivocum, 97.
Exaggeratio in confirmatione vel refutatione eſt Sophiſma planè Oratorium, neq; poteſt ad ullum in Elenchis Sophiſticis revocari, 38.
Exemplum eſt Inductio Rhetorica, 258.

Digitized by Google

Exiſtentia an & quomodo differat ab Eſſentia, 393. 520.
Experientia differt à Conſuetudine, 149. adjuvat judicandi peritiam, 15. 154. num generet Metaphyſicam? 361. num debeat prævalere rationi? 431.
Explorare in bello num deceat Virum Bonum, aut Nobilem? 455, 504.
Fabula ſecundum Alexandrum, convenit cum Syllogiſmo quod Genus; Genus autem habet λόγον, quem λόγον Agellius vertit per Orationem, 378.
Facultas cognoſcendi in homine quomodo ſe habeat ad res cognoſcendas? 346.
Fallacia τοῦ πρὸς τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον non eſt de falſa cauſa rei, ſed de falſa cauſa Concluſionis in Syllogiſmis per impoſſibile, 36. 98.
Falſa non tantum poſſunt in diſputationem admitti, ſed doceri etiam, dummodò ad bonum finem, 93. 170.
Falſitatis crimen ab Ariſtotele removetur, 18. 19. ſeq.
Felicitas num bonis externis egeat? 380.
Figuræ Syllogiſmorum ſunt tamquam compedes tironum, & ab edoctis amoventur, 23. cur primam agnoſcere debeant eam, in qua medius terminus eſt ſubjectum majoris, & prædicatum minoris? 274.
Finis importat perfectionem, 604.
Filius DEI Platoni ſæpe nominatur, ſed in quo ſignificato id fiat, non ſatis conſtat, 610. ſeq. quòd reverà ſit & neceſſariò, per ſolam rationem evincere non poſſumus, 604.
Fluvios Perſæ in ſummo cultu habuerunt, 570. Romanorum autem exercitus, non aliter, quam ſuperinjecto ponte tranſire potuerunt, 594.
Fœmininus ſexus naturâ ad parendum factus eſt, 509.
Forma cur inter cauſas à Galeno non ſit numerata? 102. quo genere cauſæ cauſet actiones compoſiti? 105. nobilior eſt materiâ, 112. 379. perfectior eſt compoſito, 392. & non eſt diviſibilis, 310. 311. ſitné Subſtantia, an Accidens? 131. an appetatur à Materia? 379. an Subſtantialis, quàm Accidentalis educatur è poteſtate Materiæ? 382. ſeq. per tot. diſp.
Formoſitas ad Autoritatem Principis multum ſaut, 582.
Frigus ita rigidum eſſe, ut verba congelare poſſit, quorum poſt ſolutam demum glaciem murmur ac ſonitus audiatur, rationi repugnat, 188.
Friſij cum Saxonibus, ut hodie vocantur, primi ſuêre inter Germanos Perſiam egreſſos, 574. 575.
Generabile & Corruptibile num ſint reciproca? 518.
Generatio fit in tempore, 459. nec Motus eſt, 532.
Genus eſt quidem cauſa conſtituens rei, ſed non ſemper materiæ locum obtinet, 99. 107. 122. quomodo conſideretur à Dialectico? 99. quod remotum

eſt, dicitur ab Averroë pars Generis, & eſſe primi modi per ſe, 133. ſæpe eſt ἀνώνυμον, quamvis Species ſint nominatæ, 182. quid ſit, & quotupliciter dicatur? 290. ſeq. à Raméo malè definitur, 492.

Germani unde orti ſint, vel unde migrârint? 565. ſeq. per tot. orat. Perſarum olim fratres fuêre. & convenêre cum ipſis in multis, 567. ſeqq. quos DEOS venerati? 570. unde ſic dicti? 575. 576.

Glaciei quænam ſit cauſa? 114.

Gloriam omnes homines ſibi cupiunt, 173. ſeq.

Gratitudo erga Præceptores laudabilis, 619.

Græci inter pocula conſultârunt, 472.

Γυμναστικὴ comparatur cum Dialectica, 234.

Habitus, qui in prima ſpecie Qualitatis ponitur, diſtinguitur ab Habitu, qui opponitur Privationi, 228.

Hæretici non ſunt crudeliter extinguendi, 151,

Hiſtorici num humilia tangere debeant, & ignobiles minutias, 262.

Homo præ cæteris animalibus habet quandam in multis rebus αὐθεντίαν, libertatis ſuæ indicem, 164. eſt animal gloriæ, 173. ſeq. eſt animal civile, 303. qui rudis eſt, eſt æquivocè homo, 404. ſolus autem præ ceteris Entibus non imitatur tantùm, ſed aſſequitur etiam beatitatem Divinam, 559. unicâ contemplatione differt à brutis, 560. ſeq. eſt animalium omnium prope miſerrimum, 627. ſeq. per tot. orat. qua causâ à DEO ſit productus? 629. ſeq.

Homonyma, niſi liberentur à ſua homonymiâ, definiri non poſſunt. 481.

Hoſtis & Latro, Prædo, ſive Pirata differunt, 495.

Honor à Romanis ſæpiùs ex alijs poſtulatus eſt, quàm erga alios, etiam amicos, exhibitus; 596. victis verò ab ijsdem cum jure dignitate, & titulo relictus, interdum etiam auctus, 597.

Humores ſunt quorundam Inſomniorum cauſæ, 539.

Ideæ Platonis cur ab Ariſtotele non tantùm in prima Philoſophia, ſed in Analyticis etiam, Phyſicis & Ethicis ſint refutatæ? 29

Identicæ Propoſitiones diſtinguuntur, 22.

Ignavia eſt cauſa corruptæ Philoſophiæ, 174.

Ignis culinaris quomodo ſit in ligno, an ut in ſubjecto, an ut in materia? 318. à Perſis eſt æternus conſervatus, & Numinis inſtar cultus, 570.

Imaginationis vires in corpus proprium, 545. in corpus etiam aliud extraneum, & alterius phantaſiam, 546. ſeq.

Imperium reſpectu Obſequij facit ordinẽ in rebus animatis atq; inanimatis, 509.

Incon-

Digitized by Google

Inconſtantiæ crimen ab Ariſtotele removetur, 19 ſeq.
Incorruptibile & Ingenerabile atq; Sempiternum ſunt reciproca, 518. & *differunt genere à Corruptibili*, 365.
Induciæ elapſæ novam belli indictionem non requirunt, 502. *donec elabatur tempus, ſervari debent, ſi pacta ſint ſine omni dolo fideliter*, 505.
Inductio unde nomen ſuum nacta? quid ſit, & quotuplex? an fiat tantùm ex ſingularibus propriè ſic dictis, velindividuis, &c. 254. ſeqq. per tot. diſput.
Ingratitudo erga Præceptorem eſt deteſtanda, 619.
Inſomnia maximam pariunt admirationem, nec nihil, nec parum, nec nimium fidei merentur; quid ſint, & à quibus (præcipuè ea quæ, quid amicis ultra Herculis columnas conſtitutis eventurum ſit, prænunciant) proveniant cauſis? cur matutina plerumq; veriora ſint? cur pauca alijs, alijs omninò nulla obtingant, &c. 538. ſeqq per tot. orat.
Inſtrumentalis cauſa apud Galenum peculiare Cauſarum genus conſtituit, apud Ariſtotelem non item, 102. *num habeat contrarium?* 318. *definitur ſuo uſu*, 492.
Intellectus in ſcientijs theoreticis eſt menſuratum, in artibus verò & humana Philoſophiâ menſura eſt, 18. 165. 166. 314. *eſt etiam menſura Dialectici, ſed Apodictici menſuratum*, 35. *poteſtate multiplex eſt, re tamen unus*, 316. *quomodo dicatur nihil intelligere, niſi quod priùs fuerit in ſenſu?* 547.
Intelligentia, ut eſt habitus principiorum, an ſit habituum intellectualium perfectiſſimus? 448. 449.
Interrogans Dialecticus ad quæ debeat attendere? 138. ſeq. per tot. diſp. *brevitatis in omnibus ſtudioſus non eſt*, 143.
Interrogationibus olim diſputatum eſt, non Syllogiſmis, ut hodie fit, 235.
Inventionis propoſitionum quatuor præcipua ſunt organa, quorum tria poſteriora poſſent quodammodo reduci ad primum, non tamen debent, 30. ſeq. per tot. diſp.
acumen differt à judicandi peritia, 155.
Iris unde dicta? num ſemicirculi magnitudinem non excedat? quot, & unde generatorum colorum ſit? quas etiam alias agnoſcat cauſas? quibus potiſſimum vel locis fiat, vel temporibus? quomodo definiri debeat? 523. ſeq. per tot. diſp. *an extiterit ante diluvium?* 528.
Iudex, ſi furere cœperit, num deſinat eſſe judex? 456.

Iudicia juvenum ſunt moderanda, 10. 11. mediſq; præſcriptis rectè efformanda & adjuvanda, 13. ſeq. 152. ſeq. per tot. diſp.

Communia ubi ſint amplectenda, ubi fugienda? 39.

Iure Conſulti num in Civitate ſint tolerandi? 333.

Iuris uſus & juris ars differunt, 480.

Ius à condentis autoritate vim ſuam, poteſtatemq; accipit, 480.

Belli, 494. ſeq. per tot epiſt.

Victoriæ Bellicæ, 413. ſeq. per tot. diſp.

Iuvenes an ſint admittendi ad Rempublicam? 324. V. Judicia juvenum.

Καθ' αὐτὸ explicatur, 22. 23. 24. 133. ſeq. & idem eſt quodammodo, quod ἢ αὐτὸ, 27.

primi modi explicatur, 133.

ſecundi modi, medium eſt inter καθ' αὐτὸ primi modi, & id, quod verè κατὰ συμβεβηκὸς, ideoq; quæ talia ſunt, nunc huc, nunc illuc revocantur, 21. explicatur, 134.

tertij modi explicatur, 136.

quarti modi explicatur, 23. 40. 136.

Καθ' ἕκαστον apud Ariſtotelem interdum ſignificat Speciem, non ſemper Individuum, 260.

Καθόλου πρῶτον quid ſit? 137.

Κατ' ἀλήθειαν diſputare quid ſit apud Ariſtotelem? 30. 366. ſeq.

Καλὰ παντὸς non eſt unica & perpetua Regula veritatis, 15. ſeqq. maximè reperitur in Mathematicis, in Phyſicis minus, 133. explicatur, ibidem.

Latro, & Hoſtis differunt, 495.

Legati coram quibus ſint audiendi? 311. num mandati ſui limites licitè poſſit aliquando excedere? 331. jus ſecuritatis non habent, niſi apud eos, ad quos miſſi ſunt, & contra quos non ſunt miſſi. 456.

Leges quàm neceſſariæ ſint ad conſervationem bonæ Reipublicæ? 305. 306.

Libertas Philoſophica, 12.

victis eripi conſuevit, 421. 422. aliàs occaſio ſolet eſſe vitioſæ Democratiæ, 512.

Libros ſcribendi pruritus reprehenditur, 176.

Locorum Communium neceſſitas & aliqualis delineatio, 81. 82.

Topicorum Ariſtotelicorum de efficientibus & corrumpentibus, item de finibus melioribus & deterioribus quæ ſit ratio? 36 97. quanta omnium facta ſit mutilatio per Ramæos, 41. 490 ſeq.

Ramiſticorum, denario numero incluſorum, inutilitas, 42. 128. 129.

Locus an ſit immobilis? 516.

Logica Philoſophiæ operam daturo debet eſſe prima, 116. 287. apud Ariſtotelem certam ſolùm organicæ doctrinæ partem ſignificat, 272. num rectè dividatur in Topicam & Analyticam? ibidem, *num ſit pars Philoſophiæ? 273. quomodo ſit menſura noſtræ rationis, 279. applicata ſcientiæ ſit illa ipſa ſcientia, 280. num quoad præcepta Scientiam, quoad uſum verò & operationem Artem reſipiat? 318.*

Λογικῶς diſputare quid ſit apud Ariſtotelem, 30. & 366. ſeqq. per tot. diſput.

Λόγῳ in definitione Definitionis explicatur per Orationem, non per Rationem, 159. etiam in definitione Syllogiſmi, 377.

Loquelæ ſimilitudo reperitur in brutis, 560. 561.

Luna Perſarum & antiquorum Germanorum Dea, 570.

Machiavellus an habuerit prævium Ariſtotelem? 312.

Magiſtratus, ſi mente capiatur, num definat eſſe Magiſtratus? 456. V. Princeps.

Magnanimitas non ſolùm reddidit Romanos in adverſis conſtantes, modeſtéq; extraneis auxilijs & muneribus utentes, ſed in ſecundis etiam moderatos, 587. ſeq. per tot. orat.

Majeſtatis qua natura, quod jus ſit? 310.

Maſculinus ſexus ad imperium natus eſt, 505.

Materia triplicem habet reſpectum, 104. nobilior eſt Formâ, 112. 378. 379. non poteſt eſſe DEO æqualis in æternitate, 359. habet potentiam obedientialem ad recipiendas formas artificioſas, 387. 388. an appetat Formam? 379. vel Metaphyſica eſt, vel Phyſica, hæcq; vel Secunda, vel Prima, 49.

Prima an ſit, viâ Ariſtotelicâ indagatur, & definitur; varias habet appellationes; non habet Actum formalem, habet tamen entitativum; num perpetuò ſit & debeat eſſe informata? num mala ſit? quomodo diſtinguatur à ſua forma? non habet coævam formam Subſtantialis corporeitatis, neq; etiam Quantitatem habet, ſive tres dimenſiones, quæ ſunt corpus, tanquam accidens inſeparabile, & eas quidem interminatas, terminandas autem à Forma: ſed eſt ipſummet Corpus quà Corpus, ipſa trina dimenſio, & Quantum Subſtantiale: Cæliq; & Inferiorum prorſus eadem, 49. 50. 51. ſeqq. per duas integras diſpp. ***quomodo ſit cognoſcibilis? 43. 77. 78. non eſt notior Nobis, & ignotior Naturâ, 346.***

***Mathematicæ Diſciplinæ num veras habeant demonſtrationes & in ijs veras cauſas? 33. 130. 193. 314. præter Aſtrologiam propriè in Philoſophiæ*

partibus numerari non debent, 457. ſunt matres artium Mechanicarum, 316. 476.

Medici an ſint tolerandi in Civitate? 334.

Medicinæ diviſio in Theoreticam & Practicam conſideratur, 317.

Mens quid ſignificârit apud Platonem, & num ex ſententia ipſius ſit re diſtincta à DEO, an verò ratione ſaltem? 610. ſeq.

Menſura caterorum in quaq; re eſt perfectiſſimum, 15. e.g. DEVS in ordine ad cætera Entia, 558.

Mercatores num ſint ferendi in Republica? 337.

Metaphyſica in multis eſt ſupra demonſtrationes, 16. 193. num oriatur ab experientia? 361. num demonſtret aut definiat? 362. num ſit ſcientia univerſalis? 362 num ſit in Scholis neceſſaria, (563.) & differat à Dialectica? 376. num pro ſubjecto proprio & adæquato habeat Ens quatenus Ens? 519.

Methodi virtutes, 1. ſeqq. vitia, 431. diſtinctio ab ordine doctrinæ, ejusdemq; in propria hac ſignificatione definitio, 439. ſeqq.

Ariſtotelicæ in philoſophando differentia, à Methodo Platonica, 470. ſeq.

Miſeria humana quanta ſit? 627. ſeqq. per tot. orat.

Modi & Figuræ Syllogiſmorum ſunt tanquam compedes tironum, & ab eruditis jam, amoventur, 23.

Morbi ſimplices non facilè deprehenduntur in ullo ægroto; & tamen quomodo curari debeant, docendum eſt, 200.

Mors formidatur etiam ab afflictiſſimis? 633. omnibus tamen hominibus eſt certa, 634. multis ſubitanea, 635. num aliqua ſit naturalis? 412.

Motus tractari debet à Phyſico, non à Logico, 24. ejusdem ſæpe eſt nominis cum termino ſuo, 183. an ſit, non debet diſputari; differt à Mutatione, definitur; abſolutè non eſt in ulla Categoria directè, propter terminos tamen ſuos in Quantitate, Qualitate & Vbi collocatur; quando unus ſit? quando contrarius ſit motui, & cuinam Quieti? primam partem non habet, ſed tamen principium, nec poſtremam, finem tamen; primus etiam nullus datur, Motor tamen Primus, &c. 530. ſeq. per tot. diſp.

Circularis non habet motum contrarium, 365. & Cælo eſt naturalis, 516.

Mundus verè nec genitus eſt, nec corruptibilis, credebatur autem Ariſtoteli per emanationem ab æterno, dependere à DEO, 64. 357. ideoq; videtur ex Philoſophia manifeſtiùs colligi poſſe, quòd ſit à DEO factus ex nihilo, quàm ex Theologia revelata; quòd verò ſit in tempore factus, certiùs ex hac, quàm ex illa, 78. eo interim modo, qui minùs dici poſſit, à Creatore ſuo

re ſuo factus non eſt, 556, & an à Platone creditus ſit eſſe æternus, néne, ſcitu difficile eſt, 610. hominis carcer eſt, 629.

Munera ſociorum, multòq; magis hoſtium modeſtâ Magnanimitate à Romanis non ſunt accepta, 592. ſeq.

Mutatio differt à Motu, 530.

Nativitas hominum miſerrima eſt, 631.

Natura nil facit fruſtra, 261. non eſt facultas cognoſcens, 345. homines in civitates collegit, 508.

Naturaliter ineſſe non ubiq; diſtinguitur ab Eſſentialiter ineſſe; illud tamen in Phyſicis eſt ſecundi modi per ſe; hoc primi, 22.

Nihil eſſe in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu, quomodo ſit accipiendum? 547.

Nobilis an poſſit in bello eſſe Explorator? 455.

Nobilitas eſt occaſio Tyrannidis, 512.

Nomina in curſu doctrinæ Apodicticæ maximè ſunt obſervanda, 8. pauciora ſunt, quàm res; ubi utplurimùm deſint? quibus deſunt, quomodo debeant imponi? ſi ſint diverſa, non ſemper arguunt rerum diverſitatem; quomodo differant, à vulgò malè primùm conſideratur; non ſuns cum rigore vitanda, quando convenitur in re; (19.) minùs culta vel elegantia, toleranda ſunt, ſi rei proprietatem exprimant magis, 181. 182. ſeqq. per tot. diſp.

Nota ſenſui vel intellectui in curſu doctrinæ Apodicticæ ſunt aſſumenda, 2.

Notiones ſecundæ non ſunt Entia rationis, 280.

Notiora alia ſunt Nobis, alia Naturâ; (192.) quid utraq; ſint, & numquando coincidant? 342. ſeq. per tot. diſp. *à quibus auſpicamur in Via, & à quibus in Ordine auſpicamur, diſtinguuntur, 440.*

Nobis in tradendis diſciplinis prima eſſe debent, 116.

Naturâ rectiùs dicuntur, quàm Naturæ, 344. 345.

Notitia quævis an à Notioribus Nobis proficiſcatur? 34.

DEI ſecundum Ariſtotelem quomodo ſe habeat? 608.

Nox tranquillior eſt die, 548.

Objecta in Scientijs Theoreticis ſunt menſura Veritatis, in Humana verò Philoſophia & Artibus menſurata, 18. 165. 166. 314. dicuntur etiam in ſenſibus ea, quæ dicuntur ſubjecta in Scientijs, 110.

Obſequium reſpectu Imperij facit ordinem in rebus animatis & inanimatis, 509.

Obſides nunquam fugere debent, 596. ſi ij, pro quibus ſtant, fidem fallant, num debeant necari? 506.

Obſidiones diuturnæ Romanis ſuâ virtute indignæ videbantur, 595.
Odores non nutriunt, 137.
Oligarchia naſcitur è ſucceſſu optato ambitioſorum Divitum, 512.
Operationes non accidunt actibus primis, 402. ſeq. per tot. diſp.
Opifices num ſint Civitate excludendi? 338.
Opificia Brutorum, 560.
Oppoſita, ut conſtituunt apud Ariſtotelem primum poſtpradicamentum, tractantur pagina 222. & ſeq. per tot. diſp.
Oratio eſt verum Genus in definitione Syllogiſmi, 377.
Ordo vinculum eſt Reipublica, 304 305.
Doctrinæ num ſit à rerum natura petendus, an à noſtræ facilioris cognitionis modo? 423. ſeq. per tot. diſp.
Analyticus quoad ſuas partes ſuccinctè deſcribitur, 507.
multorum hominum in aliqua ſocietate conſiſtit in Imperio & Obſequio, 509.
Oſcula apud Perſas vel obſervantiæ vel amicitiæ teſtamina, 572.
Πάθη *propria in reductione Definitionis ad Demonſtrationem habent locum Majoris extremi*, 161. *reduci autem poſſunt* 1. *ad* δυναμεις, 2 *ad* ἐνεργειας, 3. *ad* διαθέσεις, 4. *ad* ςερήσεις, & 5. *ad* πάθη συμπλοκικά, 134. ſeqq.
hæc quid ſint? 135.
Partium cognitio quomodo requiratur ad Totius cognitionem? 6.
Paſſiones an cadant in animum Sapientis? 381.
Pauperes an in commiſſione Reip. gubernandæ præferendi ſint divitibus? 325.
Paupertas impedit ſtudium Philoſophiæ, 124.
Pecunia an ſit nervus belli? 454.
Περαςικὴ *quid ſit propriè?* 32.
Peregrini num ſint Civitate donandi? 339.
Perfectiones rerum rebus ſunt eſſentiales, 248. 294. 402. 403. ſeqq. per tot. diſput.
Perfectiſſimum in quaq; re pro menſura caterorum conſtituitur: 15. *e.g.* DEVS *in ordine ad reliqua Entia*, 558.
Perſæ in pietatis negotio & Numinum cultu cum Germanis conſensêre; mores cum ijsdem communes habuerunt, quà circa publica negocia, quà circa privata; Idiomate etiam Germanorum linguæ conſono uſi ſunt; Solem venerati ſunt Divino cultu; 567. ſeq. per tot. orat. *Reges ſuos à ſubditorum oculis removebant*, 579. 580. 584. *eosq; molles plerumq; habuerunt & delicatos*, 584. 585.

Pertina-

Pertinacia in errorum agnitorum defenſione, eſt cauſa corruptæ Philoſophiæ, 176.
Perturbationes animi ſunt cauſa quorundam Inſomniorum, 540.
Phantaſia & res externæ, ſive corporeæ, ſive incorporeæ, poſſunt ſe mutuò afficere, 545. ſeq. proinde non modò agit in corpus proprium, illudq; poteſt immutare, 545. ſed poteſt etiam movere corpus extraneum, & alterius phantaſiam, 546.
Philoſophia eſt vox ambigua; variasq; habet definitiones, cauſas autem ſui certas, 121. ſeqq. per tot. diſp. certas itidem ſuæ corruptionis & depravationis, 173. ſeq. per tot. diſp. Naturæ potentiam indagat, non abditam potentiam DEI in Naturam, 166. Iuriſprudentiæ operam daturo debet eſſe primum ſtudium, 287. an deceat hominem Chriſtianum? 389. propter contemptum iniquum (quem ipſa ſpernit,) negligenda non eſt, propter utilitatem potiùs multam colenda, 562. 563.
perfecta nil aliud eſt, quàm vita æterna, 561.
Philoſophorum ſaluberrima monita cur contemnantur à vulgo? 480.
Phyſicæ demonſtrationes quomodo ſe habeant? 34.
Phyſicorum octo libri Ariſtotelici omnes ſunt de principijs Phyſicis, non tantùm duo priores, 48.
Φυσικῶς diſputare quid ſit apud Ariſtotelem? 30. 366. ſeq. per tot. diſp.
Pirata & Hoſtis differunt, 495.
Πιθανὰ ſunt ἔνδοξα quædam, 37.
Platonis Philoſophia in quo differat à Philoſophia Ariſtotelis, 470. ſeq.
Theologia naturalis cum naturali Theologia Ariſtotelis comparatur, 599. ſeq. per tot. orat.
Reminiſcentia rejicitur, 123.
Sententia de uſu Diviſionum in definiendo examinatur, 428.
Plinius à crimine Tautologiæ non abeſt in deſcribenda natura animalium, 29.
Poëſis turpiter hodie proſtituta, 284. ſeq. num è Rep. exterminanda? 338.
Ποιεῖν eſt apud Ariſtotelem vocabulum homonymum, 97. 356.
Ποιητικὴ vita non cadit in DEVM, 553. ſeq. 556.
Politica Ariſtotelis breviter adumbrantur, 508. ſeq.
Potentia æſtimatur ex eo, cujus eſt potentia, 232. poſterior eſt actu, 354. an ſit in ſempiternis, quà ſempiterna ſunt? 355. alia eſt realis & poſitiva, alia per translationem, 355.
Obedientialis explicatur per non-repugnantiam, & tribuitur Materiæ in ordine ad formas artificioſas, 388.
DEI non eſt vera potentia, ſed negatio impotentiæ ad quævis impoſſibilia, 534.

Practica Philosophia, si strictè Philosophiam ex Aristotele consideremus, vix appellari poterit Philosophia, 93. 121. non rectè ex hominis triplici consideratione dividitur, 120. ordine Analytico scripta est ab Aristotele, 507.

Vita denegatur DEO, 553. seqq.

Παραγμαλικῶς disputare quid sit apud Aristotelem? 30. 366. seqq.

Præceptor fidelis maximum est in Philosophiæ studio adjumentum, 124. ideoq; omni gratitudine honorandus, minimè verò verberandus, 619.

Prædicabilia quid sint & quot? 288. 290. seqq. per tot. disp.

Prædicamentorum doctrina num sit in Logicis ferenda? 273.

Prædo & Hostis differunt, 495.

Princeps num Severitatem potiùs, an Clementiam debeat adhibere? 319. num virtutibus magis debeat studere, quàm subditi? 320. an coràm lites audire & judicare debeat, an verò sui conspectum subditis præfractè subtrahere? 321. & 576. seqq. per tot. orat. an debeat Consiliarijs stipatus esse? 322. si mente, similve vitio laboret, num desinat esse Princeps? 456. si Mercatoris filiam divitem ducat, decenter non agit, 514. si malus sit, habeat verò Consilarios bonos, minùs nocet, quàm si bonus iste sit, bi verò mali, 514. si sedem suam premat, nec deserat, sed per Duces & Legatos bella gerat, imprudenter non agit, 577.

Principia in omni scientia debent præcognosci, 47. quænam sint cognitionis, quæ constitutionis? 48. 146.

prima non patiuntur exceptionem, 125.

Scientiarum quomodo sint investiganda? non sunt infinita, sed in omni methodo datur unum aliquod commune, quod reliquis omnibus supponitur; multas ob causas à nobis non rectè animadvertuntur aut venditantur, &c. 145. seq. per tot. disp.

Principiorum cognitio est ab Aristotele pertractata summo artificio, sed à Ramo parum agnita, 489. 490.

Privati sine publico scitu bella gerere non possunt, 495.

Privatio quotuplex? 228. 378.

Physica num possit dici principium? 378. an sit necessaria? 515. non est negatio pura, ibidem.

Πρόβλημα quid propriè sit in artè Gymnastica? 234.

Problemata vel dividuntur ratione materiæ, vel ratione σκοπείας, 139.

Dialectica explicantur, & distinguuntur à Propositionibus Dialecticis, 233. seq.

Digitized by Google

seq. per tot. disp. *à Problematis autem Analyticis, 239. seq. & 263. seq. per tot. disp.*

Προσγεγραμμένως & Per se, *conjunctim ab Alexandro efferuntur, quoties ferè sermo est de quarto modo per se, 23.*

Propositio malè dividitur in Necessariam, quæ sit Apodictici, & Contingentem, quæ Dialectici, 236.

Dialectica explicatur, & distinguitur à Problemate Dialectico, 233. seq. per tot. disp. distinguitur etiam à Propositione Apodictica, 239.

Demonstrativa Minor utplurimum est in primo modo per se; Major & Concludens semper in secundo, 452.

Propria quid sint, & quot modis dicantur? 293. debent perpendi cum suis subjectis, 117. non possunt communicari, 294.

quæ sunt secundi modi apud Porphyrium, non debent omnia referri ad Accidens Prædicabile, 293.

Πρότασις *quid propriè sit in arte Gymnastica? 234.*

Providentia futuri reperitur etiam in animalibus ratione destitutis, 560. Divina à Platone cognita est & definita, 610.

Prudentia Virtuti Morali arctissimè copulata est, 309.

Quæsita an sint Scitis numero æqualia? 276.

Quæstio Analytica, An sit, non constituit Problema Dialecticum Generis;
nec τὸ ὅτι, Accidentis;
nec Propter quid, Proprij;
nec Quid sit, Definitionis: 264. 265.
Quid sit, non includit Quid nominis, 281.

Qualitates primæ sunt formæ Elementorum, 151.

Quantitas in Materia Prima, tanquam Accidens inseparabile non est, 66.

Quatenus & De omni quando sint idem? 27.

Ramistæ refutantur, 10. seqq. per tot. dissertat. & 488. seqq. per tot. disput.

Raptus Virginum Sabinarum an injurius? 461.

Ratio est criterion scientiarum, 118. 119. 472. seqq. non potest veri Generis vicem obtinere in definitione Syllogismi, 377.

Rebelles, nisi gravissimas habuerint rebellionis causas, jure bellico frui non possunt, 496.

Recto cognito cognoscitur obliquum confusè, 43. 249.

Relata quomodo definiri soleant? 160.

Religio quos jungit, eos bello juvare tenemur, 500. armũ eſt defendenda, 502.
Gentilium ad legum & boni publici opportunitatem atq; plebis diſciplinam multum faciebat, 261. 262.
Perſarum cum Germanorum Religione conſpiravit, 567. ſeq.
Remedia in Politicis ſæpe ipſis Reip. vulneribus pejora, 221.
Reminiſcentia Platonica rejicitur, 123. 395. ſeq.
Repetitio unius rei aut ſententiæ, non eſt ſtatim tautologica, aut vitioſa, 27. ſeq.
Res nec tradi nec percipi ſine nominibus poſſunt, 181.
Reſpondens Dialecticus qua habeat officia? 205. ſeq. per tot. diſp.
Reſpublica in forma pura, ſive tali pravâ, ſive rectâ non facilè invenitur, rectè tamen eæ formæ in Politicis proponuntur, 200 310. unde ſit? quid ſit, aut requirat in genere? quot, vel quas habeat formas? easq; rurſum ex quænam, utrum ex perſonarum numero, an ex fine, an aliunde diſtinctas? &c. 303. ſeq. per tot. diſp. & 507. ſeqq. per tot. diſp.
Rex. V. Magiſtratus, Princeps.
Rhenus antiquis Germanis ſacer, 570.
Rhetorices ab Apodictica & Dialectica diſcrimen ex fine, 30. & ex medijs, 33. mutilatio facta per Ramiſtas, 41. cum Dialectica convenientia, 246. 247.
Riſûs ſimilitudo in brutis, 561.
Romanorum Magnanimitas, 587. ſeqq. per tot. orat. Conſtantia poſt cladem acceptam, 588. ſeq.
Exercitus nullum fluvium aliter, quàm ſuperinjecto ponte tranſire poterant, 594.
Caſtra per equos viſitari non licebat, licebat per pedes, 595. abſq; fugæ ſuſpicione moveri ſolebant, 596.
Honor ſibi poſtulatus, aliis verò, etiam amicis, non exhibitus ibidem.
Potentia eò inclaruit, quòd Regibus, vel à ſe ſuperatis, vel ultrò ſibi obſequentibus, titulum Regium, Iuraq; & Dignitatem reliquerunt, aliquibus etiam auxerunt, quibusdam verò antea non Regibus, dederunt conceſſerunt, 597. 598.
Sacerdotes num in Rep. civilem Magiſtratum gerere debeant? 332.
Salvus conductus fidem dat veniendum & abeundum, 505.
Sapiens an ſit obnoxius animi paſſionibus? 381.
Saxones, ut hodie vocantur, primi cum Friſijs fuêre inter Germanos è Perſia egreſſos, 574. ſeq. originem & nomen habent à Sacis in Aſia, 574. 575.

Scientia

Digitized by Google

Scientia datur, 395. 523. *habet munus judicandi*, 15. 153. *quomodo ſit Arti ſimilis aut diſſimilis?* 313. ſeq. per tot. diſp.

Scientiæ non ſunt tanquam numerus, 17, *diſtinguuntur ſubjectis, ut Artes finibus*, 112. 132. 170. *habent duo criteria, Senſum & Rationem*, 118. 465. ſeq. per tot. diſp. *non eo modo inter ſe ſunt diſtinctæ, quo ipſæ res*, 170, *quot & quæ requirant ad ſui conſtitutionem*, 314. ſeq. per tot. diſp. *num dentur & differant à Reminiſcentia Platonica? cujus naturæ ſint? &c.* 395. ſeq. per tot. diſp.

Scita an ſint Quæſitis numero æqualia? 276.

Scribendi pruritus reprehenditur, 176.

Senes an in Rep. debeant eſſe primi? 323.

Senſus multum valet in Scientijs, 2. 3. *eſt criterion Scientiarum, maximè Phyſicæ*, 118. 119. 466. 467. ſeq. *accidentia primum apprehendit, non tamen vi ratiocinandi ſimpliciter excluſâ*, 347. *quomodo dicatur omnia prius percipere, quàm ſint in intellectu?* 547.

Sermonis ſimilitudo quædam ineſt Brutis, 560. 561.

Severitas num Principem magis deceat, quàm Clementia? 319.

Sexus diverſitas conſpicuum reddit ordinem Imperij & Obedientiæ, 509.

Simplicia qua ratione non ſint æquè nota, ac Compoſita? 200. 201. *quænam inter Subſtantias Compoſitis nobiliora, quæ ignobiliora?* 216.

Simulachra ab antiquiſſimis Chriſtianis non fuêre poſita, 569.

Societates domeſticæ partim à Natura, partim à Ratione & Prudentia trahunt ortum ſuum, 508. *& indigitant Imperiorum in Rep. diverſas formas, quia nec ipſæ ſunt ſimplicis imperij*, 510.

Sol, Perſarum & antiquorum Germanorum DEVS 569. 570. *Platoni triplex*, 608.

Somnia. V. Inſomnia.

Sophiſma ΤΟ ΜΗ ΑΙΤΙΟΝ ΩΣ ΑΙΤΙΟΝ, *non eſt de falſa cauſa rei, ſed de falſa cauſa concluſionis in Syllogiſmis per impoſſibile*, 36 98.

ΤΟ ΕΞ ΑΡΧΗΣ ΑΙΤΕΙΣΘΑΙ *explicatur*, 126. ſeq. per tot. diſp.

Sophiſtæ deſcribuntur, 244.

Sophiſtici Elenchi malè ſunt à Ramiſtis exterminati, 43. 243. ſeqq. per tot. diſp. 274.

Species quomodo differat à Differentia? 85. *quid ſit? & quotupliciter dicatur?* 291. ſeq. *idem ſæpe habet nomen cum Genere, quando vimirùm [illegible] parum nota eſt*, 182.

Speculari in bello & explorare res [illegible] 455. 525.

Sponte ſumus malè, 481.
Strategematum uſus an ſit licitus? 504.
Subditi, à ſuo Principe injuſtè greſſi, quamquam & ipſi injuſti, poſſunt tamen licitè juvari ab alieno Principe, 500. *Principem ab oculis ſuis remotum minùs amant*, 583. ſeq.
Subjecta in Scientijs dicuntur ea, quæ dicuntur Objecta in ſenſibus, 110. *malè igitur à Ramæis confunduntur*, 492.
Subſtantia ſenſibilis num ſit Ens formaliter? 363. *an habeat contrarium?* 364. *quibus modis prior ſit Accidente?* 483. *an cum Accidente faciat Vnum per accidens?* 486.
ut eſt Genus ſummum, propriè non poteſt definiri, 216. *non excludit* DEVM, 280. *prolixè conſideratur*, 215. ſeq. per tot. diſp.
prima & immobilis an ſit neceſſaria? 365. V. DEUS & Ens primum.
Subſtantiæ non vocantur ab Ariſtotele compoſitæ, 102.
Subſtantiale uni poteſt eſſe Accidentale alteri, 363.
Summum Bonum an requirat etiam Bona externa? 380.
Superſtitio hoſtium obſervanda, ut contra eam faciamus, & hoc modo terrorem ipſis incutiamus, 504.
Syllogiſmus an rectè definiatur per Orationem? 377.
per impoſſibile, à Dialectico uſurpari non debet, 98. *non habet vim dicti de Omni aut Nullo*, 148.
Συμπαθητικαὶ πάθη *quid ſint?* 135. 136.
Tautologia ab Ariſtotele removetur, 27. ſeq. *quando debeat objici?* 29.
Temeritas eſt cauſa corruptæ Philoſophiæ, 174. ſeq.
Temperamentum inter bilioſum & melancholicum mixtum, rariſſimum eſt, 156.
Temperantia & Continentia ſpecie differunt, 454.
Terra Perſis & Germanis Sacra, 570.
Theologia patefacta nec Rationem nec Senſum pro criterio ſuo agnoſcit, 478.
naturalis ſecundum Platonis & Ariſtotelis placita proponitur, 599. ſeqq. per tot. orat.
Theoria quantæ ſit dignitatis & præſtantiæ? 553. ſeq. per tot. orat. *multis hodie paſſim* κατ' ἐξοχὴν *tribuitur*, 553. *non ſolùm eſt operatio* DEI *primaria, ſed etiam ipſemet* DEVS, 557. ſeq.
Topicorum libri mutilati ſunt à Ramiſtis, 40. 490. *debent præmitti Analyticis*, 273.
locorum de Efficientibus & Corrumpentibus, item de Finibus melioribus & deterioribus, quæ ſit ratio? 36. 97.

Totius

Digitized by Google

Totius cognitio quomodo ſit neceſſaria ad Partium cognitionem? 6.
Trina dimenſio non eſt in Materia Prima, tanquam Accidens inſeparabile, aut velut interminata, terminanda demum à Forma, 66.
Trophæa pudenda, 422.
Turcicus miles quî fiat nobis formidoloſus? 311.
Tyrannis oritur è ſucceſſu optato ambitioſæ Nobilitati, 512.
Tyrones miſcendi cum Senioribus ſunt, non excludendi, 312.
Venena ſemper talia, à quibusdam conſuetudine in alimentum verſa eſſe, veriſimile non eſt, 157.
Verbera Præceptoribus minimè ſunt infligenda, 619.
Veritas eſt adæquatio intellectus cum re, 165. gradus quosdam agnoſcit, 191.
Verum aliud eſt ſemper, aliud plerumq;, 18. ab εὐδόξῳ quomodo differat? 35. aliquod eſt Theologicè tale, Philoſophicè aliud, aliudq; Dialecticè, & cum vero pugnare dicitur, 168. ſeq. per tot. diſp. ex vero ſemper ſequitur, 275.
Metaphyſicum ad unumquodq; ita ſe habet, ut ipſum Eſſe, 32. & cum Ente convertitur, 165. 172.
Via Doctrinæ quomodo diſtinguatur ab Ordine? 439. ſeq.
Victimi bello juvandi ſunt, 499. à Perſis & Germanis antiquis officioſè ſunt dilecti, 573.
Victor bellicus quid juris habeat? 413. ſeq. per tot. diſp.
Vinum non eſt frigidum, 100.
Virtus adjuvat judicandi acrimoniam, 15. 153. Principêmne magis deceat, an Subditos? 320. eſt unicum æqualitatis inæqualitatisq; perſonarum fundamentum, 513.
ſervilis addita liberali in Viro perfecto non facit hunc excellentiorem, 157.
Virtutes morales Prudentiæ ſunt arctiſſimè copulatæ, 309. quomodo differant? 401. non cadunt in DEVM, 553. ſeqq. repræſentantur quaſi per ſimulachra in brutis, 560. non exiguntur è nobis, tanquam rudimenta vitæ futuræ, 561. 562.
Viſio fit per receptionem, 120. multum facit ad cognitionem, 124.
Vita hominis, in hoc mundo miſerrima eſt, amatur tamen, etiam ab afflictiſſimis, 632. quæ ex intellectu traducitur, triplex eſt, 553.
æterna nil aliud erit, quàm perfecta Philoſophia, 561.
Vitia abeſſe debent à Philoſopho, 115. 116.
Vnguentum ſtellatum, quod vulgò armarium vocant, curare, experientia confirmat, 543. 544. 548.

Vnitas, quæ principium numeri eſt, cum primo Ente comparatur, 558. 563.
Vniverſalia an ſint unum quippiam reipſa in ijs, de quibus prædicantur, an verò conceptu tantùm? 106. 288. quid ſint, &, ut vulgò accipiuntur pro Prædicabilibus, quot ſint? 288. ſeq. per tot. diſp.
Vnum quotupliciter ſit in pluribus? 289.
Vocis uniuscujusq; ſignificatio in ingreſſu omnis ferè methodi proponitur, 1.
Vocabula partim naturâ conſtant, partim hominum inſtituto, 144.
ab uno, non habent differentias dividentes, vix conſtituentes, 318.
Voluntas an habeat objectum? 401.
Voluptates corporis non præſtant voluptatibus mentis, 394.
Vrbs quomodo differat à Civitate, 307. num mœnibus, turribus, & caſtris cingenda ſit? 340.
Vtile in omnibus diſciplinis ſpectandum non eſt, 45. ſeq. 282.
Ὕλη & ὑλικὴ οὐσία an diverſa ſint ſignificationis?
Zopyrus propter fugam ſuam atq; proditionem vituperio non vacat, 583.

ERRA-

Digitized by Google

ERRATA GRAVIORA SIC CORRIGI POSSVNT.

Si ſecundùm numeros majores paginas, lineas ſecundùm minores numeres.

Pag. V. lin. 13. lege, *Differentias.* IIX, 13. *Neq; δύναμιν.* XI, 9. *βλευλικὸν.* XIII, 18. *exercitatorio.* XXVIII, 29. *motum,* lin. ult. *non igitur idem fruſtra repetitur. Hactenus Zabarella.* XXXVI, 1. *theoriam.* XXXIX, 18. *aliud.* XL, 19. *quàm.* XLVI, 7. *quod.* XLVII, 28. *ut e Euſtratius.* 31. e. 6. Eth. LIII, 26. *omne, ſ quod.* LV, 3. *ſax.* LVI, 6. *ſax.* LIIX, 10. 2. Phyſ. t. 88. & 21. 7. Theup. LIX, 1. *tamen ita accipimus.* 21. interſeratur numerus LXXII. 26. *autem malam.* LXVI, 6. *de ejus eſſentia.* LXIII, 9. *dicit, ſ dari.* lin. penult. *appetibile. Concludit.* LXIV. 3. *ad materiam.* 11. *durare eam oporteret.* LXVII, 15. *incorporeo.* LXXI, 27. 1. Cœli 9. t. 92. LXXIII, 4. *corrumperetur.* LXXIV, 25. *Forma.* XXCVI, 31. *εἰς ἓν.* XC, 9. *ἀληθὴς.* XCI, 1. *ψευδῆ.* XCII, 33. *λογικοὶ λόγοι, λόγοι κενοὶ.* CIII, 23. *autem.* CIX, 11. 2. *Phyſ. cap.* 3. CXIIX, 12. *a minore.* 18. *exſtruxit.* CXX, 19 *ſtrategematibus.* CXXIV, 7. *Φιλήθοι & Φιλόμυθοι.* CXXXIX, 11. *σεσηγμένως.* CXL, 11. *συμβαίνοντα.* CXLIIX, 30, 13. Metaph. CL, 23. 1. Poſt. t. 76. CLI, 3. 8. Phyſ. t. 26. CLIII, 9. *εἴπερ.* 20. *ἦθον.* 32. *κεῖναι-τίς ἔστιν.* CLIV. 10. *οἱ.* CLVI, 32. *διανοίας.* CLIX, 10. *ἐννομαλίνης.* 19. *Πραγματικῶς.* CLXI, 16. *Eclipſeos.* 18. *Eclipſis.* CLXII, 3. *καλυπτόμενα.* CLXIV, ult. *inſtrumentum.* CLXVI, 22. *dialectica- Scientiæ.* 28. *rei ſecundum ejus- ſiquidem.* CLXVII, 11. *ne videlicet.* 12. *quid nominis.* 32. *in 9. de Decret.* CLXIIX, 15. *ψεῦδ&.* 23. *miri, ſi.* CLXX, 22. *ὠφέλειαν.* 23. *ἀληθεύει.* 28. *vide Practicos.* CLXXIV, 9. *ſpecie.* CLXXVI, 22. 23.

Ad quorum ſenſum alius: —— *Id me*
Nolo ſcire, mihi cujus ſim conſcius ſolus.

CLXXIIX, 17. *Nonnullos.* CLXXIX, 19. *viderent.* CXXCIV, 6. *ἀκέτι περιεκλέων.* CXXCVII, 1 ponatur numerus XL. CYCVI, 34. *ὅπως ἀναβρέψεις, ἢ μαλάξεις, ἢ σφίγξεις.* CCII, 29. *ἐπεσημήναλο.* CCXI, 21. *κωλύειν.* 35. *effugiet* 15. CCVIII, 25. *carnes.* CCXV. *diſpiciendaprius.* CCXX, 12. *contraria alia.* CCXXI, 2. *curvitas.* 16. *ſit ordo.* CCXXIV, 9. *oppoſitionem.* CCXXVII. 34. *αὐλὸ ἢ εἴδει.* CCXXIIX, 12. *φημὶ* CCXXXIIX, 10. *ἀμφίδοξον.* CCXXXIX, 22. *ἔυδημ&.* 35. *ἐρωτῶντες.* 36. *συμβιβηκὸς.* 38. *in De.* CCXL, 1. *interrogantes vel de accidente interrogant: vel.* CCXLII, 11. *φοιτῶσαν.* CCXLVI, 9. *ὥσπερ συλλογίζεσθαι φαμὲν εὐδόξως μᾶλλον ἢ ἀληθῶς.* CCLI, 3. 4. de Partibus Animal. CCLIV, 22. *πεῖθη.* CCLV, 4. deleatur 1. Top. 6, 10 CCLVII, 30. *ἀφ',* CCLIIX, 9. *ἀνλίτροφον,* CCLIX, 2. *duobus locis.* 12.

quia. 23. δὶ ὧν. CCLX, ult. σφαιροειδῆ. CCLXI, 14. item 22. μυθικ. 23. εἰσὶ τέ εἰσιν. 24. μυθικῶς. 32 inter suos. 34 Livium de Numa. CCLXII, 23. Comm. in Theophrastum. CCLXV, 4. Quo. 16. Ergò. CCLXXIV, 26. 2. Prior. c. 19. CCLXXVII, 8 in 1. & 2. Post. Analyt. CCXXCI, 7. c. penult. 2. Prior. CCXCVII, 4. tùm. 9. est extremo. CCXCIX, 36. t. 30. CCC, 35. ἡ ἐξ ὄνλ@, ἡ ὲκ μὴ ὄνλ@. CCCI, 26. non infrustra. CCCII, 15. 2. de Gener. Animal. - 7. Metaph. t. 35. CCCXII, 15. αὐτὴν. CCCXV, 10. τοίνυν εἰ θπίρατα. CCCXX, 35. habeant. CCCXXV, 16. 4. Polit. cap, 12. lin. 27. Arist. 4. Polit. cap. 11. CCCXXII, 1. casu. CCCXXXIV, 27. quæ. CCCLIII, 24. 1. Post. t. 15 CCCLVI, 21. 2. Cœli t. 64. CCCLX, 12. 10. Metaph. c. 10. t. 26. CCCLXII, 6. 6. Metaph. t. 1. 2. Post. t. 2. 26. reliquæ. 27. circumscribentes. 28. ceu. CCCLXIII, 32. quia non univocè. 35. sanguinis, ut. 36. omnes materiales formas. CCCLXV, 7. 10. Metaph. c. 5. 24. vel in infinitum. CCCLXVII, 30. τῷ τὰνλὸ. CCCLXXIV, 16. 1. Eudem. c. 6. CCCLXXIIX 31. 1. de Part. Animal. c 3. CCCXXCVI, penult. ὕλη. CCCXC, 31. 1. Phys. t. 71. 32. 1. Cœli t. 33. CCCCXIII, 6. Respondente. CCCCXXXII, 9. tanguntur, aut alterum. CCCCXXXV, 22. ἂν κάλλιστα ἔκαστον. 23. μάθοι. CCCCXLIX, 31. 7. Metaph. t. 43. 35. τῶς σελέων. CCCCLII, 7. propositiones. CCCCLIV, 22. quæ sit. 23. κεφαλῆς αὐλοκρεδιάζειν. 24. offici. CCCCLV, 25, quónam. 27. speculatores, proditores dicuntur. CCCCLX, 9. 1. Phys. t. 52. CCCCLXV, 26. ὅτι εἴ τις. CCCCLXIX, 1. αὐτὰς. 2. ἐὰν πολὶ. 13. ὑπιβλέψαι τες. 24. ἔναι φασι. CCCCLXXIIX, 6. Ἀγαπᾶν. CCCCLXXIX, 19. τῶν ῥημάτων βάλλεσθ- μήτε μίαν. CCCCXXCIII, 14. τὲ ὅλως ὄνλ@. CCCCXCI, ante penult. Quid. DIX, 25. foret. DXVII, 16. in æternis & corruptibilibus. DXXI, 16. & l. 11. 1. DLIIX, 29. μάλιστα γὰρ. DXXCVII, 20. IE. DC, ult. 1. De Part. Animal. c. 5. DCII, 23. possibile non est. DCXII, penult. a) 1. Ethic. c. 10. b) 7. Eth. c. 1. — d) l. 5. c. 11. DCXV, 29. pium me potiùs esse. DCXVI, 15, 16. adornarem, &c.

Cætera sphalmata leviora, quæ ut abessent, magis optare potui, quàm absens procurare, non gravatim corriget ipse Lector.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SERÆ EPIDIPNIDES.

ACceſſerunt ad calcem Libri hujus (quod neq; in veſtibulo illius, neq; alibi locorum ſignificavimus) DUÆ quædam inſignes ORATIONES, auctoribus PH. SCHERBIO & ERN. SONERO, Annis 1592. & 1605. ALTORFII NORICORUM habitæ. Quas, quia juſto ſeriùs, atq; tum demùm accepimus, cum hoc Opus jam ad umbilicum perductum eſſet, ritè eas diſtribuere, & ſuâ quamq; claſſe reponere non licuit. Quoniam autem certò confiſi ſumus, fore, ut multum fructûs ac emolumenti exindè perciperent Lectores, digniſſimas judicavimus, quæ pari cum ſuperiorib⁹ operâ, à tinearum morſibus, ac funeſto ſui interitu vindicarentur. Tu igitur, benevole Lector, fave, atq; Spicilegium hoc noſtrum fac candidiori tuo calculo confirmare ne rennas!

I.

Phil. Scherbij,

Ante ipſos, 52. annos ſeorſim edita,

ORATIO:

De idoneo Judice earum Controverſiarum, quæ in Artibus naſci ſolent, ex ſententiâ Galeni.

MUnerarij apud Romanos, nova paria per omnes dies diſtribuebant, ut eſſet, quod novitate populum & delectaret & revocaret. Idem hoc, ſi credimus Senecæ, in hiſtrionibus, in gladiatoribus, in Oratoribus, in omnibus deniq; rebus, fieri ſolebat: nimirum, acrior eſt cupiditas ignota cognoſcendi, quàm nota repetendi. Ad nova enim pleriq; omnes concurrimus, ad nova applaudimus.

Quorſum hæc *Auditores* ? ut intelligatis, hanc nos quoq; rationem ſecutos, omni ſtudio laborare voluiſſe, ſi quid novi argumenti, ad publicam hanc & ſollemnem renunciationem afferre poſſemus. Conſumſimus cogitationes noſtras, in amœnis quibusdam Phyſicorum diſputationibus, ſi quid indè fortè eruere poſſemus, quod à nobis nunc primùm inventum, ſtudium & attentionem veſtram excitaret. Verum, ut ne quid diſſimulem, ingenium & conatus in ijs malignè reſpondit. Excuſſimus igitur civilem ſcientiam, quantum quidem nos potuimus, multò major hic fruſtratio ſecuta eſt. Ad Dialecticorum nos artem, ubi neſcio quomodo ſpes major oſtendebatur, contulimus: etiam in hac, præter omnem expectationem, votis noſtris excidimus: Deniq; quoquò nos convertimus; ubiq; repulſa præſens, ſpes novitatis nulla uspiam affulgebat. Quid in hac ſumma deſtitutione facerem, aut quid amplius cogitarem ? quid aliud, quàm id, quod in Sapientum ſcholis aliquando dicimus: *Non minus laudari apes, quæ ex alienis ſua libarent, quàm aranei ex ſeſe fila gignentes.* Iraq; ibamus continuò ad illud, decerpendum aliquid ex Platone, Ariſtotele, aut Galeno, quod etſi novum non eſſet; antiquitate tamen ſua, gratiam & authoritatem conciliaret. Confirmabat nos in hac cogitatione, quod itidem ex ſapientib. accepimus: Populum ferè, & imperitam hominum multitudinem, novitatis lenocinio duci: Nobis apud homines ſapientes aliquid eſſe dicendum, quorum vetus hoc extaret verbum ὁς ηδὺ τὸν τρύγα καλὸν: Pueros deniq; eſſe, aut puerorum ſimiles viros, quibus muſtum recens, & de lacu adhuc fervidum, ſaperet: veros homines ſapientes, amaritie illa vini delectari, quæ vetuſtatis comes ſit. Veniebat tandem, ita ut fit, etiam illud in mentem: Noſſe eos, qui me audituri eſſent, Philoſophiam eſſe tanquam flumen quoddam, perenni curſu decurrens: ideoq; hoc quoq; fatum ſtudioſos ejus manere, perpetuò occupari in ijs revocandis & retinendis, quæ ſtulto novitatis ſtudio jam præterlapſa eſſent. His ego cogitationibus excitatus, ſumſi mihi, *Auditores humaniſſimi*, longè omnium pulcherrimum argumentum, idq; ex ſapientiſſimo Galeno: Quæ ſcilicet, & quot numero ſint illa, quæ in viro ſapiente, legitimoq; controverſiarum, quibus artes omnes perſtrepunt, Judice, requirantur. *Etenim* ſi celebrata ſemper fuit egregia illa Perſarum Regum conſuetudo, qui ante ſacrificium de pietate: ante convivium de temperantia: ante prælium de fortitudine, verba faciebant; putavi & me rectè & ordine facturum,

turum, si ante Magistrorum Philosophiæ renunciationem, de Philosophiæ sive sapientiæ adjumentis quam brevissimè disputarem. *Vos* quæso, sapientiæ studiosi juvenes, excitate atque expergefacite animos vestros, quæq; de rebus omnium maximis & gravissimis, ex sententia Galeni dicere ingredior, ea, ut penitus percipiatis, operam date: *Vos* verò *sapientissimi & clarissimi viri*, dum nos circumfusæ huic juventutis coronæ gradus eos ostendimus, quib. vos ad hoc sapientiæ fastigium ascendistis, quæso benignè agnoscite, & Scholasticæ ac pulverulentæ disputationi ignoscite.

Septem igitur sunt omninò, quibus cumulatum esse oportet eum, quem dicimus virum sapientem, & idoneum disputationum judicem: *Naturæ vis: recta in primis disciplinis institutio: Magistrorum in nostra arte præstantia: laborum amor: veritatis studium: methodus discernendi verum à falso: deniq, crebra ejus exercitatio.*

Posui primo loco *naturæ vim & præstantiam*, quam & Aristoteles, & cæteri sapientiæ duces, primo loco posuerunt, maximamq; ejus curam & rationem semper habuerunt. *In primis* enim veteres Philosophi, delectum bonorum animi instituere solebant: tardos reijcere, ingeniosos, dociles, memoriâ valentes retinere: quibus etiam naturâ inerat discendi alacritas, & laborum tolerantia, eos ad Philosophandum maximè idoneos censere: neq; temerè quenquam pati auditorem fieri acroamaticum, & mysteriorum sapientiæ. Ut enim Poëtæ: sic & Philosophi, profanum à sese vulgus longissimè arcebant. Est præclara Platonis epistola ad propinquos Dionis, in qua, sit ne aliquis naturâ factus ad sapientiam? explicat: ac docet quibus notis internosci, & alter ab altero secerni ac seligi queat. Omninò autem statuit, ex omni hominum numero (quod tot seculorum experientia confirmavit) perpaucos esse, qui ad præclaram hanc sapientiæ laudem rectè nati sint. Præter innatum enim amorem laborum, quos veritatis investigatorem sustinere oportet, ipsa quoq; ingenij præstantia, non est simplex quiddam & unum, sed quadruplici minimùm, virtute perficitur: *Acumine in inveniendo: docilitate in addiscendo: judicio in discernendo: memoria in retinendo.* Quæ omnia quàm difficulter concurrant, ex eo intelligite, quod acumen hominibus tribuitur ferè biliosis, id est, valdè calidis & siccis: biliosus enim humor, ut ajunt Medici, ad celeritatem incitat: Judicij verò bonitatem, Melancholicis, id est, leviter calidis, & benè siccis. Melancholia enim frænum dicitur humorum, ne nimio

calore præcipites feramur ad judicandum: & talia ingenia, ferè μανικὰ sunt ingenia, ac ad admirationem propensa. *Admiratio* autem, ut scitis, est *stimulus ad scientiam*: impellit enim ad investigandam caussam, in cujus perceptione scientia posita est. At verò memoriam ascribunt humidis, non quidem humiditate aquea præditis (talibus enim nihil potest fieri fungosius & oblivionosibus) sed aëreâ: argumento puerorum, in quibus hæc vis eximia, præter cæteras ætates est. Quanquam verò hæc nobis ipsi fingere non possumus (dantur enim à caussa caussarum, δοτῆρες ἐάων) quod tamen hic à nobis oriri posset, discrimen scilicet certum ingeniorum, sive bonorum animi, id magna ex parte hodie sublatum videtur. Ex quovis ligno credimus Mercurios posse fingi: auditorumq; nostrorum non tàm εὐφυΐαν, ut olim, quàm numerum spectare solemus. Atqui hoc nihil est aliud, quàm cymbam adverso flumine remis propellere: imò nihil est aliud, quàm mõstra in disciplinis deniq; efficere, si credimus Platoni. Ita enim is sensit: quemadmodum in conjunctione maris & fœminæ, cum hac fœcundus esse posses, cum illa aut nihil gignes, aut morbosos fœtus, aut etiam monstra: Ita ad eam artem si ducaris, ad quam natura nullis te adjumentis instruxit, aut nihil proficies, aut monstrosa dogmata vel ipse procudes, vel certè fovebis. *Sed satis* sit de primo.

Dixi secundo loco requiri, rectam in primis disciplinis Institutionem, quæ est bonæ naturæ, tanquam boni soli prima præcultio. Ea consumebatur heroicis temporibus in Arithmeticis, Geometricis, & Dialecticis eis, quæ Topica sunt ab Aristotele nuncupata. Ita enim persuasumerat priscis sapientibus, μαθήματα, quod nomine ipso declarabant, puerili ætati tradenda, ac esse ea Philosophiæ severioris progymnasmata. His enim ætatem primam, si non ali, certè tamen exacui. Etenim discimus ijs, quæ reipsa sejungi non possunt, cogitatione sejungere, ut ait Alexander. Deindè, ut idem ait, assuescimus à teneris Demonstrationum robori, ne postea in Philosophiæ studio, levioribus argumentis temerè fidem adhibeamus. Atq; inde quidem Plato dixit: Mathematica non propter se, sed propter aliud expeti. At primas etiam disciplinas referebatur olim, ut dixi, ars Dialectica (quæ alia est ab arte Analytica, cujus prima ætas vix dum capax est) propterea ab Alexandro vocatur ea quoq; προπαιδευτικὴ ad philosophiam, & ab Aristotele γυμναστική: ac nobile de ea extat testimonium Platonis in Parm: laudatum ab Alexandro in Topicis: Exerce te, inquit

inquit Plato, in ea arte, quæ vulgò putatur nugatoria, dum adhuc adoleſcens es: alioqui in ſenectute veritas te fugiet. Hæ olim primæ & quaſi præparatrices erant diſciplinæ. Ut enim lana priusquam optimum illum, & perdurantem colorem atrum combibat, cæruleo colore tingitur: ſic olim animus adoleſcentis his artibus prius imbuebatur, quàm eum ſapientiæ, ut ita dicam, purpurâ, ſeriò tingebant.

Sed addendum hoc loco fortaſſis & illud eſt, poëtas quoq; quibus puerilis ætas propter fabulas mirè delectatur, propoſitos fuiſſe huic ætati à Gramaticis: quorum quidem tunc nullum aliud munus erat, quàm fabulas explicare, & aliquas, ſi fortè peregrinas voces, quas illi gloſſas vocabant, & interdum genera quædam dicendi abſtruſiora indicare. Noſtris autem temporibus, propter amiſſum uſum Græcæ & Latinæ linguæ, alia etiam præparatio, præter ſuperiores, adhibenda eſt. Cum enim iſtæ duæ linguæ ſint quaſi duo quædam ſacraria omnis ſapientiæ, omnisq; nitidæ doctrinæ, certè fores eorum nobis primùm aperiendæ ſunt, ſi pervenire aliquandò cogitamus, ut cum Lucretio loquar, ad illa, Edita doctrinâ ſapientum templa ſerenâ. Quod ſi jam noſtram inſtitutionem primam intueri velimus, agnoſcemus quidem fortaſſis hæc, quæ diximus, ſapientiæ progymnaſmata, eſſe ex uſu: ſi tamen verum dicere licet, nihil feré eorum, hodiè eſt in uſu. Qui Mathematica docent, qui item Græcam linguam explicant viri præſtantiſſimi, ſoli propè in Scholis relinquuntur. Antiqua ratio Dialogorum, quæ vera eſt veterum Dialectica, magna ex parte perijt, & qui eam, vel vulgata conſuetudine, exercere velint, ex omni numero paucos reperias. Nugatoria iſta omnia videntur: quod Plato prædixit: undè his ne ſalutatis quidem, aut ſtatim valere juſſis, remis velisq; properamus ad eas artes, in quibus certiſſima ſpes ponitur ſplendoris civilis, certiſſima etiam divitiarum. Non cogitantes id, quod Plato addidit: his neglectis, veritatem nos in ſenectute deſerturam: ideoq; inter ipſos honores, fore nos inglorios, inter opes, inopes. Sed nolo pluribus hunc locum urgere.

Venio ad caput tertium (ſumma enim rerum faſtigia modicè attigiſſe, ſatis ſit) *ad bonos*, inquam, *artis cujuſq; magiſtros*, qui bono agro, benè præculto, bona jam committant ſapientiæ ſemina: *In his tria* video potiſſimùm ſpectari. *Scientiam, Prudentiam, Fidem*; ſive Philoſophorum more, ſcire, poſſe, velle. De quibus tribus officijs,

ego tribus etiam verbis dicam : Sed obsecrò vos auditores, ne quæ ego de reipsa dicturus sum, vos fortassis putetis dicta, in *Trium aut Sejum*: Nihil isto potest à natura & consuetudine mea cogitari alienius. *Insciens* ergò Doctor, aut nihil docebit, aut falsa docebit: Inscientia quippe duplex ponitur ab Aristotele κατ' ἀπόφασιν & κ̃ς διάθεσιν. Nihil docet, primùm is, qui in rerum caussis reddendis, ut ait *Galenus*, confugit ad proprietates quasdam, verbis inexplicabiles: Deindè & is, qui utitur quidem certis quibusdam verbis, sed quomodò vulgò ea usurpentur, non animadvertit, nec quam ipse notionem eis subijciat, uspiam explicat. *Qui falsa* docet, ea docet, quæ cum didiceris, duplo stultior sis, quàm prius: Inscientia enim hæc, duplicata dicitur inscientia apud Platonem. Didicisti enim dedisscenda. Cui tamen malo plerunq; & hoc accedit, quod animo jam falsis sententijs præoccupato, ad veritatem ex alio audiendam obscurduimus. *Imprudens* doctor docebit quidem fortassis, quæ debebit, sed non quo modo, & quando debebat. Nam aut obscuritate quadam affectata, te enecabit: aut longitudine fastidiosissima, retardabit: aut profundissimis quibusdam, & à proposito loco alienissimis quæstionibus, ingenium suum ostentabit, tuum verò adhuc rude suffocabit; aut suo quidem loco res explicare studebit, explicando tamen milium, quod Galenus ait, terebrabit, & subtile disputationum stamen texet, idq; retexere in hac arte, artis esse putabit, sæpè non memor pulcherrimi præcepti apud Platonem: sapientiores nos ad senectutem perventuros, si ejusmodi argutijs multam salutem dicamus. *Infidelis*, quamvis & sciat, & possit docere, laborem tamen nullum pro te capere volet, quæstiones artis utiles nũquam accuratè explicare laborabit. *Perspicuis*, credo, ex his paucis, in tertio hoc capite, magnam caussæ partẽm sitam, retardatæ, aut etiam penitus amissæ sapientiæ: immò hanc propè esse proram & puppim tot errorum, tot fatuitatum, tot deniq; monstrosorum dogmatum, quibus hodiè artes ferè omnes miserè contaminatæ sunt. *Nam*, ut de uno tantum vitij genere dicam, plerumq; indocti & ambitiosi artium professores, vacuam quasi discipuli possessionem primi occupant: nudæ animi ejus tabulæ, ut nominat *Aristoteles*, aut pinguia & culinaria dictata, aut nova dogmata ambitionis plena, primi inscribunt: & necesse est, Tyronẽ, de præcepto etiam Philosophi illis credere, si discere cupiat. *Plerunq; itaq;* hi primum à cana nos veritate abducunt. Quas enim à primis annis opiniones animo combibimus, eas plerisq; omnes semper retinemus,

nemus, & pugnaciſſimè defendimus. Ut enim lac pabuli retinet ſaporem: ita doctrinæ alimentum, quale principio acceptum eſt, tale ferè in ipſas ſeſe venas & fibras animi inſinuat, omne inq; ſi corruptũ ſit, rectè judicandi vim corrumpit. *Cicero* quidem certè, tantæ prudentiæ, tantiq; ingenij vir, quia *Diodorum Stoicum* à puero in Dialecticis audivit, nunquam ſeſe potuit penitus à Stoicorum fæcibus liberare. Dediſcere enim certè difficilius eſt, quàm à principio diſcere. *Beati ergò ter & amplius, quibus adhuc rudibus & integris, docti, prudentes, & fideles Magiſtri, vel caſu oblati, vel certo parentum judicio, delecti ſunt.*

Addidi quarto loco φιλοπονίαν, *amorem & patientiam* in laboribus perferendis: maximum mediocris etiam ingenij ſubſidium: quæ jam propriè noſtra, non aliena virtus eſt. *Superiora enim* illa tria optare poſſumus, præſtare ipſi à nobis ſæpè non poſſumus. *Hæc virtus* nobilitavit omnes, quotquot unquam floruerunt ſapientes. *Galenus* quidem & *Ioannes Grammaticus*, cognomen ſibi ab ea invenerunt: alter enim φιλόπονος: alter etiam φιλοπονώτατος fuit dictus. Nobilitavit eadem, perennem illum omnis eruditionis fontem, *Ariſtotelem*: Ejus enim domus, lectoris domus à Platone fuit appellata, autore *Ammonio*. Nobilitavit eadem hunc quoq; Ammonium. Is enim diſcipulis ſuis crebrò oſtendere ſolebat aſinum, laboris patientiſſimum animal, ut eos admoneret, veritatis inveſtigatorem tolerantem & patientem oportere eſſe laborum. *Nobilitavit* deniq; ea alios omnes, qui ſe ſupra cæteros mortales extulerunt: Ita enim ſenſerunt: laborem eſſe pretium illud, quo immortales, nobis mortalibus, bona ſua, id eſt, ſapientiam vendant. *Agnoverunt* veriſſimum eſſe id, quod Democritum dixiſſe accepimus; veritatem *in profundo* eſſe demerſam, eaq; propter omnibus voluptatibus bellum indicendum, cibo, potu, ſomno abſtinendum: in una veritate exquirenda, & ex profunditate illa exhaurienda, usq; & usq; laborandum, ſi modò diſcere labor eſt, ac non potius ſumma voluptas. At verò quid nos hîc pleriq; omnes? dicam uno verbo (dabitis autem veniam philoſophicæ libertati) *Blandimur* nobis: Trophæa dormientes conſtituimus. Eam enim jactamus, aut ſaltem taciti credimus, ingenij noſtri felicitatem eſſe, eam aciem, ut quamvis magnam temporis partem, aut otioſi deſideamus, aut ſomno, alijsve voluptatibus perdamus, aut in circuſo cum congerronib. teramus, facilè tamẽ ubi nos ſemel incitaverimus, una diecula omnia aſſecuturos, facilè acumine illo noſtro ad mirabili, penetraturos ad ea, quæ in profundiſſimis naturæ tenebris abſtru-

abstrusa sint. *Ridicula* capita: qui & nostra, si qua sunt bona, geminata, tanquâm ebrij, intuemur: & ex ea re laboris fugam arripimus, quæ nos potius ad labores incitare debebat. Quid enim? An non verissimum hodieq; est, quod jam olim *Lyco de Aristone Coo* dixit: Rectè ingredientem, si sæpius in via desideat, etiam à claudo anteverti: Deindè an non acutissimis ingenijs præditi erant Sapientiæ patres, quos tamen laborum & commentationum assiduarum constat fuisse amantissimos. *Meritò* igitur nos, quicunq; laborem fugimus, si ingenijs etiam abundaremus, tantò tamen jacemus infra heroum illorum dignitatem, quantò imæ maximeq; depressæ convalles, infra editissimorum, cœloq; ut poëtæ loquuntur, minantium montium cacumina.

Veruntamen cuncta hæc quoq, nisi gubernentur veritatis studio (*quod quintum caput erat*) non tàm viros sapientiâ admirabiles, & veritatis antistites, quàm Sophistas, id est, egregios quosdam mentiendi artifices, progignent. Nam & ingenij acumen, & primarum disciplinarum, linguarumq; cognitio, & magistrorum præstantia, & verò laborum etiam assiduitas, omnia inquam hæc, rebus potius opprimendis erunt, quàm excitandis, nisi Dea illa *Veritas*, medullam, ut ita dicam, animæ nostræ, facibus suis perusserit. Undè Galenus sapientiæ amatorem, vult veritatis μανίᾳ ἐρωλιχῇ correptum esse, id est, tanto ejus studio flagrare, quanto illi amore ardent, qui Dominæ alicujus formâ capti, in ea amanda, dies noctesq; propè dicam, insaniunt. Hac etiam una virtute Aristoteles Dialecticum distinguit à vafro Sophistâ. Non enim vel artis cognitione, vel ulla alia re differentes eos facit, solo veritatis studio. *Sciebant* nimirum veritatis amantissimi Philosophi, pauciss imos esse, quos ad ossa usq; hujus Deæ amor tetigisset. *Galenus* enim profiteri non dubitat, se tota sua vita, non nisi quattuor, ad summum quinq;, cognovisse, qui maluerint esse, quàm videri sapientes. *Scilicet* ut in vita communi, plerisq; cum Cæsare malumus videri viri boni, quàm cum *Catone*, esse: Ita etiam in regno sapientiæ, pauci sunt, qui malint esse, quàm videri solidâ doctrinâ præditi: pauci sunt, qui quæ ipsi nesciunt, alios volunt scire. At enim perquàm mirum hoc videbitur, cùm animus noster naturâ suâ ijs, quæ vera sunt, gaudeat; falsa aspernetur & refugiat, non minus quàm oculus gaudet luce, abhorret à tenebris: usq; eò tamen adeò multos à tacita hac naturæ vi resilire, ut in veritatis studium, non omni animi impetu incumbant, immò interdum

Digitized by Google

dum eam opprimere tentent. *Verùm* minus mirabimur, ſi omiſſis cæteris cauſſis, quibus hominum animi illaqueari ſolent, ſolum cogitaverimus, quid corruptrix illa ingeniorum, omniumq; rerum humanorum perturbatrix, ambitio poſſit? *Primùm*, magna pars Profeſſorum & ſcriptorum ardet & prurit, ut Galenus ait, cupiditate ſectarum inſtituendarum: quo morbo inprimis ignea & acria ingenia laborare dicuntur. Movent enim hæc ſemper aliquid, & nec quieta, quieta eſſe ſinunt: Novi Gracchi in Repub. literaria: qui ſuis commentis, colores etiam addere norunt, inventione multiplici, non quidem rationum probarum, ſed tamen probabilium: quod ſi linguæ quoq; volubilitas illis data erit, incredibile eſt, quantas ſtrages in ſapientiæ regno hi tales edant. Neq; verò unquam ſperes effecturum te, etiam invictis rationibus, ut, quæ aliquando ſcripſerunt, velint perdenda fateri, aut, ut cum *Auguſtino libros ſcribant retractationum*: vel cum Hippocrate, errorem ſuum fateantur: vitam potius amitterent. *Atqui* (ait Celſus de Hippocrate ingenuè errorem ſuum agnoſcente) Hoc magnorum Virorum eſt, & fiduciam magnarum rerum habentium: levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt: Hoc primùm: Deindè etiamſi ipſi autores novarum ſententiarum non fuimus: quia tamen prius ſectæ nos alicui addiximus, quàm quicquam judicare potuimus, non minori ambitionis ſtimulo pleriq; cum ea errare malumus, ejusq; *κυρίας δόξας* ſumma contentione defendere, quàm quid conſtantiſſimè dicatur, exquirere. De hoc ambitionis furore, audiamus quæſo Galenum: Sectæ, inquit, defendendæ ſtudium, tantum apud quosdam valet, ut malint patriam prodere, quàm vel latum unguem ab eo, quod ſemel profeſſi ſunt, diſcedere: Ac ne putemus ignoratione id fieri veritatis, audiamus quid alibi ſcribat: Nobis, inquit, Medicorum multi falſi ſunt, ſectam ſuam ſe publicè non poſſe mutare, quanquàm intelligant abſurdam eam eſſe, quia alia non norint, quib. vulgo in precio ſint. O peſtem, ô malorum omnium extremum! Tantúmne poſſe inanem quandam gloriæ umbram, ut veritatem oculis conſpectam, repugnantibus omnibus animi intimis ſenſibus, verbis tamen neges? Immò ait *Galenus*, Sectæ alicui addicti, mentiri non erubeſcunt. Heu miſeriam! Pergit idem hanc inſaniam ob oculos ponere; Studium, inquit, ſectæ homines ſurdos reddit & cæcos: Item: Sectarum ambitio, malum eſt, quod nullo nitro, nullo lomento poteſt elui. Atq; hinc quidem ejus oraculum, quod crebris

sermonibus usurpasse dicitur, extitit : *Ambitio perdidit artes.* Dicas profectò virum hunc vatem fuisse, & scripsisse in nostrum hoc seculum. *Atq; hæc quidem de φιλαληθείᾳ.*

Attingamus nunc breviter sextum, & unâ septimum quoq; caput, quod diximus esse ex sententia Galeni, *Organum dijudicandi verum à falso, maximeq; à verisimili, & crebram ejus in quæstionibus gravibus Philosophorum* (non in analysi *Oratorum, aut Poëtarum*) exercitationem. Ut enim frustra studeas, parietem rectum struere, sine certa regula, aut perpendiculo : ita etiam frustra animus noster veritatis studio flagrabit, sine ejus investigandæ, & discernendæ Organo : quod est apud Galenum & Aristotelem, methodus Apodictica, sive ars analytica. Præclarè Simplicius, Qui, inquit, sine methodo hac, libros Philosophicos attingere audent, idem subeunt periculum, quod illi, qui ad *Circen* accedunt, sine herba *Moly.* Suavitate enim & amœnitate rationum verisimilium circumveniuntur. Neq; verò satis est, præceptis quibusdam hoc Sapientiæ Organum paravisse : addenda quoq; opera est: manus, quod ajunt, unà cum Minerva movenda. Nunc cœlestium corporum proprietates ex ejus præceptis explicandæ; nunc sublimium caussæ rerum pervestigandæ : Nunc de animalium partibus, terris, arbustis, satis (& ut *Iuriconsultorum* verbo utar) de omnibus, quæ solo continentur, quærendum. Quid verò hic hodie ? Ne multa: ut nocturna animalia solis lumen refugiunt, obscuros lunæ, eosq; mutuaticios radios sequuntur : Ita nos artis Apodicticæ splendorem aversamur, fragmentorum Topices, & compendiorum quorundam, dubia & obscura luce contenti.

Habetis, auditores humanissimi, quàm potui brevissimè, gradus septem, quibus de sententia Galeni, ad *sapientiæ fastigium,* & boni disputationum Judicis tribunal conscenditur. Quod si igitur ex his aliquis, vel à natura non erit concessus, vel à parentibus neglectus, vel à magistris prætermissus, vel à nobis ipsis non quæsitus, judicijs jactabimur incertis, neq; ubi firmiter pedem figamus, facilè reperiemus. Quemadmodum scalarum gradus, ut *Cecinna ad Ciceronem scribit* : si alios tollas, alios incîdas, nonnullos malè hærentes relinquas, ruinæ periculum struas, non ascensum pares: sic veritati non auxilium, sed ruina & oppressio, à tali Judice metuenda est. Ex quibus etiam perspici potest, quid caussæ sit, quod hodie & templa, & scholæ, & porticus, & fora, & consessus denique omnes, tot dissensionibus personant ; Eorum enim qui judicamus, numerus est innumera-

Digitized by Google

merabilis: eorum qui rectè judicare possint, vix totidem sunt, quot Thebarum portæ, & divitis ostia Nili.

DIXI.

II.

Ern. Soneri,

Nunquam antehac publici juris facta,

ORATIO:

De Theophrasto Paracelso, ejusq; perniciosâ Medicinâ.

PRodeuntem me in vestrum conspectum ad demandati muneris auspicia, Magnifice Dn. Rector, Generosi Barones, Viri Clarissimi, præstantissimi, doctissimi, Juvenes Nobilissimi, Optatissimi, non levis sanè percellit atq; in diversa rapit perturbatio. Dum enim me circumspicio, dum in Vos præsentes intueor, dum loci hujus conditionem considero, susceptiq; oneris dignitatem & gravitatem perpendo, succurrit sanè, quod animum meum & efferre possit lætitiâ, & deprimere metu. Quid enim? Num parùm in eo exultem, quòd Vos, Viri præstantissimi, quos olim in hac Academia partim præceptores studiorumq; meorum duces & patronos, partim aliàs honorum fortunarumq; mearum fautores & promotores habui, nunc collegas videam ac salutare possim? numquid levi animum meum perfundat gaudio, quod ex turbulento operandi negotio ad honestissimum profitendi ocium in eum locum sum revocatus, in quo adolescentiæ meæ annos suavissimè transegi; in quo in vestro sinu virtutis incunabula & studiorum rudimenta posui: in quo inter vestram fidem & nutrices curas ijs artibus & disciplinis, quarum per ætatem & ingenium capax eram, honestissimè & liberaliter fui educatus: deniq; in quo primam laborum mercedem primaq; honorum insignia sustuli. Amens sim, si quanta hæc sint non agnoscam: in humanus, si parvi faciam. Patriæ tanta fuit semper dignitas & re-

verentia, ut eam inhabitasse viris bonis non minimum felicitatis momentum sapiens vetustas censuerit : πολλῷ γὰρ χρυσῷ καὶ πλούτῳ κρείσσων πάτρα σώφρονι ναίειν. inquit Euripides. Id verò ut arbitror, non tam quod per se patrium solum magnam sui dulcedinem mortalibus in vitâ præstet, quàm quod dum vitæ atq; virtutis suæ usum viri boni ijs impertire optant, quibus potissimum ea sese acceptare referre debere intelligunt, præsentem consuetudinem gratitudinis officio exercendo, certiorem judicant occasionem. At enim hæc schola mihi patria est, Vos genitores. Dedit quidem mihi Noriberga hujus suavissimæ lucis aspectum, at vos rectum usum. Parentes dedere vitam, Vos meliorem vitam, tantò majus beneficium, ut ait Seneca, quantò præstat bona vita, vitæ. Illi corpus educarunt, vos animum corpore præstantiorem salutaribus præceptis imbuistis, liberalibus artibus erudivistis, ad virtutem honestatemq; instituistis atq; incitastis. Quanquam fatericogar, non eous q; progressum me esse, quo vestra diligens cura & industria provehere debuerat ac poterat : sed quò me ire ingenij imbecillitas ac tarditas permisit : qui tamen virium mearum defectus, vestrorum meritorum abundantiæ ac dignitati nihil derogat, quæ tam grato animo complector, quam exiguo sermone eloquor. Tanto igitur effusiori gaudio nunc exultare debeo, quantò majora sunt, quibus me hæc scholæ sibi, patriæ, vos parentum nomine vobis devinxistis : quum præsentia spem afferat obventuræ occasions, quâ quod absens fortè perpetuò debere, aut non nisi votis & sensu præstare potuissem, coràm reipsà, labore, studio, observantiâ atq; omni grati animi cultu exequi, meq; hoc tã grandi debito exsolvere aliquando liceat. Veruntamen multa sunt, quæ hæc mea gaudia interrumpunt ac metu temperant. Oneris magnitudo, auditorij dignitas, collegarum sublimis sapientia, antecessorum virtus, & omni imitatione major docendi cum gravitate dexteritas. Non enim sum tam ignarus rerum, ut quàm ardua sit provincia, quæ mihi est imposita, non intelligam : nec tantus sum mei amator, aut stultâ temeritate occæcatus usq; mihi adblandior, quin commissis in comparationem ingenio & officio, illud multis momentis prægravari videam.

Ipsum verò hoc nobilissimum auditorium, isti parietes, hæc cathedra, quæ doctissimis vestris oraculis hactenus circumsonarunt : lectissima hæc juvenum corona, quorum animos vestra ex hoc loco facunda solertia admiratione complevit, immensaq; subtilitas

tilitas ſtupore defixit, non vulgarem & circumforaneam, non ex trivijs ac circulis hauſtam, ſed exquiſitam atq; reconditam doctrinam à me expectare volent, qualem quidem ab alijs diſcere, quàm alijs tradere eſſem paratior. Et ut mihi daretur, in profundæ veſtræ eruditionis abyſſum penetrare, veſtramq; in docendo felicitatem aſſequi, quod vel ſperare temerarium eſſet, nihil tamen magnum aut ſingulare præſtare nunc viderer: nam obſcuratur gratia debito & neceſſitate, poſtquam omnes aliter fieri non oportere putant, doctrinarum veſtrarum ἀκριβείᾳ & ſermonum venuſtate facti delicatiores: jam cùm minus valeam doctrinâ & ingenio, ecquam laudem me conſequi inter vos poſſe ſperem? quanquam non laudem, ſed auditorum quæram utilitatem. Alexandrum Magnum referunt hiſtoriæ, in olympijs ſtadium fuiſſe curſurum, ſi reges ſimul currentes habuiſſent: ego contra libentius hoc profeſſionis ſtadium decurrerem, ſi tam nobiles Academiæ Proceres non haberem præcurſores: adeò meum ab illius voto deſiderium diſcrepat, ut cùm is ambitione concurrentium ignobilitatem contemſerit, ego innatâ verecundiâ eorum dignitatem & ſplendorem formidem, cùm in univerſum omnium facultatum profeſſorum, tùm inprimis eorum, qui in hoc ſtudiorum genere me anteceſſerunt, quorum laborioſam ſuſcepi provinciam. Nam ſive illius intuear veſtigia, qui naturalis philoſophiæ myſtes, ante me profeſſus eſt ejus arcana, præceptor mihi perpetuâ obſervantiâ colendus, terrent me incredibilis ſagacitas, ubertas & acumen ingenij, quæ & olim auditor ſemper fui admiratus, & apud exteras nationes, quæ cæteroquin ingenij gloriâ triumphant, effuſis laudibus celebrata magis admirari didici: ſive rurſus ejus, qui in docendâ practicâ Medicinâ me anteceſſit, nunc verò ad beatam immortalitatem, ut ſperamus, deceſſit, præceptor itidem omni reverentiæ cultu mihi proſequendus, ſive, inquam, hujus ante oculos ponam imaginem, qui ſæpiſſimè audivit illam vocem, quam Cicero Oratori ſuo acclamari vult, *Non potuit dici melius*, omni imitationis ſpe dejectus, planè obſtupeſco. Adeò multa ſunt, Auditores, quæ cùm ſingula alijs timorem facere poſſint, mihi ſeſe objiciunt univerſa, atq; initio ſtatim trepidare faciunt. At iſta quidem re adhuc integrâ, fortaſſis majore quadam cautione providenda fuerant: nunc quidem jam ſemel altum ingreſſo, quæ me cunq; tempeſtas exceptura ſit, vela nimirum facienda ſunt. Id me modò non parum in hac difficultate ſolatur, quod

 non

non ambitione aut temeritate hoc munus ipſe appetivi, ſed officio ac pietate compulſus oblatum detractare, aut verius impoſitum abjicere non potui. Quamobrem ſi me expectatione veſtra ſentietis inferiorem, iſti pro me reſpondeant, qui de me ita ſtatuerunt, quorum ego auctoritati parere & mandata ſubſequi debui, neq; unquam ita mihi placere, aut tantum tribuere, ut de illorum judicio judicarem. Sed & ſpes non exigua de ſingulari veſtrâ erga me benevolentiâ & humanitate minus mercfragari fecit, & magna quædam approbandæ vobis, ſi minus eruditionis, at certè voluntatis meæ cupiditas perſuaſit. Nam ſi quo me antehac civem & diſcipulum veſtrum amoris affectu eſtis complexi, eodem nunc collegam proſequi atq; favore perrexeritis: ſi veſtræ eruditionis & doctrinæ ſplendore hoc ingeniolum porrò irradiare atq; colluſtrare volueritis, fieri poterit, ut ipſum quoq; non ingratam aut infructuoſam lucem, veluti parva ſidera à majoribus acceptam reddere ſolent, huic auditorio referat: & ipſum pietatis officium, dum gratum me huic ſcholæ præſtare conabor docendo, cui me diſcendo obſtrinxi, ſpiritus mihi ac robur addet benè merendi.

Sed hæc de me plus ſatis forſan præfatus, ad rem ipſam propius accedam, veſtrâ fretus humanitate & benevolentiâ: atq; de eâ arte aliquid dicam, cujus publicam ſuſcepi profeſſionem, ut nimirum principium ſit rebus accomodatum, ac talis prima oratio, qualis futura eſt rerum explicandarum materies. Non congeram autem nunc ſollicitè ejus laudes, per famam jam dudum eminentes, & multorum ſeculorum approbatione teſtatas: ſed dicam breviter de illo famoſo impoſtore Theophraſto Paracelſo, ejusq; contage & violentiâ, quâ jam pridem hujus ſaluberrimæ artis illibatam puritatem inquinavit, veritatem mendacio obſcuravit, dignitatem probro affecit, ut ipſe ſuas nugas ſpecioſo reconditæ ſapientiæ titulo velatas, ceu Panderam aliquam in certam perniciem mundo obtruderet. Et dicam ita, ut factâ illius Medicinæ comparatione aliqua cum Hippocraticâ & Galenicâ circa originem, principia, remedia, & medendi rationem ſtudioſi artis intelligant, cui ſe debeant familiæ addicere, ne olim ſtudij, laboris, ſumtuum ac temporis nos pœniteat. Id verò dum facio oratione ſimplici, non cultâ per ambitionem, obſecro vos & obteſtor, ut exigui temporis attentionem mihi ne denegatis.

Quando mortalis hominum conditio poſt primam illam mundi æta-

di ætatem, quæ illos ſobrietate vitæ longiſſimè provectos paulatim citra magnam morborum violentiam ad fatalem neceſſitatem reduxit, junctâ ſibi luxuriâ, magnâ ægritudinum fæcunditate expullulare cœpit, tunc primùm neceſſitas & indigentia occaſionem præbuit Medicinæ. Nam cum adverſus languores & cruciatus tam varios tamq; immanes auxilia expeterent, ad experientiam confugerunt, primum artium fundamentum, ægriq; apud Ægyptios, ut ajunt, in compita delati, à prætereuntibus remedia ſciſcitari, & ubi ea profuiſſent, tabulis inſcripta ad conſtituendam artem in delubro reponere cœperunt. Iſtorum porrò experimentorum quisquis ſibi comparaverat notitiam; Medicum ſe venditabat, atq; inde Empiricorum ſecta prima extitit. Poſteaquam verò homines magis intellexiſſent, quàm bonum eſſet Sanitas, neq; vivere ſed valere vitam eſſe, contentius ſtuduerunt artis rudimenta excolere, atq; tum ad philoſophos tranſijt profeſſio, qui ſoli experientiæ diffidentes, quod periculoſa & fallax eſſe poſſet, quodq; multos morbos indies exoriri viderent, quibus Empirici experimentis deſtituti ſuccurrere non poſſent, cauſas rerum rimati ſunt, communemq; rationem, ob quam ſingula profuiſſent, inveſtigarunt, accurato judicio expenderunt, atq; probarunt, & hac ducti ratione, multis novis & antea inviſis morbis opem tulerunt ſalutarem. Hinc exorta eſt Dogmaticorum ſive Rationalium Medicorum ſchola, jidemq; philoſophi & medici fuére, usq; ad magni Hippocratis tempora, qui teſte Cornelio Celſo primus Medicinam à Philoſophiâ ſejunxit, primus majeſtatem & ſplendorem arti adſpiravit, rudimenta confuſa & indigeſta expolivit, diſpoſuit, locupletavit. Hoc tempore tanto in honore haberi cœpit Medicina, ut piaculum fuerit ingens eam profanaſſe, ſoliq; Medicorum filij aut alioqui ex Medicorum familijs oriundi ceu ſacra quædam per manus traditam heriditariâ ſucceſſione cuſtodirent, unde manavit proverbium *Medicorum filij*. Duravit Hippocratica Medicina usq; ad Pompeij Magni ætatem, quâ Aſclepiades Pruſienſis, referente Plinio, orandi magiſter non ſatis in arte quæſtuoſus, ut ad alia ſagacis ingenij ad novam ſectam condendam ſeſe convertit, torrenti ac meditatâ quotidie oratione blandiens veterem medicinam abdicavit, totam artem ad quinq; res maximè communium auxiliorum revocavit: cui ſectæ Themiſon Laodicæus poſtea Methodicæ nomen dedit, eamq; præ cæteris excoluit, Theſſalus ille Aſinus, ut à Galeno appellatur, qui artem totam ſex menſi-

menſium ſpatio perfectè tradi, & plenè addiſci poſſe impudentiſſimè jactavit. Tandem Galenus divino munere mortalibus datus ſub Antonino Pio, horum vanitatem acerrimè oppugnavit, & expugnavit rationibus firmiſſimis, antiquam Hippocratis doctrinam ſenſu & ratione extructam revocavit, priſtinæq; dignitati ac ſplendori reſtituit, adeò, ut ex eo tempore ad parentum noſtrorum memoriam nulla celebrior, nulla certior, nulla ſecurior habita fuerit Medicina, quàm Hippocratica & Galenica, quæ eadem eſt dogmatica. Hanc ſequuti ſunt Græci, amplexi ſunt Latini, commendarunt Arabes, & quotquot uspiam terrarum Medicinæ ſtuduerunt, hanc uno ore omnes atq; unanimi conſenſu approbarunt. Ægyptij quoq; publico edicto prudenter jam longè antè caverant, ne quis ægros aliter, quàm juxta antiquam illam dogmaticam Medicinam curaret, qui ſecus faceret, morte plecteretur.

Prodijt tamen ſuperioribus annis, Philippus Theophraſtus Paracelſus, homo infauſto ſidere ad omnes bonas artes atq; honeſtas diſciplinas corrumpendum natus, qui velut alter Prometheus non Minervæ, ſed Dæmonis auxilio cœlos conſcendit, novamq; artem, ceu novum ſapientiæ ignem & immortalitatis prædium ſuffuratus, in terrarum orbem detulit. Vicit impius nugator impudentiâ, inſcitiâ, temerisate, doctrinæ monſtris & inſaniâ, non modò in arte medicâ, ſed omnes omnium diſciplinarum hæreticos, transfuga leviſſimus, nuspiam ſibi conſtans, nunc Theologus, nunc Medicus, nunc Magus, ſæpiſſimè autem inter ruſticos aleator & potator ſtrenuus. Multa olim contra ſenſum & rationem priſci philoſophi deliarunt, ut Democritus ex atomis omnia conflavit, Anaxagoras nivem nigram eſſe contendit, Zeno negavit motum, & audio nuper fuiſſe, qui ignem eſſe frigidum aſſeruerit, (credo ne quid eſſet tam ineptum, quod non aliquis Philoſophus dixiſſet) attamen horum omnium abſurditates & deliria multis paraſangis ſuperavit ſycophanta Paracelſus, quod hinc quæſo cognoſcite. Primùm ut facilius omnem ſalutarem doctrinam, & reconditam in veterum monumentis ſapientiam nobis eriperet ac ſepeliret, præcepit palàm in libro de caduco matricis, ne quis linguas addiſceret, aut in eis ſeſe exerceret. Logicam veri & falſi unicam magiſtram, Naturæ & Sapientiæ lumen obſcurare, peſtis, odij, rixarum, litiumq; marrem eſſe, ebrius ſanio ubiq; clamitavit, ne qui eâ uterentur, animadverſis illius impoſturis, pellem ei detraherent. Venerandam veneran-

dæ an-

dæ antiquitatis ſapientiam, ſenſu & naturæ luce inveſtigatam, infinitis laboribus partam, ratione ſtabilitam, totq; ſeculorum auctoritate comprobatam, vanitatis ac ſtoliditatis accuſavit, contemſit, irriſit: aliam nobis & longè ſublimiorem, ſi dijs placet, ex impuro & ebrioſo cerebro, dictante cacodæmone ſuo, cum peſtilenti crapulâ evomuit. Scire enim debetis, Auditores, nunquam eum ad ſcribendum acceſſiſſe, niſi ad inſaniam eſſet potus. Retulit mihi Baſileæ ſummus quidam vir, de cujus fide dubitare non debeo, Johannem Oporinum celebrem illum Baſilienſem Typographum, quum amanuenſis operam Paracelſo biennium præſtitiſſet, ut admirabilis doctrinæ, quam profitebatur, fieret particeps (perſuaſerat enim ei, ſe ſex menſibus totam artem medicam perfectè traditurum eſſe) hanc ſolam ob cauſam eo ſe miniſterio tandem abdicaſſe, quod Paracelſus non niſi ebrius ad ſua myſteria explicanda accederet, & in medio hypocauſto columnæ πίνοφωλὶς adeoq; numine ſuo plenus aſſiſtens, manibus capulo enſis comprehenſo (quod illud hoſpitium eſſet dæmonis, qui vitro incluſus reſponſa faſcinatis dare ſolet) imaginationes ſuas eructaret: quodq; inter dictandum velut œſtro percitus & furijs agitatus, inſtar Pythiæ cujusdam vatis, exardeſcere ac horribiliter vociferari ſoleret: dæmone nimirum illa plauſtra convitiorum & δοξομανίαν monſtroſam ſuggerente, quam ſanus excogitare nunquam potuiſſet, adeò ut metu concuſſus & conſternatus Oporinus, ſæpiſſimè dictata calamo ſequi non potuerit. Idem ex Oporino audivit magnus ille Thomas Eraſtus, & cum Oporino teſtatur clariſſimus Theologus Henricus Bullingerus, qui ſæpè cum Paracelſo eſt congreſſus. Magiam certè nefandam & omnes diabolicas artes non modo ipſe ſedulò coluit atq; exercuit, ſed etiam diſcipulis ſuis (facinus indignum & vindicibus flammis expiandum) ſtudioſè diſcendas eſſe, autor fuit, Cacodæmonem non aliter quàm ſocium ſuum appellans. Porrò ut novæ atq; ſublimis ſapientiæ opinionem ſibi conciliaret, à divinis initium fecit, ſuumq; os impudicum & ſacrilegum in Theologiam ingeſſit, in quam tantum monſtrorum, tantum impietatis & blasphemiarum à ſocio ſuo doctus intulit, ut ea vel recenſere exhorreſcam.

Deinde cùm Theologica profeſſio non ſatis illi in quæſtum cederet, ne guloſus helluo ſiti exareſceret, Medicorum invaſit poſ-

ſeſſionem, ſpe opimioris prædæ, ac primum quidem Chirurgiam, ut ajunt, non infeliciter exercuit. Mox tamen & heic inſanâ gloriæ cupiditate & innovandi pruritu incitatus, ne tam anguſtis ſeſe limitibus coërceret, aut minus in hac arte, quàm in Theologiâ ſapere videretur, laxato libidinis & malevolentiæ freno, latius graſſatus eſt, cœpitq; univerſam veterum Medicinam, dogmaticam illam Hippocratis & Galeni, ceu ineptam & inutilem, magno faſtu contemnere ac ſuperciliosè rejicere: imò ut pernicioſam exagitare, quæ imaginarijs tantùm niteretur hypotheſibus, in externis, inutilibus, venenatis rerum qualitatibus eſſet occupata, internam eſſentiam, cœleſtem, aſtralem, & animam non attingeret, neq; vera corporum neq; morborum principia noſſet, multò minus ſalubria remedia rectamq; curandi rationem traderet: adeoq; omnes huc usq; fuiſſe pſeudo medicos, pſeudo philoſophos, pſeudo aſtrologos (pro ijsdem enim habet harum diſciplinarum profeſſores) ſe verò in naturæ adyta penetraſſe, interna rerum principia, cœleſtia, aſtralia, & immortalia analyſi chymicâ inveniſſe, veramq; morborum curandorum rationem habere cognitam, ut prærepta nunc Apollini laude, ſolus gloriari poſſit:

Inventum Medicina meum eſt, opifex q; per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

„ Ego, inquit in Paragrano, Monarcha ſum, atq; ero. Me ſequi „ vos Avicenna, Galene, Pariſienſes, Montipeſſulani, Suevi, Miſ„ nenſes, Colonienſes, Viennenſes, maria, inſulæ, Italia, Dalma„ tia, Sarmatia, Græcia, Athenæ, Arabes, Judæi (mirum quod non „ & Garamantas & Indos adjunxit) cogimini, non autem vos ego „ ſequi debeo. Corrigiæ ſeu annuli calceorum meorum plus no„ runt artis Medicæ, quàm Galenus, Ariſtoteles, & qui eos ſequun„ tur. Sunt tanquam ſpuma ſuper jure bono, quæ naturam juris „ ſapit, ſed felibus & canibus debetur. O monſtrum hominis! ô os impudicum! Neminem à condito mundo veram noviſſe medicinam, antequam tu eam ex orco, à Cacodæmone tuo proferres? DEUM O. M. qui infinitis beneficijs humanum genus affecit, hanc ſolam artem elapſis huc usq; ſeculis illi invidiſſe, ut eam Tibi ſacrilego reſervaret? Cur ergò Medicos honorandos eſſe præcepit, ſi nulli fuerunt? Cur antiquiſſimi illi Jachenus Chami temporibus,

poribus, Apollo, Æſculapius, Hippocrates, divinos honores apud ſuos adepti ſunt, niſi quod egregiam artis operam illis præſtitiſſent? Hippocrates adventantem peſtem prævidit, & præſentem curàvit feliciſſimè. Numquid Aſclepiades tibi medicus fuiſſe videtur, qui, ut auctor eſt Plinius, ſponſionem cum fortunâ fecit, ne medicus crederetur, ſi unquam invalidus fuiſſet ipſe, & victor ſuprema in ſenectâ, lapſu ſcalarum exanimatus eſt? Audi etiam Galenum, ſi potes veſane, Ethnicum quidem, ſed te multo religioſiorem & veraciorem. qui lib. 3. loc. affect. 3. de ſe ſcribit, quod Medicinam profeſſus ad ſenectutem usq; , nullam unquam neq; curando, neq; præſagiendo calumniam ſubierit, quodq; medicamenta invenerit, quibus morbos rarò evenientes curaſſet, cùm antea neq; præceptorem vidiſſet hujusmodi morbum curantem, nec ipſe aliquod expertum habuiſſet remedium: id quod per DEOS immortales affirmare non veretur. Quid ad hæc reſpondebis inſulſe Reformator? negare non potes, niſi omnem prorſus pudorem decoxeris? Admirandorum tamen operum pollicitatione, ſcio fatuitatem & novitatem commendabis atq; extolles, quæ præſtare Galenici nequeant, ut fidem & favorem invenias apud imperitum vulgus, quod ſcis, verſipellis Agyrta, pronum eſſe ac facile ad credendum ea, quæ valde cupit: jactabis impudenter morborum omnium tam malignorum quàm benignorum, cognitorum & incognitorum, veterum & qui novi exoriri poſſunt, ſanabilium & eorum, quos Galenici inſanabiles habent, promptam, expeditam & novam curandi rationem: quin & immortalitatem te collaturum ex tuâ arte, quam ipſe tamen conſequi minimè potuiſti. Utinam Paracelſe in illa incidiſſes tempora, quibus ſapiens Ægyptiorum decretum viguit, contra novatores artis! Non vixiſſes diem unum, & nobis nunc minus eſſet ſudandum, ut credulam improvidamq; juventutem à tuis ſerpentinis blandimentis, quibus eam ſpe immortalitatis & Chryſopœjæ allectam atq; irretitam præcipitas, retraheremus, & Chimæras tuas, quibus ne Hercules quidem in purgando Augiæ ſtabulo horribiliora monſtra vidit, domaremus. Aut tuliſſet te illud ſeculum Romanis, quo mos erat, ut qui novas leges proponebat, laqueum geſtaret collo. Non dubito quin hunc laqueum etiam novæ tuæ arti dediſſent, & impium conſtrinxiſſent guttur, ne erga DEUM blasphemus, in ſtudioſos veræ ſapientiæ injurius,

Reipublicæ autem univerſæ pernicioſus eſſe pergeres. Fuit tunc laudi cum veteribus ſapere, tibi contra eos deſipere volupe eſt. Sed ne videar in tuam perſonam eſſe acerbior, quàm facta mereantur, conſideremus tandem benedictam tuam medicinam, & utrum antiqua ac Hippocratica præſtantior ſit, diſpiciamus. Ejus autem rei ipſa illius origo nobis certiſſimum argumentum præbere poteſt.

Dixi ſuprà, Auditores, Paracelſum à Cacodæmone accepiſſe ſuam artem, non repetam fuſius: tantum ne quis putet me per calumniam hoc illi imponere, ipſum loquentem audiat, in libro de „ origine morborum inviſibilium, ubi ait: hoc in cordibus no„ ſtris meditemur, quòd DEUS medicinam creavit, quare à cha„ racteribus, quos deſcribo, ſi quid boni accidat, id vobis ſit tan„ quam fœnum & gramen: (plantas intelligit) etiamſi meri dia„ boli eſſent, ſint vobis tanquam thecæ pharmacopæorum. Hoc „ enim fundamentum ſtatuite: ſalus ex inimicis noſtris & de ma„ nibus eorum, qui oderunt nos. Potuitné evidentius confiteri pernicioſus nebulo, ſuam Medicinam eſſe diabolicam, atq; à Cacodæmone eſſe implorandam ſalutem? Abutitur autem auctoritate ſacræ paginæ, & ſubjungit: quid aliud nobis indicatur hoc præ„ cepto: omnia probate, quod bonum eſt, tenete, quàm ut ſi poſ„ ſimus, diaboli artes omnes ediſcamus. Ideò enim nati ſumus, ut „ minor diſcat à majori, diabolus eſt doctior nobis: proinde ſi il„ lius artes callemus, DEUM non offendimus. Licet autem non „ ſint ſimiles noſtris, ſunt tamen cognatæ, quod ſi pro herbâ ver„ bum exhibeat, id ſit pro herbâ: nemo tamen exiſtimet, verba & „ characteres eſſe diabolos. Verba ſunt illius ſpecies (ideas for„ tè intelligit) characteres ſunt compoſita, ſunt ſyrupi. Talia au„ tem naſcuntur in regionibus ubi degunt. Quid potuit quæſo dici aut excogitari inſulſius? Hæc opinionum portenta.

Non ſani eſt hominis non ſanus juret Oreſtes.

„ Affert autem ſuæ fatuitatis hanc apodixin: quùm tam ma„ li, inquit, quàm boni ſpiritus creaturæ DEI ſint, creatura quoq; „ DEI erit, quicquid illi poſſunt. Nemini curæ ſint, unde bona „ adveniant. Nam ſive à bonis ſive à malis ſpiritibus procedant, „ certum eſt, quòd à DEO ſunt. Nam ſi non probaret artes dia„ boli, momento eas exſcinderet: quod non exſcindit, certum eſt

quòd

„ quòd non odit, imò quòd faveat illis. Hæc eſt inſignis illa demonſtratio, quâ tandem concludit, Magiam non minus eſſe amplectendam quàm Chriſti religionem. O ſcelus cui tellus ima dehiſcat! Solebant olim legislatores, ut auctoritatem ſuis legibus conciliarent, earum inventionem alicui Numini vendicare. Nequiſſimus impoſtor Paracelſus, ut impietatem prodat, artes ſuas malis ſpiritibus acceptas refert. Non meminiſti præſtigiator Paracelſe, aut non credidiſti, ſpiritum illum, tuum ſocium, ſerpentis palliatum exuvijs, primis parentibus illuſiſſe, lethalesq; morſus illis, adeoq; univerſæ poſteritati æterni exitij auctorem extitiſſe, à quo morſu pretioſiſſimo Chriſti ſanguine ſanandi fuimus. Nempe corporis medicinam expectabimus ab eo, qui, ut leo rugiens, animos perdere ſingulis momentis quærit? Idem tibi ſalutis auctor, qui univerſis perniciei? Ite Paracelſiſtæ, & numini veſtro ſacrificate: fruimini ſanè, ſi ita vultis, veſtrâ inſaniâ, pœnas daturi graviſſimas. Veruntamen quia jam plurimi reſipiſcere parum incipitis atq; repudiatis blasphemijs, incantamentis, præſtigioſisq; characteribus, quos impurus canis, Magiſter veſter evomuit, aliqua tantùm retinetis illius deliria, nempe de primis miſtorum corporum elementis, quæ vos principia indigetatis, de morborum cauſis, remedijs & curandi ratione, agite dum, quid illa quoq; ſani habeant, disquiramus.

Galenus ex Ariſtotele & Hippocrate omnia miſta corpora, ex quatuor vulgò dictis elementis, Igne, aëre, aquâ, terrâ, generari atq; exiſtere cum ſaniori philoſophiâ decernit: quod in hæc quatuor cuncta rurſum per naturalem & ſimplicem interitum reſolvi, ea verò non ex alijs ſimplicioribus corporibus, ſed ex ſeſe continutâ viciſſitudinum ſerie, fieri atq; produci conſtet. Cui rei vel ipſe ſenſus evidentiſſimum teſtimonium perhibet. In his elementis, nihil cœleſte, nihil aſtrale, nihil incorruptibile, nullum arcanum aut quintam eſſentiam agnoſcit, ſed tota ex primâ materiâ primisq; tactilibus qualitatibus manifeſtis, & quæ eas ſequuntur proprietatibus, à natura conflata eſſe oſtendit. Ex variâ autem illorum permiſtione, varia etiam miſtorum genera, varias formas, & proprietates temperamentorum reſultare docet. *a)* At verò Paracelſus & fumoſi complices concitatis omnibus furijs &

a) Paracelſi principia.

Tartareis copijs in auxilium petitis, huic doctrinæ petulantiſſimè inſultant, adeoq; in Galenum, Ariſtotelem, Hippocratem & eorum aſſeclas rabiosè debacchantur, ut quatuor iſta prima corpora ijs eripiant, & ex elementorum cenſu exterminent. Clamant etenim neutiquam eſſe vera rerum elementa ſeu principia, ſed principiorum ſordes, impura involucra, impedimenta terrena, corruptibilia: qualitates item eorum calidas, frigidas, ſiccas, humidas, raras, denſas, molles, duras, & cæteras externas eſſe, corruptibiles, crudas, impuras, mobiles, infirmas, ſæpè venenatas, tantùm abeſſe, ut rei cujuspiam eſſentiam compleant. Conſiſtere autem omnium rerum eſſentiam in cæleſti quapiam ſeu aſtrali & incorruptibili ſubſtantiâ, quam quintum elementum, quintam eſſentiam, ſolem internum, Mumiam, Balſamum, ſemen, & multis alijs nominibus appellant, cujus beneficio externa illa elementa cohæreant, in unam conſpirent œconomiam, & effectus naturæ ſuæ limites excedentes producant. Hanc ceu medullam rerum à Galenicis negligi & ignorari, pro eâ verò corticem tradi, atq; pro nucibus glandes proponi vociferantur. Muniunt ſe quoq; in hanc ſententiam, quod mirum eſt, Ariſtotelis auctoritate, cui tamen aliàs ut non intellecto parùm favent. Hunc innuiſſe illud cœleſte balſamum volunt lib. 2. gen. animal. cap. 3. ubi ait, omnem animi potentiam videri alterius cujusdam corporis eſſe participem, ejusq; divinioris, quàm quæ elementa appellantur, nempe caloris nativi, qui igneus minimè ſit, neq; id genus facultatem aliquam æmuletur, ſed ſpiritus qui in ſemine continetur, cujus natura reſpondeat proportione elemento ſtellarum. Ac obſecto vos per balſamum veſtrum, Viri Aſtræi, ne ſummum philoſophum, quem intelligere nunquam vobis curæ fuit, veſtræ ſoliditatis patronum advocetis, qui ſi viveret, internum veſtrum ſolem vel ſolo intuitu obſcuraret, atq; disjiceret, vosq; cum tartareis principijs totos tedigeret in fumos. Prodidit ille ſexcentis in locis, ſuam de elementis ſententiam, cum Hippocraticâ & Galenicâ eandem, à veſtrâ toto cœlo diſcrepantem. Nunquam cœleſte corpus purum & incorruptibile elementaribus ſordibus implicavit: ſuo autem motu & lumine miras edere operationes, magnamq; vim conferre ſublunaribus, (quâ ratione quintum elementum aliquando nominavit) palàm eſt profeſſus. In lib. de

gen.

gen. animal. 2. animadvertere debebatis, eum non de omnibus in universum rebus istam pronunciasse sententiam, quam vos imitati naturam Cacodæmonis vestri, ceu vestris ineptijs faventem, solam excerpsistis: sed haberi ibi duntaxat sermonem de animalium calido innato, quod quidem origine & essentiâ esse igneum, elementare, corruptioni obnoxium, apertè scriptum reliquit, 4. Meteor. 1. 2. de animâ 4. de long. & brevit. cap. 6. de respiratione cap. 8. hoc autem loco divinius esse dicit, quam rerum inanimatarum calidum. 1. præstantius ob effectus præstantiam, ut volunt nonnulli, aut ut alij, quòd cœlitus habeat communicatam aliquam virtutem, non divinam substantiam: alioqui & elementa divina esse, ex comparatâ locutione ejusdem loci astruam: quum necesse sit divinum esse illud, quo aliud dicitur esse divinius. Neq; ait philosophus hoc calidum esse astrum aut stellam, ut vos insipitis, sed analogiam habere cum elemento stellarum, hoc est, convenientiam & similitudinem operationum; quando scilicet animalis calor in semine non minus animal gignit, quàm ipse sol. Sed esto concedamus vobis contra sensum, contra rationem, etiam substantiam aliquam cœlestem, seu astralem, non modò animalium sed omnium rerum constituere essentiam: quæ tamen dementia est, divinum illud balsamum in tartarea vestra principia resolvere, salem dico, sulphur & Mercurium. Ex his enim tribus universum mundum fabricatis, cœlum quoq; & angelos, forsitan etiam DEUM, si impietatem confiteri auderetis. Tartarea sunt, mihi credite, isthæc principia, à Cacodæmone ex Averno suggesta: nihil habent divinitatis, nihil vitalitatis, ut loquar vobiscum, nihil incorruptibilitatis. Belle quidem vobis & præceptori vestro Paracelso conveniunt sulphur & Mercurius, qui in Carbonarijs vestris, velut in tartaro latitantes, insatiabiles aurifumum & sulphur perpetuo oletis, nec non pestilens hydrargyri virus spiratis. De sale autem nimirum est, quomodo in principiorum societatem venerit: credo ut insipientiæ haberetis condimentum, nec vosipsos consumeretis insaniâ: attamen minimum ejus habere vos oportet, quum sitis insulsissimi. Sed missis jocis, unde ex tribus illis astra constare didicistis? An ex anatomiâ & resolutione chymicâ? ita quidem jactatis. Sed rogo vos, quis unquam vestrum in cœlum advolavit, astrorumq; chymicam analysin

lysin ibi exercuit ? Scio quid respondeatis : Nobiscum habitare astra, & in terris administrare vos illorum œconomiam. At huius quoq; rei demonstrationem petimus. Immortalitas, dicit, mirabiles effectus & operationes astra adesse arguunt. Sed nihil heic videmus immortale : cuncta intereunt & perpetuâ vicissitudine alia renascuntur. Et vos ipsi dum calidum innatum, quod divinam illam substantiam esse vultis, conservatione fatemini egere, simul occidere & emori posse imprudenter concedi-tis. Quod ad operationum dignitatem, præstant etiam elementares qualitates mirabiles effectus. Ignis calor, ex ranarum sperma te, in alembico, brevi tempore ranas vivas elicit. Idem positis in furno ovis gallinaceis pullos excludit, juxta ac si gallina incubuisset : Magnes trahit ferrum non virtute astrali (jam dudum enim astra omne ferrum ad se rapuissent, si isthac vi pollerent) sed proprietate substantiæ elementaris. Quid quod vos omnia arcana vestra extrahitis, omnia miracula facitis, naturam ipsam superatis solo opificio caloris ignei. Non protinus est denegandum elementorum qualitatibus, quod quomodo fiat, vos sulphureis & Mercurialibus fumis ebrij non capitis. Verùm misso etiam cœlo & astris, quâ tandem ratione deprehenditis sublunaria corpora mixta, omnia ex sale, sulphure & Mercurio esse conflata. Chymicæ vestræ anatomiæ non omninò credimus, quæ diuturno & vehementi igne per agitur. Nam quis non rideat, si dicam lignorum principia sive elementa esse, cinerem, fumum & fuliginem, eò quòd si comburantur, ad ista tria rediguntur. Non vi sed à naturâ fieri deberet isthæc resolutio, veluti & mixtio naturæ, non artis est opus. Talia corpora vos facitis vi ignis, ut cùm plantas siccas crematis in sales, non autem actu præ existentiâ separatis. Quis enim unquam vidit animalium aut plantarum corpora in salem, sulphur & Mercurium naturali corruptione desijsse ? Metallorum proxima elementa esse sulphur & Mercurium, forsitan concedent Peripatetici, proxima, inqnam, at non prima, Verùm quæ ad prima illa. 4. dicta elementa ultimo reducantur. Nihil verò tale in vegetalibus aut animalibus unquam est animadversum. Sed & heic habent sua diverticula. Cave, inquiunt, ne arbitreris nos salem communem, sulphur & Mercurium vulgarem intelligere : Ornavimus tria principia istorum

rum vulgarium nominibus, quod in eorum ſingulis unum principium manifeſtiſſimè vigeat. Eſt in rerum familiâ ſal animalis, ſulphur animalè, Mercurius animalis : eſt ſal vegetabilis, ſulphur vegetabile, Mercurius vegetabilis : eſt & ſal mineralis, ſulphur minerale, Mercurius mineralis : atq; in unoquoq; genere rurſum ſe offert magna varietas ad imas usq; ſpecies, quarum principia, ipſa quoq; ab aliorum principijs ſpecie differunt. Quid audio ? Egregiam philoſophiam, quæ plura nobis parit principia, quàm principiorum effecta. Quando enim infimæ mixtorum corporum ſpecies tria habent principia, non tantùm inter ſeſe, ſed etiam ab aliorum mixtorum principijs ſpecie diſcreta, utiq; triplo plura eſſe oportet principia, quàm quæ ex principijs componuntur. Verùm hoc modo multitudo erit cauſa unitatis, ſublataq; principiorum communitate, tolletur ſcientia. Deinde cur tria facitis principia Paracelſiſtæ, ſi propemodum ſunt infinita ? Oportet certè communis ratio ſubſit, qua una tertia pars principiorum dicatur ſal, alia ſulphur, alia Mercurius : quod & ipſis imprudentes largimini, dum ſalis, ſulphuris & Mercurij nomina impoſuiſſe dicitis, quod iſtorum ſingula unius alicujus principij facultates manifeſtiſſimè oſtenderent. Cujus enim ſalis naturam & facultatem ſal communis refert ? illius, opinor, qui vobis tertium eſt principium. At cum ille tam ſit varius, quàm variæ rerum ſpecies, cujus potius quàm alterius : & cur hic præ illo tertium ſtatuitur principium ? Aut vanitatem agnoſcite, aut dicite communem aliquam naturam ſalis primi ſingulis ſubeſſe, ob quam ſales dicantur. Porrò quæ eſt iſta natura ? Jam dixiſtis eam eſſe, quæ in vulgari ſale manifeſtiſſimè conſpicitur. Quid autem manifeſtius eſt in ſale, quàm ſalſedo, quæ ex terrena (ut docent phyſici) craſſa, ſicca & per aduſtionem quodammodo attenuata materia exiſtit, quæ aduſtio mordens poſt ſe reliquit ἐμπύρευμα. Nihil verò minus animale aut aſtrale eſſe poſſit, quàm hujusmodi ſubſtantia. Aſtrorum enim ſubſtantia eſt ἀπαθὴς, neq; attenuatur neq; aduritur, nec quidquam iſtorum patitur. Animalibus autem iſta eſt infeſta, ut etiam generari ea prohibeat : hinc quæ à vermibus tuta eſſe volumus, ſale conſpergimus. Notandum eſt quod ſcribit Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus, 6. cauſ. plant. 14. alios omnes ſapores in plantis gigni excepto ſolo

ſalſo,

ſalſo, qui in nullâ ex proprià natura reperitur : nam quæ exhalationibus & ventis maritimis fluctibus afflatur ſalſedo, externa eſt, & lotione abigitur. Rationem hanc affert : quia, inquit, ſapor ſalſus incommutabilis eſt, nec quicquam vivens ex eo gigni poteſt : eſt enim terræ proprius, ideò metallicam naturam ſortitur : nulla autem metallica (notate Paracelſiſtæ, qui calorem nativum metallicis ſuſtentare vultis) immutari poſſunt à calore viventis : idcircò ſale condita, imputreſcibilia ſunt & immutabilia. Ratio autem vult, ut ſi nullum vivens ex ſalſo fieri poſſit, neq; etiam ſalſa reddatur eorum ſubſtantia : ſed ſi quæ ſalſedo in ipſis reperiatur, excrementum ſit. Quis quæſo qui hæc legerit, & vera eſſe, ut ſunt, cognoverit, Paracelſo concedet ſalem eſſe animalium principium ? Notum eſt nos ijsdem conſtare quibus nutrimur : at cùm nullum vivens nutriatur ſalſis (ſed ſale pro condimento utuntur) multò minus profectò ex ſale fabricati fuerimus. Duo certe proxima conceptionis noſtræ primordia, ſemen & ſanguinem, dulciſſima eſſe conſtat. Unde igitur tibi, inſulſe Paracelſe, in mentem venit ſalis ? Forſan ex Epicuri lacunis hauſiſti, quo cum de morum improbitate certas : ei enim anima fuit pro ſale. At invertunt hoc diſcipuli, & qui inter eos hoc tempore familiam ducit, Joſephus Quercetanus prodidit, ſalem eſſe animatorum animam, in quo tamen ſibi non conſtat, mox idem ſulphuri tribuens. Si magnes, inquit, eò quod trahat ferrum, à multis animatus credatur, nonne ſal potius, qui præditus eſt virtute generandi & conſervandi viventia omnia, animatus cenſeri debet ? Hic eſt qui vivificat, qui calorem impertit, qui campos ridere facit, &c. Si campi ipſi, Quercetane, tuas de ſale ineptias rident, quidni ridebunt ſapientes, qui ut ſolis dulcibus nutriri & conſervari docent omnia : ita ſalſis & amaris eadem offendi ? Jam olim Poëta cecinit (2. Georgic.) magnus naturæ ſcrutator

Salſa autem tellus & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix : ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſervat.

Verùm quousq; ineptias veſtras perſequor ? Reſtaret nunc ut reliqua duo principia, ſulphur & argentum vivum ſive Mercurium

rium quoque ad examen revocarem. Nolo tamen vos, Auditores, detinere in ſpurciſſimo & fœtidiſſimo ſulphure : nec venenatam Mercurij auram ſpirare inter vos ſinam. Intelligitis, credo, ipſi, hæc duo principia eſſe longè abſurdiora & inſulſiora ſale : quandoquidem nemo eſt qui neſciat, nos ſale aliquando pro condimento uti, ſulphure & Mercurio nunquam : Quod ſi ſal inter principia locum obtinere nequit, quantò magis illa excludentur ? De ſulphure refert Ariſtoteles 4. hiſt. animal. 8. ejus odore tam multa inſectorum genera interire, quod & apibus & fucis, eſt etiam ruſticis notum. Argento vivo teſtimonium perhibent foſſores, &, ſi, qui peſtilenti ejus fumo hauſto interierunt, reſurgerent, perhiberent innumeri Paracelſi ſufflones. Vidi ſanè in agro Puteolano ſpecum malignam, Arſenici & hydrargyri virulentiam ſpirantem, in quem intromiſſi canes protinus ceu fulmine tacti concidunt, & niſi mox in propinquum lacum mergantur, citò intereunt. Credo etiam Avernum lacum, qui non procul ab hoc ſpecu abeſt, non aliâ ratione olim (nam hodie ceſſavit eventus) ſupervolantes aves enecaſſe, quàm venenatâ ſulphuris, arſenici & argenti vivi exhalatione. Scatet enim tota regio ſubterraneis ignibus atq; metallis, unde etiam thermis plena eſt & ſudatorijs : ex quibus quod Ciceronis dicitur Laconicum, ipſe ſum expertus, Ex his intelligitis, Auditores, quid de Paracelſi principijs ſentiendum ſit, & num Galenicis ſint veriora. De remedijs & curandi ratione, quæſo, ne vos pigeat, paucula cognoſcere.

Galenus animadvertens partes humani corporis, tribus modis ad totius ſanitatem & perfectionem conſpirare : nempe juſto ac debito ſimilarium temperamento, aptâ & concinnâ organorum conformatione ac ſymmetriâ, & deniq; utrorumq; continuitate, tria etiam ſumma morborum genera conſtituit, intemperies, vitiatam diſpoſitionem organorum, & continuitatis diſſolutionem. Poſtea curationis eorundem generale axioma ac fundamentum ab Hippocrate ſumtum poſuit, contraria contrarijs eſſe curanda, quod quidem ſenſus & inductio dudum dictaverat, conſentiente ratione & experientia. Senſu enim didicimus contraria omnia à ſuis contrarijs, aut prorſus expelli aut temperari ad mediocritatem, ut calida à frigidis, humida à ſiccis. Hoc axioma di-

ductum pro morborum latitudine ad imas usq; ſpecies multiplici remediorum materiâ in uſu exequitur, Minerali, vegetabili, animali, quas vel ſeorſim & ſimplices exhibet, vel inter ſe commixtas, decoctas, deſtillatas, uſtas, lotas, aut alio modo præparatas, & in varias formas redactas. At Paracelſus cum ſuâ Mercuriatâ cohorte heic quoq; ſui ſimiles eſſe impensè ſtudent, ne forte alicubi minus abſurdè inſanire deprehendantur. Rejectis atq; exploſis temperamenti morbis, alios ſubſtituunt principijs ſuis conſentaneos: nimirum, arbitrantur partes ſimilares nunquam ſuâ operatione & ſanitate defraudari, niſi illarum, aut ſal, aut ſulphur, aut Mercurius ægroret, excrementitio Mercurio, aut elementari fœculentia inquinatus: tunc enim ſolum labefactari aſtrale balſamum ex tribus illis principijs conflatum, quod ſanitatis & naturalium operationum auctor exiſtat. Illud verò labefactum, non eſſe amplius ſollicitandum contrarijs, ſed conſervandum ſimilibus, ſale, ſulphure aut Mercurio, prout hoc aut illud principium ægrotaverit. Hinc ſuum iſtud axioma Hippocratico ex diametro adverſum extruxerunt, ſimilia ſimilibus curari, non contrarijs.

Cæterùm ut ſupperetet ſimilium copioſa ſuppellex, dies noctesq; ante ſuas carbonarias fornaces ſudarunt olidi & nidoroſi in eliciendo ſale, ſulphure & Mercurio, tam ex mineralibus quàm ex vegetabilibus. Quia tamen difficile erat, imò etiam ἀδύνατον videbatur, in tantâ principiorum, quæ ægrotare poſſent, latitudine, non deficere ſimilibus; cogitarunt de univerſali aliquâ Medicinâ, quæ imaginariâ πανσπερμίᾳ omnium aliarum ſeminaria & naturas in ſe complecteretur; quâ inventâ ſperarunt ſe immortalitatem poſſe conſequi, quam quidem confidenter ſycophanta Paracelſus aliquando ſibi eſt pollicitus, aliquando tamen, delirijs ſuis ipſe diffiſus, ſexcentorum tantùm annorum vitam, quam vanitatem diſcipuli ejus moderantes, Magiſtri mendacio pudefacti, immortales quidem nos fore prædicant hac medicinâ univerſali, niſi mortalium elementorum conjugium obſtaret. Perſuaſi autem ſunt hanc benedictam medicinam latitare in auro nobiliſſimo metallorum, eſſeq; auri balſamum, Mumiam, Mercurium, quintam eſſentiam, arcanum, Elixir, Axorth (ut monſtroſa dogmata monſtroſas etiam haberent appellationes) materiam perlatam, Mannam, materiam primam, lapidem philoſophorum, & mul-

& multa alia inepta, quibus nondum tamen ſtultæ ſuæ libidini ſatisfaciunt. Hanc, inquam, medicinam quæſiverunt anxiè, & nondum quærendo defatigantur. Ideirco auri anatomiam aggrediuntur, dumq; potabile reddere ſtudent, perdunt portabile, & tandem auri ſitientes, egeſtate conficiuntur ac fame pereunt. Hæc ad ſummam nova Paracelſi medicina eſt, hæc medendi ratio, hi morbi. Quis verò non rideat inſulſam ſtoliditatem? quis vanitatem non execretur? Balſamum illud internum, quod cuncta perficit, divinum eſſe profitentur, aſtrale, immortale, & tamen ægrotare poſſe concedunt, nunc ex parte ſalis, nunc ſulphuris aut Mercurij. Quomodo quod morbum patitur, non patietur aliquando mortem? & patitur etiam mortem, aliàs nunquam moreremur: Ergò immortale non eſt. Nec eſt quod dicas Paracelſe, incorruptum evolare in cœlum. Apertè te prodis, quando ais labefieri, augeri à ſimilibus, imminui à contrarijs. Aſtris nihil eſt contrarium, à nullo poſſunt labefactari, non augentur ſimilibus, non diminuuntur, ſed æquabili vigore perennant, dum à ſupremo ſuo architecto rurſum deſtruantur. Sed ſi vana & abſurda ſunt tua principia, ut eſſe oſtendimus, vanæ etiam erunt morborum cauſæ, quas affers, & differentiæ, vana medendi ratio, abſurda remedia. Norunt etiam Galenici ſimilia ſimilibus conſervari, ſed norunt quoq; contraria contrarijs depelli atq; curari. Quanquam enim ſola natura ſit morborum medicatrix, medicus tamen eſt illius miniſter, qui impedimenta removet, & ſi quando deficiat, fert ei opem, calidum quidem nativum roborando ſimilibus, morbum autem oppugnando contrarijs; ut facilius à naturâ ſuperetur. Nam non eſt perpetuo naturæ imputandum imbecillitati, ſi morbos non evincat; ſiquidem malum aliquando ita eſt contumax, ut niſi externo auxilio vires ejus à medico frangantur, natura etiam optimè ſe habens, ſit tamen illo inferior. Hoc medici auxilium debet eſſe morbo contrarium, non ſimile, alioquin in naturæ perniciem cum morbo conſpirabit. Finge aliquem, Paracelſe, robuſtiſſimo ventriculo, lapides aut arenas voraſſe, atq; inde deficiente nutritione incidere in ἀτροφίαν: huic tamen omnes tuos ignes congere, in hunc omnia balſama effunde, ut ſimilibus robores & conſerves balſamum internum, nihil tamen efficies, niſi contrario motu illi, quo

 ingeſti

ingesti sunt lapides, eosdem rejici cures, nempe per vomitum. Demus autem vobis etiam hoc, in omnibus morbis soli naturæ, interno illi balsamo esse occurrendum & quidem similibus : ostendam nihil minus vos præstare. Animale sulphur, aut Mercurium negat magister vester arte Chymicâ posse haberi, quòd tenuitate suâ aufugiat in igne : quomodo igitur, si forte hoc sulphur, in homine laboret, vos metallico sulphure, aut vegetabili, si quod est, succurrere non erubescitis ? si singularum specierum principia specie differunt : oporteret vos ex homine, & quidem eâ parte hominis, quæ laborat, expressum habere sulphur, ut vestra constaret similitudo, ut laborante pulmone, sulphur pulmonis humani, oculo laborante, sulphur oculi humani, & sic de cæteris : atq; ista per Paracelsum figere in vestris fornacibus non potestis. Quomodo ergò nunquam satis facitis vobis in pestilenti Hydrargyro metallico ? quomodo in venenati Antimonij usu insanitis ? quousq; miseris ægris illuditis vestris salibus, quæ non solùm specie, sed toto genere à naturâ humanâ discrepant ? Hoccine est similia similibus curare ? si generis valet similitudo, potero ego opium pro apio exhibere. Quid magis homini dissimile est quàm antimonium ? quid magis adversum quàm Mercurius ? & adhuc magis si Chymicè sublimatus aut præcipitatus fuerit. Tingite hæc & purificate, quantum libet, produnt suam malignitatem sputo & vomitu. Salibus vestris perpetuum hymnum cantabit Belengarius Senator Parisiensis, cui nuper cum laborasset diabete, ex calidâ & siccâ renum intemperie, Turquetus quidem primæ notæ Chymicus, ratus hunc morbum esse tartareum, ideoq; tartaro curandum (tartarum autem ad salis principium revocant) sales præscripsit Chymicos, quibus æger, ut refert Riolanus, usq; adeò exarsit, ut nullis refrigerantibus incendium extingui unquam potuerit, senseritq; vir bonus in terris jam purgatorij ignis ardorem, quo depurata anima brevi ad cœlum evolavit, corpore varijs salibus ad diurturnitatem condito. Nec tamen adhuc modum facitis benedictis vestris remedijs in cœlum evehendis : in Galenica medicamenta insanos cachinnos tollitis, jusculà spumosa, canibus projicienda clamitatis, ut ea omnibus modis exosa reddatis ægris, vestrorumq; suavitatem & exiguam dosin commendetis, Atqui suavitati isti ingens comi-

tatur

tatur periculum, & sæpè latet sub melle venenum. Non decipiat vos, Auditores, hæc jucunditas, nec parvæ dosis blanditia. Nam

Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut aliquis latet error, equo ne credito Teucri.

Anne vobis frustrà DEUS O. M. in humanum genus benignissimus, omnia creavit ita, ut sunt, aut vobis depuratoribus ea depuranda demum prædestinavit? Atqui cuncta erant bona ante vestram depurationem. Et cur quæso ipsi si ægrotetis plerunq; ad Galenica confugitis, vestris diffidentes, quibus alios immortales facere volebatis? Heurnius magnus Paracelsi amator, fatetur se colicos dolores, quos oleo anisi chymico nunquam sedare poterat, ejusdem decocto persanasse. En decoctum vestro oleo efficacius, tutius, præstantius. Equidem, Auditores, artem chymicam aut chymica remedia non improbo, sed ea si quis alius maximi facio, & omnibus medicinæ studiosis, ut hanc artem addiscant suadeo, quam tamen nec Paracelsus invenit, nec multum ornavit: novit jam olim ejus rudimenta Galenus & non neglexit, excoluerunt Arabes, Mesue & Rhases, inter Græcos Actuarius: Exercuerunt eam & locupletarunt ante Paracelsum duo insignes Medici Noribergenses, Hieronymus Schallerus, & Magenbuchius, Galenicæ disciplinæ addictissimi, ut taceam Arnoldum de Villa nova & alios, qui diu ante Paracelsum, egregiam in hac arte operam præstiterunt. Abusum tantúm & Paracelsicorum Chymicorum temeritatem reprehendo, quibus ista remedia haud aliud sunt, quàm culter in manu furiosi: atq; hoc obtinere cupio, quia Chymica sunt efficacia, non idcircó Galenica nullam habere laudem, quæ sæpè sunt præstantiora illis, & neminem Chymicis rectè uti posse contendo, nisi qui veram medendi methodum noverit. Hæc autem unica tantum est, nec alia, rumpantur ilia Momis, quàm Hippocratica & Galenica. Inveniant Chymici & hodie, & cras, & perendie sexcenta extracta, mille arcana, mille magisteria, methodum curandi aliam non invenient, hæc manebit perpetuò, constanti & immutabili ratione extructa: hæc est artis fastigium: hæc est quæ Medicos facit atq; in honore constituit: hanc qui noverit, fatum tardabit, quousq;

per

per DEI voluntatem & naturæ leges licet. Hanc si intelligerent Paracelsistæ, intelligerent etiam se suis Chymicis arcanis nec immortalitatem nec longævitatem posse præstare. Nam longævitas in humido radicali pingui, quod caloris nativi pabulum est, consistit, quo deficiente langueſcit calor, marceſcit, senectus sicca obvenit; at quo pinguius est & copiosius, eò longius vitam producit, teste Aristotele de long. & brev. vitæ cap. 5. Ita autem comparatum est, ut calor noster illud humidum perpetuò absumat, unde necessariò obrepit mors, quò respicientes physici, dixerunt: nos mortis causam statim ab ortu nobiscum circumferre, & Seneca Tragicus eleganter ita expressit:

Parce venturis, tibi mors paramur,
Sis licet segnis, properamus ipsi:
Prima quæ vitam dedit hora, carpit.

At Paracelsistæ non expectant naturale fatum, sed arcanis suis causticis & ad extremum siccantibus humidi radicalis destructionem prævertentes, immemores legis, quâ similia similibus conservanda esse sanxerunt, mortales in sepulchrum præcipitant. Vestrum omnium non verebor appellare conscientiam, an unquam videritis aliquem Chymicis remedijs crebro usum, ad senectutem perveniſſe? Adamum, & primi ævi patres, usu auri potabilis tamdiu protraxisse vitam, mentiuntur ciniflones isti auri sitientes. Paracelsus tamen, quem etiam balsamum & quintam essentiam auri habuisse jactant, longè supra potabile aurum exaltatum, ut loquuntur, ideoq; sibi immortalitatem promisisse, vix sexagesimum annum est transgressus. Nimis quidem diu vixit, si nequitiam & scelera spectes, parùm si promissa. Odi sapientem, qui sibi non sapit. Alijs immortalitatem pollicentur, & ipsi interea consumuntur tabe: alijs aureas præbent potiones, ipsi ad singultum siticuloſi.

Sed ne diutius abutar vestrâ humanitate & patientiâ, contraho vela, & ad Vos, studioſi adoleſcentes, me converto, quorum studijs provehendis Ampliſſimus noster Senatus me præfecit. Audiviſtis quid inter utramq; Medicinam Hippocraticam & Paracelſicam interſit, adeoq; intellexiſtis, quid distent æra lupinis? Dogmatica Medicina DEO benignè favente, naturæ luce, sensu & experien-

perientiâ eſt nata, ac ratione ſuffulta, innitens ſanioris philoſophiæ principijs. Paracelſicam Cacodæmon ex tartaro cum ſulphure & flammis per impurum & ſacrilegum os Cacophraſti, in humani generis exitium eructavit. Illa elementa habet conſueta, familiaria, quibus conſtamus, & quibus nutrimur: hæc tartarea, quæ nos peſſundant. Illa blandis & ſecuris medicamentis morbos depellit, & vitam producit alimentis: hæc cauſticis Mercuriatis flammam flammæ adjicit, morbos auget, mortemq; accelerat. Illam omnes ſapientes approbant, laudant, uſurpant, divinis admoniti oraculis: hanc diris devovent & execrantur, ceu plenam Chimæris & opinionum monſtris, nugis, blasphemijs, fumis, delirijs, oriundis ex inſano cerebro nefarij impoſtoris, ſcelerati magi, & hæreſiarchæ omni nequitiâ polluti. Hanc fugite, Juvenes optimi, ceu peſtem, niſi ad pœnitendum properare velitis. Illam ſalutarem amplectimini, quam amplius bis mille annorum Experientia confirmavit, ut oleum & operam rectè collocetis. Credite mihi, conſtabit vobis olim ſtudiorum veſtrorum ratio, nec nunquam obſequentes mihi aures præbuiſſe pœnitebit. Equidem Vobis dux ero pro virili, nullis parcam laboribus, nullis vigilijs, nulli prorſus rei, ut veſtris commodis conſulam: Vos viciſſim induſtriam meam diligentiâ & benevolentiâ adjuvate, ac tantam adferte animorum alacritatem, diſcendiq; cupiditatem, quantam ego affero vobis inſerviendi promptitudinem & voluntatem. Et quia gemina mihi impoſita, eſt profeſſio, Practicæ Medicinæ, & Philoſophiæ naturalis, in utrâq; ita me geram, ut vobis gratum & ex uſu eſſe intellexero. Autoris mentem, quem enarrandum ſuſcepero, primum vobis fideliter ut potero exponam, quid veri aut falſi habeat, breviter disquiram: nec mihi religio erit, ſi vel Ariſtotelis quædam dogmata à veritate & religione diſſentire, vel Galeni theoremata in artis uſu non prorſus ſemper exquiſita & utilia eſſe deprehendero, vos iſta modeſtè monere, ut errores eorum & cognoſcamus & ignoſcamus, non ut impudenter illis inſultemus, quibus alioqui debemus omnem propè accuratam doctrinam. Eosdem ab aliorum injuſtis reprehenſionibus, ubi opus fuerit vindicabo, idq; dabo operam unicè, ut, nil magis quàm veritatem me amaſſe, & veſtram quæſijſſe utilitatem conſtet. Prolixis & ocioſis interpretum tricis, vos non implicabo, ut tempus redimam: idem ut non negligam, quæcunq; uti-

Digitized by Google

litatem habere videbuntur, ſicco pede non præteribo, adeoq; expoſitionem ita moderabor, ut neq; nobis tempus deſit, neq; nos tempori, ut autorem noſtrum non aſpexiſſe, ſed inſpexiſſe, non præterijſſe, ſed in eo habitaſſe dici poſſimus. Id autem facturus ſum hoc anno, divinâ favente clementiâ, in eo Galeni libro, quem inſcripſit artem Medicam (barbari explanatores Parvam vocant) imitatus præceptorem & Anteceſſorem p. m. qui ab eodem libro Medicis ſuis prælectionibus in hac ſcholâ olim initium fecit: diebus quidem Lunæ & Martis à meridie hora 1. & Mercurij octavâ matutinâ: Phyſica auſpicabor à primo Ariſtotelis libro φυσικῆς ἀκροάσεως, eamq; lectionem perſequar diebus Jovis & Veneris pomeridianâ itidem primâ, & Saturni octavâ matutinâ. Quicunq; igitur animum hiſce ſtudijs applicuiſtis, adeſte mihi frequentes, ſobrij & ad diſcendum parati. Ego viciſſim nitar, & ut ſpero, enitar, ut nunquam vobis in mentem veniat, quod aſſiduam mihi operam dederitis, pœnitere. Sic ſummus ille Archiater, & fons ſapientiæ noſtros conatus proſperet ac fortunet.

D I X I.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google